



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tribunal Poenitentiae Sev Libri Dvo Prior De Poenitente Ut Reo Posterior De Confessario Ut Judice

Stoz, Matthäus

Anno M.DC.LXXXIX.

Liber Posterior De Confessario Ut Judice.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37144

TRIBUNALIS
POENITENTIAE

LIBER POSTERIOR
DE CONFESSARIO
UT JUDICE.

foz

linal
tentia
m
ia



P. S.

Trib
Poeni
E

TRIBUNALIS
POENITENTIAE
DE CONFESSARIO
ET IUDICI

LIBER POSTERIOR

De
CONFESSARIO UT JUDICE.

P R Æ F A T I O.

Deduxerat Autor priorem Librum de *Tribunali Pœnitentia* ad calcem; jamque se accingebat ad posteriorem quoque conficiendum; sed quia præmatura mors è manu calamum excussit, & in ipso primo limine scribendi simul & vivendi finem fecit, labor iste ex Superiorum voluntate ad me devolutus est. Autoris ergo vestigia si non pari passu & stylo assequor, prosequor tamen; & quæ multi multis, ego paucis complector, ut occupatis etiam Lectoribus consultum sit.

I. Sicut autem quilibet alius Judex est & dicitur Vir bonus *l. Continuus. 137. §. 2. ff. de V. O.* ita & Confessarius, cum ipse quoque sit Judex, rectè definiti potest & dici, esse Vir bonus, sacerdotali Ordine, Approbatione, & Jurisdictione legitima præditus ad solvendum & ligandum in foro Sacramentali. Omnia, quæ ad gravissimum æquè ac sanctissimum hoc munus spectant, ad quatuor Quæstiones contraho, quibus velut columnis quatuor innititur ex ipsius parte. *Tribunal Pœnitentia.* I. est de Qualitatibus. II. de Potestate. III. de Officio. & IV. de Obligationibus Confessarii.

2
 QUÆSTIO I.
 De Qualitatibus Con-
 fessarij.

2. PRÆcipua, quæ ad Confessarium, ut suo officio ritè fungi possit, spectant Qualitates, sunt Probitas, Scientia, & Prudentia.

ARTICULUS I.

De Probitate Confessarij.

3. De fide est, ad validam Sacramenti tum Pœnitentiæ, tum etiam reliquorum administrationem neque fidem, neque probitatem in ministro requiri. Ita definitum est in Concil. Tridentino *Sess. 7. can. 4. de bapt. & can. 12. de Sacram. in genere.* Nihilominus tamen quia Sacerdos in hac administratione specialiter subit personam Christi, ita ut actiones Ministri censeantur moraliter esse eadem cum actionibus Christi, idcirco omnino convenit, ut quemadmodum actiones Christi sunt sanctissimæ, ita etiam actiones Ministri seu Vicarij Christi sint sanctæ, id est, ut Minister eas pro Christo exercens sit in statu gratiæ, & perfectæ consummatæque virtutis; ne dum alias animas Christo lucrari conatur, ipse sua detrimentum patiat. Quid hoc ipsi proderit? Certè licet universum status sacerdotalis magnam vitæ innocentiam exigat, tamen Confessarij munus præcipuam postulat morum probitatem, ne vel indignè Sacramentum administret; vel semet, ut dixi, in discrimen conjiciat tot, tam gravibus, tam contagiosis flagitijs audiendis;

vel pœnitentes ipsi sua peccata committere diffidant illi, quem noverint vel iisdem flagitijs implicatum, vel in ebrietate quidvis effutire, vel, quod omnium gravissimum est, ad turpitudinem etiam incitare solitum. Studeant ergo præ cæteris Christianæ perfectioni, & innoxie tractabunt Sacramentum, quod alioqui sæpe solet esse periculosum parùm probis & perfectis.

4. Sed quid? licetne à Ministro peccatore Sacramentum petere? suppono autem ex materia de charitate I. non esse licitum, ab altero perere actionem intrinsicè malam, hoc est, talem, quæ ab illo sine peccato fieri non potest: hoc enim est alterum ad peccatum inducere. Econtra verò II. esse licitum, actionem, quæ ab altero bene vel malè fieri potest, ab eodem petere ob magnam meam utilitatem, vel necessitatem; non enim tunc induco alterum ad peccatum, sed ab eo peto rem licitam, & simul permitto, ut ille eam faciat illicitè. Ratio hujus est, quia meum Jus non debet ob alterius malitiam impediri. Sic possum à fure meum librum repetere, etsi nôrim, eum etiam cum juramento negaturum, se habere &c.

5. His principijs bene attentis & pensatis illicitum est I. petere à malo Ministro Sacramentum, cujus administratio non possit hîc & nunc ab eo fieri sine peccato. Ratio patet *ex præced. num. 4.*

6. Illicitum II. extra casum magnæ utilitatis aut necessitatis petere à malo Ministro Pœnitentiæ, aut cujuscunque alterius Sacramenti administrationem, quam bene potest, sed prævidetur malè facturum. Est communis. Et ratio est, quia

quia sine causa non licet, ne quidem indirectè, dare proximo occasionem peccandi.

7. Licitum verò est III. in casu extremæ, imò etiam gravis necessitatis, aut magnæ utilitatis petere Sacramentum à malo Ministro; quia pono, illum in tali casu posse, si velit, licitè Sacramentum administrare; quòd ergo illicitè administret, illius malitià accidit, ob quam ego non debeo magna mea utilitate privari; multò minùs æternùm peire, si eo Sacramento extremè egeam.

8. Hinc ergo si duo sint Confessarij, & mihi constet, unum eorum in peccato administraturum Sacramentum Pœnitentiæ, teneor adire alterum, etsi sit meus Confessarius ordinarius, aut etiam Parochus. Non enim tanti momenti est mutare Confessarium, ut non teneat propterea illi, etiam indirectè, non dare occasionem peccandi. Secus esset, si nullus alius adesset Confessarius, & ego versarer in periculo vitæ: tunc enim omnino possem, imò etiam tenerer ab illo petere Sacramentum.

9. Ad hoc ut liceat à malo Ministro Sacramentum petere, parùm refert, quòd jam antè ad eam ministracionem paratus sit, si quidem cum eadem mea commoditate non possim habere Ministrum, licitè mihi ministraturum Sacramentum: si enim possim habere talem, teneor eo uti, sive dein ipse ex officio teneatur conferre Sacramentum, sive non. Et ita id suadet tum charitas erga proximum, quæ unumquemque obligat, ut suo proximo non der sine causa occasionem peccandi; tum etiam reverentia Sacramento debita: si enim cum æquali mea utilitate possum facere,

ut Sacramentum dignè tractetur, ratio naturalis videtur dictare, id esse faciendum. Suar. p. 3. T. 4. D. 28. f. 2. n. 2.

10. Est hîc valde bene notandum, non esse curiosè, nec studiosè aut scrupulosè inquirendum in actiones, & vitam Confessarij, & examinandum, an sit bene dispositus, vel non: hoc enim sine gravi ipsius injuria fieri non potest. Et licet rectà videam, eum à patrato scelere proferare ad Sacramentum ministrandum, bene tamen de eo præsumere possum, & cogitare, illum, cum primùm ab eo petitur Sacramentum, conteri, & bene esse dispositum.

ARTICULUS II.

De Scientia Confessarij.

11. Si Medicus vel Advocatus imperitus graviter peccat, morbi vel causæ alijus temporalis curam suscipiendo, atque ita hominem in periculum vitæ aut facultatum conjiciendo; tantò gravius crimen erit, animarum curam sine competenti Scientia suscipere, quantò major est æternæ salutis, quàm vitæ & facultatum jactura. Quapropter omnes uno consensu docent, eum mortaliter delinquere, qui confessionibus audiendis se exponit, nondum debitâ scientiâ instructus. Videndum igitur, quanta doctrina requiratur, ad munus hoc tutâ conscientiâ obeundum.

12. Quoniam autem Confessarius in hoc Sacramento triplex officium gerit, Judicis, Medici, & Doctoris, & quæ Judex dijudicare debet conscientiam pœnitentis, in quo statu hætenus fuerit, in quo nunc sit: quæ Medicus præscribere

foz

1. 1. mal
 2. 2. ncia
 3. 3. m
 4. 4. a

spiritualia medicamenta, curandis vitijs & tentationibus idonea: quâ Doctor instruere pœnitentem in rebus scitu necessarijs, sive ad fidem, sive ad mores pertineant; sequitur perfectum Confessarium triplici doctrinâ instructum esse debere; Theologico-practicâ ad peccatorum discretionem; Jure Canonico ad censuras & reservationes dignoscendas; & demum rerum spiritualium notitiâ pro remedijs vitijs ac tentationum præscribendis.

13. In particulari, ut Judex scire debet I. quæ sit materia & forma hujus Judicij: de priori in præcedentibus abunde actum: de posteriori, nempe de forma, dicitur infra n. 79. & seqq. II. an non sit à licito hujus Judicij exercitio impeditus aliqua censura vel irregularitate. III. In quæ peccata & personas se extendat illius Jurisdictio: ex quo capite requiritur scientia casuum reservatorum superiori Judici: perinde sicut Judici in foro externo constare debet, quæ causa spectent ad ejus tribunal. IV. quæ & quàm congruæ pœnitentiæ vindicativæ sint imponendæ. V. An pœnitens sit rectè dispositus ad sententiam absolutionis validè & licitè recipiendam, ne detur Sanctum canibus. VI. an & quas pœnitens habeat obligationes, de quibus implendus sit commoneficiendus. VII. casus faciliores & crebriores; de abstrusioribus verò ut possit dubitare, & animadversa difficultate judicium suspendere, donec libros vel doctiores consulat: quod quidem tunc faciendum est, si valor Sacramenti aut fructus inde pendeat, v. g. si dubitet, an sit casus reservatus; an in jungenda restitutio; an occasio deserenda &c.

quo eventu vel differre debet absolutionem, donec dubium resolvatur, pœnitente redire jussio: interim aliam precationem super eum dicendo loco absolutionis, ne noletur dilatio; vel pœnitens ita disponendus, ut spondeat præstare, quod re discussa præstandum intellexerit. In alijs verò dubijs an hoc vel illud mortale sit, non tenetur alios consulere, nec absolutionem differre: quia non est opus de singulis peccatis judicium ferre: modò in fine confessionis de toto statu pœnitentis judicium ferat, sitne magnus peccator, an mediocris, an levis. Ita Suar. num. 2. & 3. Tann. T. 4. D. 6. q. 9. num. 98. Reginald. l. 1. num. 147. neque enim credibile est, Christum tam exactum, & moraliter impossibile judicium requisivisse: quomodo enim Confessarius statim ex tempore judicabit de quolibet actu, num sit mortalis vel venialis? de quo Doctores toties & tam graviter altercantur, quòdque à tam multis circumstantiis pender.

14. Ut Medicus tenetur scire spirituales animæ morbos, eorumque causas & fontes exactè nôsse; alioqui nec medicamenta congrua præscribere poterit. Denique ut Doctor debet callere modum, quo pœnitens sit instruendus, si quidem egeat: si enim hic sit doctus, & aliunde jam bene instructus, poterit Confessarius hoc labore superfedere.

15. Non est autem simpliciter necessarium, ut Confessarius hæc omnia per seipsum sciat: sicut enim in alijs officijs Magistratum tam civilium, quàm Ecclesiasticorum sufficit, adjunctos habere consiliarios, quorum doctrinâ juventur; ita Confessarius defectum suæ scientiæ alieno

alieno consilio poterit supplere, dummodo ad manum habeat libros aut viros doctos, quos consulat. Quia verò nemo alium consulit, nisi dubitet, & nemo dubitat, nisi aliqua ratio difficultatis appareat; tantùm saltem doctrinæ habeat oportet, ut difficultatem cernere, & orto dubio ad alios consulendos impelli queat: quod fit, si saltem aliquid audierit, vel legerit, etsi distinctè non recordetur, quid dicendum.

16. Ceterùm iis, qui operam audientis confessionibus dabunt, solatio potest esse illud, quod Elamas in Meth. 1. p. c. 7. §. 4. tradit, cum ad hoc munus latè doctum esse, qui integram summam casuum saltem unius Doctoris Catholici vel in scholis audierit, vel accuratè & diligenter legerit, vel subinde reperiverit: quia in talibus summis, quantum fieri potest, omnes materiæ casuicæ tractari solent. Nec adeo requiritur summa scientia; nam scholastici nimis subtiliter omnia rimantur, ubique dubitant, & objectiones movent, nec acquiescunt nisi in evidentibus, eujusmodi in re morali vix haberi possunt: unde fiunt perplexi & hæsitabundi, & se aliosque implicant. Unde fit, ut mediocriter docti, sed libera mente & sereno iudicio præditi, plerumque hoc munus meliùs & fructuosius obeant, quam doctissimi quique: non enim oportet in hoc iudicio nimis subtiliter excutere, sed crasso modo, ut ait Victoria in summa n. 120. Inspiciatur praxis Ecclesiæ, quales exponantur Confessarii; certè non omnes doctissimi. Num ideo damnabimus omnes Prælatos Ecclesiæ, quòd tales Confessarios constituant. Intueamur etiam bonitatem & clementiam Christi, quia non vo-

luit instituire carnificinam animarum, ut ait Trident. Sess. 14. c. 5. & cum præsciret, quotidianam fore hujus Sacramenti necessitatem & usum, paucos verò eximie doctos reperitum iri, utique tam exactam doctrinam non exegit: si qui errores committantur, per invincibilem ignorantiam bona fides excusabit.

17. Si quis de seipso dubitet, an sufficienter sit doctus pro audiendis confessionibus, acquiescat iudicio Episcopi, vel alterius Superioris; in dubio enim standum esse iudicio Superioris, communi ter docent: quod tamen cum grano salis accipiendum est; si Superior sit doctus & prudens, ut advertit Tann. D. 6. q. 9. d. 5. n. 96. indocti enim & imprudentis Superioris arbitrio non tutò fiditur, cum non sit eorum officium de doctrina iudicium ferre, quatenus præcisè Superiores sunt, sed quatenus viri docti, prudentes & boni. Experimento enim constat, Superiores quosdam in deputandis Confessariis graviter errare, dum homines profus ineptos exponunt. Sed si necessitas exigat, præstat, qualemcunque, quam nullum, pastorem populo præficere. In tanta tamen Religiosorum copia omne periculum, quod ab indoctis pastoribus oriri potest, videtur facilè caveri posse. Pro articulo verò mortis quilibet satis doctus est, modò essentialia Sacramentorum, quæ in illo articulo ministrari solent, ac debent, nôtit.

ARTICULUS III.

De Prudentia Confessarii.

18. Doctrinæ accedere debet Prudentia, ne quis doctrinâ abutatur, ut sæpe con-

foz

nal
 tentia
 m
 1-4

contingit: siquidem scientia tradit tantum generalia præcepta, variè variis applicanda, pro diversitate circumstantiarum, quas Prudentia considerat: quod enim absolute per se bonum est, mutatis circumstantiis redditur malum, vel econtra. Si verò in ulla re Prudentiâ opus est, tunc maxime opus est, cum confessiones audiendæ sunt: est enim, ut S. Gregorius in pastorali ait, ars artium regimen animarum. Consistit autem Prudentia, quoad præsentem materiam, in sequentibus ferè punctis.

19. I. Ut interroget de peccatis, non de fabulis aut aliis mundanis: qui enim ad peccata Sacerdoti aperienda & expianda venit, non est superius, quæ ad ea non pertinent, aut in alterius infamiam culpabili detractio cedunt, interrogandus. Navar. in Cap. 1. de pœnit. dist. 6. §. Diligens. n. 2. Henriq. l. 6. c. 17. n. 6. ubi notandi sunt illi, qui cum filiis confessionum, quolibet octiduo vel sæpius suam expiantibus conscientiam, longissimum consumunt tempus; non enim id videtur fieri posse, quin multa misceantur, quæ ad sacrum Pœnitentiæ Tribunal non pertinent: extra illud hæc tractentur, & sæpe non dabitur causa variorum de ejusmodi confessionibus sermonum.

20. II. Ut non interroget, nisi de consuetis peccatis, & quæ communiter sunt nota: quærere enim de inconsuetis, & enormibus, nisi generatim, & à longinquo, & per circumlocutionem, nocet confitenti: quia sæpe discit mala, quæ nescit, Navar. n. 3. Et ideo ad ea non descendat, quibus vel talis ætas vel status non solet esse obnoxius; vel quorum ipsimet pœnitentes aliquod indicium non

præbuerunt, v. g. si dixerint, se turpibus cogitationibus fuisse delectatos, jure quæriri potest, an non etiam turpia miscuerint colloquia; & si miscuerint, an non etiam talia fecerint, aut facere concupiverint: quidam enim verecundi sponte ista non produnt, officio suo se satisfacere rati, si occasionem interrogandi præbeant. Sic etiam viri honorati non sunt examinandi de furtis, adulteriis, homicidiis &c.

21. III. Ut non sit nimius aut curiosus, sed quàm cautissimus, & circumspèctissimus, præsertim cum de peccatis carnalibus est sermo: cum enim universim nihil faciendum sit cum scandalo, cap. Nihil. de præscript. & cap. 2. de operis novitunt. id vel maxime cavendum est eo loco, & tempore, quo spirituale anime negotium tractatur. Certè Confessarius, cum sit DEI adjutor, potius id agere debet, ut tollat peccata, quàm ut augeat; & cum sit etiam Pater spiritualis, ut filios suos transferat in adoptionem filiorum DEI, non ut incautè fiant filii perditionis. Itaque non descendet nimis ad particulares circumstantias peccatorum carnalium: sufficit habere perspectam speciem peccati, & circumstantias, quæ cadunt sub specialem prohibitionem, & verbis, quàm potest fieri, honestissimis & modestissimis: qui enim alium interrogandi modum tenent, non tam Confessarii sunt, quàm, ut Angelus vocat, contaminatores confessionis, & sæpissimè peccant mortaliter oblectando se de ejusmodi interrogatis. Hinc Confessarius, si fœmina confiteatur se extra vas debitum fuisse cognitam, prudenter faciet, si nec ipse ulterius (modò sciat, non fuisse concubitum præposterum; hic enim ad Sodomiam

miam, cum spectet, utique cognoscendus, ut peccatum ipsum rectè intelligatur) quidquam interroget de modo procurandæ illius pollutionis, nec permittat pœnitenti ejus modos nimis enucleatè explicare: dicere potius, ut secum cogitet verosimilom numerum, quoties procurata sit pollutio, omiſſis minutioribus circumſtantiis, & uno verbo explicet, toties pollutionem commiſi: & sic in peccato mollitiæ, & aliis ſimilibus faciendum eſt. Neque verò quis dicat, pœnitentem putaturum, ſe non ſatiſfeciffe, & ideo mœſtum, omni conſolatione vacuum è conſeſſionali reſtiturum: ſi enim Conſeſſarius docuerit ipſum, ſufficere, quòd peccatorum ſpecies exprimat, neque neceſſe eſſe, omnes modos peccandi obſcœnos aperire, ponet ſuam ignorantiam, unde naſcebatur deſolatio ſive triſtitia, eique ſuccèdet conſolatio dulciſſima. Videri de hac re poſſunt Fagund. 3. *precept. Eccleſ. l. 4. c. 2. n. 8.* Coninch. *D. 7. d. 7. n. 56.* Tanner. *D. 6. q. 7. n. 63, & 93.* Laym. *l. 5. tr. 6. c. 13. n. 8.*

22. IV. Cùm verò, aliquod grave aut turpe peccatum ab ipſo (nempe pœnitente) audierit, nulla ſigna admirationis, abominationis, aut pavoris oſtendat, veluti ſpuendo, vel ſe cruce ſignando, vel ſe ipſum commòvendo, quin potius, ac ſi nihil audiret, uſque ad finem conſeſſionis diſſimulet, & tunc, cùm jam velit pœnitentiam imponere, peccatorum gravitatem, & deformitatem exponat.

23. V. Ut non ſit præceptum in judicio ferendo: nec ſtatim pœnitentibus reſtitutiones, vel alias obligationes imponat: neque temerè ab iis liberos pronuntiet, donec rem bene perpenderit, ſumpto

R. P. Stoꝝ Trib. Pœnit. Lib. II,

etiam ſpatio deliberandi, ſi clarè verum non perſpiciat.

24. VI. Ut ſit cautus in fide adhibenda pœnitenti: quamvis enim, ut tritum habet axioma, ut plurimum illi credendum ſit, tam pro ſe, quàm contra ſe loquenti, cùm rei ſimul, & Teſtis perſonam ſuſtineat; tamen ſi argumentis moraliter certis deprehendatur mendacium, non debet ei Conſeſſarius credere. Bonac. *de pœnit. D. 5. ſ. 2. p. 2. §. 1. n. 8.* Suar. *T. 4. D. 32. ſ. 3. n. 9.* Hæc & plura alia Prudentia docebit Conſeſſarium, qui ea facilè deprehendet partim ex dictis, partim ex dicendis adhuc.

ARTICULUS IV.

De quibusdam aliis Confessarii virtutibus.

25. Tres adhuc præcipuæ Virtutes ſunt, quibus oportet Conſeſſarium inſtructum eſſe, & conſpicuum, ut officium ſuum cum fructu, imò & cum ædificatione obeat. I. eſt Manſuetudo: cùm enim, ut Granad. apud ſolertiſſimum P. Georg. Gobat in *Alphab. Confess. n. 324.* ait, ad Sacramentum Pœnitentiæ accedere ſit unum ex difficilioribus, quæ in lege gratiæ præcipiuntur, reddi debent, quoad fieri poteſt, minùs difficilia, quæ ad ipſius uſum ſeu ſuſceptionem ſpectant: dummodo iſta lenitas verà, non dubiâ aut apparente tantùm probabilitate nitatur. Itaque aliter cum timidis & ſcrupuloſis, aliter cum duris & laxis agendum eſt: univerſim tamen abſtinendum eſt ab increpationibus, & exprobrationibus, ſignis diſplicitiæ & admirationis, aſperis interrogationibus, ſeveris admonitionibus, multò

B

magis

magis à verbis contumeliosis &c. ne forte pœnitentes deterriti cetera peccata sacrilegè taceant, nec meliùs se absolvi permittant, & unius Confessarii vitio confessionem habeant odiosam; & Confessarius, qui debuisset esse causa salutis, fiat occasio æternæ damnationis. Sæpe tamen objurgationes non sunt omittendæ; duri enim & laxi terrendi sunt; timidi verò & scrupulosi consolandi. Omnibus tamen Confessarius ordinariè se benignum & humanum (non tamen familiarem, præsertim fæminis) exhibeat, ne sua auctoritate per se satis gravem, ut jam monui, exasperet confessionem. Cogitet, se gerere personam Christi, qui pœnitentes blandissimè exceperit, nec ullo verbo asperiore objurgavit: ita, ut, quemadmodum non inficetè observat Fagund. *in 2. præsept. 1.1. a.1. ex Luc. 24.* priùs, quàm Sacramentum Pœnitentiæ instituerit, favum mellis gustarit, ut labiis adhuc melle mendentibus pœnitentiæ amaritiam dulcoraret.

26. II. Est Patientia, quâ nisi sit probè instructus, quomodo rudes, præsertim rusticos, qui suâ imperitiâ meritò bilem movere possunt, audiet? quomodo sine necessitate non quandoque interpellabit confitentes; imò & ingraves, asperas, & contumeliosas etiam increpationes non erumpet; quomodo superabit molestiam proluxæ confessionis? præsertim si imperinentiâ, modò non offensiva alienæ famæ permisceantur, usque dum pœnitens sibi & conscientiæ suæ satisfaciât. Neque enim à quolibet exigenda est plena discretio inter necessaria & superflua: neque statim omnes satis instrui possunt, cum interea abrupta confessione non rarò di-

mittantur cum magna sollicitudine, ut suum statum non sufficienter explicarint.

27. III. est Charitas. Meminerit Confessarius, se pœnitentis & Matrem esse, & Patrem. Itaque sicut mater malè affectam filii partem cum summa cautela tangit, ne vel minimum dolorem causet, ita etiam Confessarius cautissimè accurabit, ne sit unguis in ulcere; sed potiùs id efficiat sua lenitate, ut pœnitens sua vulnera non occultet, sed cum omni animi sinceritate, humilitate, & fiducia detegat curanda. Ut pater paulò quidem rigidior esse potest; semper tamen paternæ charitatis memor oleum potiùs, quàm acrum vulnere infunderet, & verbis suavissimis peccatores ad se alliciet, cum patre cœlesti, qui nullum, quamcunque pervicacem, & gravem peccatorem à se repellit, sed omnes in sinum suæ infinitæ Misericordiæ benignus admittit, immemor injuriæ, tanquàm à nemine offensus. Exemplum tantæ benevolentæ habemus in parabola filii prodigi, qui licèt cum meretricibus suam substantiam absumpserit, nihilominus tamen à paternæ clementiæ sinu non fuit exclusus, sed verbis suavissimis ad spem misericordiæ invitatus, & receptus. Esto ergo in iudicando pupillis (peccatoribus) misericors ut pater, & eris velut filius Altissimi obediens, & miserebitur tui magis, quàm mater. *Ecccl. 4.*

QUÆSTIO II

De Potestate Confessarii.

28. **I**N Ministro Sacramenti Pœnitentiæ, seu Confessario præter potestatem ordinis, & sacerdotalem characterem requiritur etiam alia potestas, ligandi

nimi-

nimirum & solvendi; ad cuius rectum usum ferè duo sunt adhuc necessaria: Approbatio, & Jurisdictio.

ARTICULUS I.

De Approbatione Confessarij.

29. Judicium aptitudinis ad confessiones audiendas noluit Ecclesia proprio Sacerdotis arbitrio relinquere, sed Episcoporum discretioni reservavit Concil. Trid. Sess. 23. cap. 15. de reform. ubi sic loquitur: Quamvis Presbyteri in sua ordinatione à peccatis absolvendi potestatem accipiant; decernit tamen sancta Synodus, nullum etiam Regularem, posse Confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id reputari idoneum, nisi aut parochiale beneficium habeat; aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur necessarium, aut aliàs idoneus judicetur; & approbationem, quæ gratis datur, obtineat; privilegijs aut consuetudine quacunq; etiam immemorabili, non obstantibus. Pro cuius Decreti intelligentia ante oculos habenda sunt, quæ sequuntur. Itaque

30. I. Approbatio non est collatio Jurisdictionis seu potestatis absolvendi à peccatis, sed est authenticum testimonium de aptitudine ad Jurisdictionem recipiendam; includitque duos actus ex parte approbantis; unum internum, judicium scilicet probabile de personæ scientia, prudentia &c. Alterum externum, signum scilicet aliquod Judicij illius verbo vel scripto (nihil enim certi præscriptum est) prolatum.

31. II. Sanch. l. 6. de Matrim. D. 28. n. 20. Coninch. de Sacram. D. 8. d. 7. n. 4.

existimant, approbationem essentialiter requiri ad collationem jurisdictionis, ad eam ut eâ deficiente nulla sit jurisdictio, & consequenter etiam nulla absolutio: probantque id tum auctoritate Cardinalium, qui sic dicuntur declarasse mentem Concilij: tum communi stylo juris, quo invalidum censetur, quod dicitur fieri non posse: tollitur enim potestas, sine qua actus, præsertim judicialis, est nullus: Concilium autem dicto loco expressè ait, sine approbatione confessiones audiri non posse.

32. Verùm alij censent, ea verba continere duntaxat sensum merè prohibitivum, ne quis audiat confessiones prius, quam sit approbatus; non autem, si secus fiat, sensum irritativum, cum nulla in ijs sit clausula irritatoria: quam utriusque Concilium in tetanti momenti non omisisset, si voluisset irritare; sicut Sess. 24. cap. 9. de reform. matrimonia clandestina expressè irritavit. Quapropter terminus ille non semper est irritatorius; siquidem stylo juris dicitur, id fieri non posse, quod licitè & jure fieri non potest: ut pluribus in materia de legibus hac super re disceptatur. Declarationes Cardinalium quando non sunt authenticè promulgatæ, volunt illi, non habere vim obligandi, & tales etiam esse præsentis. Unde si quis bona fide existimaret, approbationem non esse necessariam, & audiret tamen confessiones, hæc quidem juxta istos nihilominus valeret, quamvis peccaret, qui scienter eas exciperet, nondum legitimè approbatus: nec à peccato immunis esset, qui etiam scienter confiteretur non approbato; nisi haberet expressum privilegium eligendi Confessarium, quem vellet. Ita quidem olim

olim discurre relicuit. Sed nunc post declarationem S. D. N. Alexandri VII. particula illa *Non potest* omnino accipienda est in sensu verè irritativo, ita ut invalidè conferatur Jurisdictio illi, qui non est approbatus.

33. III. Est autem hæc Approbatio omnibus Confessarijs necessaria, exceptis paucis, quales sunt I. Parochi, quos Concilium ipsum excipit: hoc enim ipso, quòd ab Episcopo cura animarum illis committatur, hujus Sacramenti administratio tanquam præcipuè ad eam curam pertinens committitur: atque adèd implicite ad confessiones audiendas approbantur. Alia est ratio Sacerdotum simplicium, quos Parochi interdum Cooperatores adsciscunt, indoctos, vel improbos. Cùm igitur hoc jus adlegendi Cooperatorem, adimi non possit, quippe frequenter necessarium in magna populi multitudine, cui Parochus sufficere nequit: ne quoslibet assumeret, vetuit eligi, nisi eos, qui essent approbati. II. Confessarij Religiosorum: siquidem Concilium suam ordinationem restrinxit ad confessionem sæcularium. Unde possunt Religiosi cuilibet non approbato, quantum est ex vi hujus Decreti, confiteri: præterquam Moniales, quarum Confessarij ex speciali Gregorij XV. constitutione indigent approbatione Ordinarij. Ratio verò excipiendi Regulares fuit, tum quòd præsumeret Ecclesia, Religiosos non habere conscientias tam intricatas, ut Medico admodum perito opus haberent: tum quòd confideret, Prælatos ipsos satis pro ea, quam in suos gerunt, cura & solitudine provisuros de idoneis Confessariis. III. Confessarij illorum, qui non adferunt, nisi peccata venialia, in quæ

quilibet Sacerdos habet Jurisdictionem, & hoc ipso Approbationem præsuppositam: neque fuit opus facere delectum Judicium in causa tam levi; modò Confessarius vel pœnitens tam doctus sit, ut sciat esse veniale. Eodem modo excipiuntur peccata jam aliàs confessa, & ritè absoluta. Excipiunt aliqui IV. etiam Doctores vel Licentiatos in Theologia, vel Jure Canonico, quibus publicum Universitatum testimonium judicant sufficere, idque sibi videntur colligere ex verbis Concilij disjunctivè loquentis: *vel ab Episcopo per examen, vel alias idoneus judicetur*; &c. ubi particulam *alias* putant significare alios approbatores. Sed Dian. p. 8. tr. 1. Res. 86. V. Octavus. & Laym. l. 5. tr. 6. c. 11. n. 5. hos meritò refellit: nam sæpe in speculativis eruditissimi, in practicis nihil sciunt, vel si hæc didicerint, carent judicio: unde meritò censentur indigere approbatione.

34. IV. Petenda est approbatio ab Episcopo: huic enim eam potestatem tribuit Trident. l. c. Nomine autem Episcopi intelliguntur etiam Prælati, habentes jurisdictionem quasi Episcopalem in sæculares; item Capitulum sede vacante; ad hoc enim tunc tota Episcopalis jurisdictio præter paucos quosdam casus à jure specialiter exceptos, devolvitur juxta Cap. 14. de Majorit. & obed. Eodem tamen nomine non veniunt Provinciales aut Generales Ordinum. Fagund. in 2. præcept. l. 7. c. 2. n. 57. sufficit autem, si Episcopus per alium, v. g. suum Vicarium Generalem, aut alium, cui id commiserit, approbaverit.

35. Verùm Religiosis præter approbationem Episcopi (cui etiam exempti hac

hac in parte subjiuntur) ad capacitatem Jurisdictionis necessaria est Superioris deputatio ad audiendas confessiones, ut indicatur Clement. *Dudum de sepult. Extrav. Super cathedram. eodem.*

36. V. Sed à quonam Episcopo petenda est approbatio: an ab Episcopo confessarij? vel pœnitentis? Illud prius placet, Filliuc. *tr. 7. c. 9. n. 26.* Bonac. *cit. D. 5. q. 7. p. 4. §. 1. n. 15.* eò quòd sit actus jurisdictionis, vel certè auctoritativa declaratio: & ideo facienda ab habente jurisdictionem in approbandum. Quoniam autem, qui approbandus est, sæpe plures habet Episcopos, unum beneficij, alterum domicilij, tertium originis; Quis istorum approbabit futurum confessarium? Sed his tricis non est opus: etsi enim approbatio sit actus jurisdictionis, non tamen illius, quam contentiosam vocant, sed voluntariæ, cui quisque in favorabilibus subijcere se potest, licet aliàs non sit subditus. Et ideo Henriq. *l. 7. c. 12. n. 4.* & alij apud Fagund. *l. 9. c. 2. n. 88.* docent, quemlibet à quolibet Episcopo approbari posse; cum Concilium Trident. nihil determinarit: & certè praxis religiosorum habet, ut ab ijs Episcopis, à quibus ordinantur, approbentur, licet non sint eorum Episcopi, nec in istorum Diœcesi habitent, nec Episcopi illis denegent, nihil dubitantes de sua potestate.

37. VI. Neque sufficit præcisè petere approbationem, sed necessarium est, eam etiam obtinere. Lugo *de pœn. D. 21. f. 3. n. 50.* Fill. *n. 257.* & alij. Sumitur ex illis Concilij verbis: *Et approbationem, que gratis detur, obtineant.* Spectat hoc etiam ad Regulares Mendicantes, qui, ut videre

est apud Laym. *l. 5. tr. 6. c. 11. n. 4.* & Dian. *p. 3. tr. 2. R. 24.* olim poterant, si injustè ab Episcopo fuerunt rejecti, exponi ad Confessiones audiendas; nunc tamen post Decretum Alexandri VII. id non ampliùs licet. Etsi autem id Decretum loquatur solùm de annua paschali confessione facta religioso non approbato; spectare tamen id ipsum etiam ad reliquas Confessiones, mihi non est dubium propter paritatem.

38. VII. Approbatus ab uno Episcopo poterat olim in alia diœcesi sine nova approbatione recipere jurisdictionem, hodie tamen post decretum Urbani VIII. quod refert Lugo *D. 21. f. 2. n. 29.* & constitutionem Innocentij X. contrarium omnino tenendum est. In eadem tamen diœcesi potest semel approbatus à quocunque, qui eam dare potest, recipere jurisdictionem.

39. VIII. Approbatio semel collata semper durat, etiam post mortem approbantis, donec revocetur; sed revocari non potest nisi justa causa, & quidem juridicè probata, exigat; alioqui revocatio est invalida juxta *Cap. 13. de erat. & qualis. ordinand.* quia per approbationem jus verum est acquisitum, quo nemo sine justa causa privari potest. Laym. *n. 6.* Fill. *à n. 256.* Et ideo peccant Episcopi, si eam sine superveniente nova causa revocent. Qualis est v. g. si accedat morum improbitas, mutatio judicij, scientiæ &c. Laym. *n. 3.* Hinc si talia cum tempore emergant, possunt, præsertim à successore Episcopo ad examen revocari non tantùm seculares, sed etiam regulares. Lugo *n. 61. & 62.*

40. IX. Quod demum attinet ad examen, potest is, cujus est approbare, il-

lud remittere, ut clarè indicant verba Concilij supra n. 30. recitata, si videlicet ipsi aliunde satis cognita sit aptitudo approbandi. Certè Episcopi Germaniæ ferre omnes, teste solertissimo P. Georgio Gobat in Alphab. Confess. religiosos minimæ nostræ Societ. ad hanc incudem non trahunt, rati, sufficere tot & tam rigida examina, quæ illi subire debent prius, quàm ad sacrum presbyteratûs ordinem promoveantur, ex quibus meritò approbator præsumere potest, non mitti à nostris superioribus nisi idoneos; ac proinde securus esse in conscientia, etsi ipse experimentale iudicium de hæc aptitudine ferre nequeat.

ARTICULUS II.

De Jurisdictione Confessarij.

41. Ad Absolutionem à peccatis necessaria etiam est in Sacerdote Jurisdictio, ut constat ex Concil. Florent. in litt. Union. & Trid. sess. 14. cap. 7. Ratio, quia Absolutio à peccatis juxta institutionem Christi est actus judicialis: ergo absolvens aliquem debet necessariò in eum, tanquam in subditum, habere Jurisdictionem. Hæc autem Sacerdotibus non confertur vi suæ Ordinationis, in qua accipiunt quidem potestatem remittendi, & retinendi peccata, Joan. 20. Sed potestas ista est tantum aliqua capacitas & habilitas, quâ possunt, superveniente Jurisdictione, absolvere eos, qui ad ipsos veniunt. Dicast. de Pœnit. Disp. 10. n. 81. Sicut Doctor aut Licentiatu Juris vi sui gradûs & doctrinæ non habet Jurisdictionem, sed tantum capacitatem, ut jurisdictionem accipiat, eaque acceptâ

causas ad se deferendas validè decideret. Quare non rectè sentiunt, qui potestatem ordinis confundunt cum potestate Jurisdictionis; Illa enim convenit omnibus Sacerdotibus, & æqualiter se in omnibus extendit ad omnia fidelium peccata. Laym. l. 5. tr. 6. cap. 10. n. 2. neque amplius tolli potest; Ista autem opposito modo se habet.

42. Jurisdictio, prout hîc non pro potestate gubernativa, sed tantum pro potestate administrativa Justitiæ sumitur, est potestas causâ cognita dicendi Jus & ferendi sententiam. Ut autem hæc definitio præsentî materiæ magis applicetur, addi potest: in foro interno ad peccata solvenda vel liganda. Unde etiam clarum est, quantum differat ab Approbatione Episcopi, quam sup. n. 30. defini- vimus.

§. I.

De Jurisdictione Confessarij duplici; & imprimis de Ordinaria.

43. Jurisdictio modò explicata est duplex. Altera ordinaria; altera delegata. Illa est, quæ alicui competit ratione proprii officij, quod gerit: & confertur hoc ipso, quod ei officium, cui est annexa, committatur tanquam proprium. Ista verò est, quæ alicui non ex proprio suo officio, sed tantum ex commissione alterius competit. Hæc porro commissio fieri potest directè vel indirectè. Directè fit, cum immediatè ipsi Sacerdoti tribuitur Jurisdictio, sive jam per generalem dispositionem Juris, sive per specialem concessionem hominis, sive per con-
sue-

suetudinem. Indirectè autem fit, cùm ipse superior tribuit quidem Sacerdoti Jurisdictionem, sed tantùm mediante designatione, factà à penitente, qui per Jubilæum vel Bullam habet facultatem eligendi sibi Confessarium, quemcunque vult.

44. Jurisdictionem ordinariam ad audiendas confessiones habent omnes, qui ex officio gerunt animarum curam; adeoque I. summus Pontifex, & quidem in omnes baptizatos toto orbe dispersos. Est enim Pastor universalis, cui Christus sine omni exceptione commisit oves suas, cùm *Joan. 20.* dixit Petro: *pasce oves meas.* II. Summus Pœnitentiarius Pontificis, & quidem etiã in omnes fideles. *Laym. l.c. n. 3.* III. Quilibet Episcopus; & IV. quilibet Parochus; sed uterque cum restrictione ad suos tantùm subditos: qualis constitui aliquis potest quadruplici modo, nimirum 1. stabili & perpetuo domicilio. 2. ðturna commoratione seu quasi domicilio; quo modo studiosi, mercatores, famuli, milites præfidiarii &c. subjiciuntur Parocho loci & Episcopo diæcesano quoad Sacramenta, excepto Sacramento Ordinis. *Laym. cit. cap. 10. n. 5.* Palao de Pœnit. *disp. un. p. 13. n. 11.* 3. vagatione, qui enim nusquam habent domicilium, possunt, ubicunque pro tempore versantur, confiteri; neque tantùm Parocho loci, sed cuilibet alteri exposito. *Laym. l.c. n. 7.* 4. peregrinatione. Nam qui versantur in itinere (modò id non subterfugiendi proprii Parochi causâ susceperint. *Palao. l.c. n. 12.*) possunt ex tacito suorum Parochorum consensu, & recepta consuetudine confiteri Parocho, vel cui-

vis alteri exposito ejus loci, in quem perveniunt; & quidem etiã pro paschate, si ad propriam parochiam facilè non possint accedere. *Laym. l.c. n. 9. & alii.* V. Superiores regularium in suos religiosos; ita ut superiores mediati, v. g. Generales, Provinciales &c. si exempti sint, habeant in suos subditos regulares Jurisdictionem quasi Episcopalem; superiores autem immediati sive locales v. g. Quardiani, Rectores &c. quasi Parochialem, participantes tamen aliquid de Episcopali in eo, quod subditos regulares possint etiã in foro externo judicare, & censuras infligere, nisi in quibusdam ordinibus id ipsis sit specialiter prohibitum. *Hurt. de censur. in com. Diffic. 4. n. 12.* Et verò quia regulares, ubicunque locorum existant, semper manent suis superioribus subjecti, ideo sine eorum facultate nulli possunt confiteri; neque Pontifex, quando dat alicui potestatem in omnes fideles, censetur sub illis religiosos comprehendere, ne ordo regularis turbetur juxta *Reg. 81. in 6.* usus tamen fert, ut regulares peregrinantes saltem ex præsumpta voluntate superiorum, si ordinis socium non habeant, à quovis alio etiã seculari absolvantur; exceptis reservatis, de quibus vide *Laym. cit. cap. 10. n. 10.* VI. Ordinariorum Vicarii, saltem perpetui; imò, ut *Coninch. de Pœnit. Disp. 8. dub. 4. n. 30.* habet, etiã temporales, maximè Generalis Vicarius Episcopi. Item Vice-Quardiani, Vice-Rectores &c.

45. Ordinarii possunt suam Jurisdictionem etiã extra fines sui spiritualis territorii exercere in absolvendis subditis à suis peccatis; modò hi mancant ibi adhuc

foz

Anal
tentia
m
A

adhuc subditi. Ratio, quia hæc Jurisdic-
tio, cum tendat ad salutem animæ, est
favorabilis & gratiosa; ergo potest v. g.
Parochus Monacensis suum parochia-
num etiam Ratisponæ validè & licitè ab-
solvere. Licitè tamen in alieno templo
pro tribunali non sedebit incito & invito
ejus loci Parocho; sicut religiosi, etsi fa-
cultatem habeant ubique prædicandi, in
templo tamen parochiali invito Parocho
prædicare licitè non possunt. Extrav. com.
cap. 1. de privil.

46. Jurisdictionem ordinariam ad ab-
solvendum à peccatis amittit aliquis 1.
per officii, cui annexa est, amissionem;
resignatione, translatione, depositione,
privatione, vel quovis alio modo legiti-
mè factam. 2. per excommunicationem
majorem, vel suspensionem ab officio;
Quamvis per ejusmodi Censuram Juris-
dictio non tam amittatur, quàm suspen-
datur; & quidem tunc tantum, quando
censuratus non est toleratus; qualis ne-
mo est, nisi sit publicè denunciatus, vel
notorius percursor Clerici. Censurati
tolerati, quia ex dispositione Concilii
Constant. in gratiam innocentum reti-
nent Jurisdictionem, validè possunt ad-
huc absolvere; imò, si quis fidelium pe-
tat, etiam licitè: sin autem ultrò se in-
gerant ad audiendas Confessiones, pec-
cant. 3. Generalis Vicarius Episcopi
amittit suam Jurisdictionem, cum eam
amittit Episcopus, iisdemque modis; &
quando hujus, tunc etiam illius suspendi-
tur Jurisdictio, quia est una & eadem
utriusque, habetque eam Vicarius depen-
denter ab Episcopo. Dicast. de Pœnit. disp.
10. n. 143.

47. Omnes, qui habent Jurisdictio-

nem ordinariam, absolventi à peccatis,
sup. n. 45. recensiti, possunt eam, nisi
specialiter à superiore prohibeantur, de-
legare alteri. Coninch. de Pœnit. disp. 8.
dub. 4. toto. ex cap. 7. de off. ord. in 6.
sed tantum Sacerdoti approbato, & nul-
la censura vitanda irretito. Hurr. disp. 6.
de Excom. disp. 2. n. 4. si quidem loqua-
mur de Ordinariis Pontifice inferioribus,
& in ordine ad excipiendas Confessiones
Secularium, & Monialium, vide sup.
n. 34.

§. II.

De Jurisdictione delegata Con- fessarii.

48. Qui autem delegatam tantum
habent Jurisdictionem ad audiendas
Confessiones, regulariter eam alteri sub-
delegare non possunt. Ratio, quia de-
legatus nihil potest, nisi quod & quan-
tum ipsi à delegante conceditur; sed re-
gulariter conceditur tantum, ut ipse pos-
sit delegatam Jurisdictionem exercere,
cognoscendo causam, decidendo &c. &
non ut possit commissam Jurisdictionem
alteri committere, ergo. Dixi regulariter.
Nam I. subdelegare commissam sibi Ju-
risdictionem absolventi à peccatis potest
delegatus à Principe, qui hic est summus
Pontifex: modò tamen Princeps non
specialiter industriam ejus personæ dele-
gerit; vel ei non Jurisdictionem, sed
tantum executionem seu nudum ministe-
rium commiserit. Laym. l. 5. tr. 6. cap.
10. n. 12. II. delegatus legatus à latere.
Laym. cap. super questionum: 27. de off.
deleg. n. 7. III. delegatus ad universita-
tem aliquam causarum; sed tunc tan-
tum,

tum, quando ei ratione alicujus proprii sui Officii vel Dignitatis est Jurisdictione per perpetuum quasi privilegium commissis; vel quando ei concessum est officium quidem tantum vicarium; sed cui ex se Jurisdictione annexa sit. Talis enim delegatus exercet Jurisdictionem quasi ex officio, fungitur quasi ordinario munere, censeturque ejus Jurisdictione quasi ordinaria. Laym. cit. cap. 10. n. 13. ergo potest eam subdelegare; non tamen generaliter, sicut ipsi commissis est, sed tantum pro facti contingentia in casibus particularibus: nisi aliud rationabiliter presumi possit de mente primi delegantis; vel recepta consuetudo aliud ferat. Vi cujus presumptionis etiam temporalis Vicarius alicujus Parochie potest quandoque alteri Sacerdoti subdelegare generaliter certam partem Jurisdictionis parochialis; v.g. ad audiendas parochianorum Confessiones; imò vi consuetudinis potest quandoque etiam totum suum officium ad breve tempus, quo ipse abest, vel aliter impeditus est, alteri committere, sibi que alium vicarium substituere. Dicast. de pœnit. disp. 10. n. 120. Quod si delegato ad universitatem causarum competat Jurisdictione, non ratione alicujus Dignitatis, vel sui officii proprii, aut vicarii, ut paulò antè dictum, sed præcisè tantum jure delegationis, tunc ille non potest eam subdelegare. Ratio, quia Jurisdictione, quam ille habet, non est annexa ulli officio, ergo non potest haberi pro quasi ordinaria, sed est simplex tantum ac nuda, & delegato committitur tantum propter singularem ejus personæ industriam, vel ex speciali aliquo erga eum favore: ergo commissio est me-

R. P. Sroz. Trib. Pœnit. Lib. II.

rè personalis, neque potest personam egredi. vide Dicast. de pœnit. cit. Disp. 10. à n. 112. IV. delegatus cujusvis etiam inferioris ordinarii, si hoc ei ab isto expressè vel tacitè concedatur, potest delegatam Jurisdictionem alteri subdelegare, si non suo, saltem primi delegantis nomine. Laym. cit. cap. 27. n. 9. V. Tertia. ubi id contra alios bene probat. Et hoc modo Cooperatores à suis Parochis missi in aliquam Ecclesiam ad audiendas confessiones, si multitudine pœnitentium obruantur, possunt assumere alium approbatum sacerdotem, & commissam sibi Jurisdictionem eidem subdelegare. Laym. cit. cap. 27. n. 10. V. Corollarium. & cit. cap. 10. n. 14. Dicast. l. c. n. 117.

49. Ex quibus patet, quod Mendicantes, etsi habeant Jurisdictionem delegatam à summo Pontifice ad audiendas confessiones fidelium, eosque absolvendos ab omnibus peccatis, etiam reservatis; ut mox n. 51. dicam, atque adeo sint etiam delegati ad universitatem causarum; quia tamen Jurisdictione hæc non est annexa alicui officio proprio vel vicario, & conceditur mendicantiis ordinibus ob singularem eorum industriam, vel ex speciali erga eos favore, sicque est privilegium ordinis; ideo non possunt illi hanc Jurisdictionem aliis regularibus vel secularibus subdelegare: nisi ad hoc ipsum habeant speciale Pontificis privilegium; de quo vide Gobat. tr. 7. à n. 103.

50. Nulla certa forma, sub qua delegatio vel subdelegatio fieri debeat, est in jure præscripta. Sufficit ergo quodvis externum signum, quo delegans suam voluntatem alteri sufficienter manifestet; sive jam explicite, concedendo disertis

C

verbis

verbis Jurisdictionem sacramentalem; si-
ve implicite, committendo v.g. offi-
cium, cui hæc Jurisdictio vel de jure,
vel de consuetudine annexa est. Imò
etiam subinde taciturnitas ipsa pro signo
delegationis habetur, concurrentibus
tamen duabus circumstantiis. I. est, ut
delegans sciat, alterum velle exercere
actum jurisdictionis quæ talem. II. est,
ut facile possit, si vellet, contradicere,
nullo metu vel verecundia prohibente:
si ergo tunc non contradicit, consentire
videtur juxta *Reg. 45. in 6.* Et hæc vo-
catur Ratihabitio *de presenti*; in qua si
quandoque accidat, ut ille, qui putatur
in datis circumstantiis consentire, revera
non consentiat, nihil id obest valori Sa-
cramenti; quidquid dicat *Laym. l. 5. tr. 6. cap. 10. n. 16.* quia Ecclesia in tali casu
supplet defectum Jurisdictionis in gra-
tiam pœnitentium, bona fide confiten-
tium; ut universim de omni Jurisdic-
tione probabiliter existimata tradit *Bonac. disp. 5. q. 7. p. 4. §. 1. n. 13.* & ipse
Laym. l. 1. tr. 4. cap. 22. n. 8. de quo *inf. n. 53.* At verò existimatio de futuro con-
sensu, seu ratihabitione (quod scilicet de-
legans, quando resciverit, postea futu-
rus sit contentus) non sufficit ad valo-
rem Sacramenti Pœnitentiæ; quia abso-
luto Sacramentalis non valet, si fiat eo
tempore, quò absolvens adhuc caret Ju-
risdictione; atqui absolvens sub consen-
su seu ratihabitione futura alterius caret
tunc, cum absolvit, adhuc jurisdictione;
eam enim tantum acquirit per de-
legantis consensum, qui tunc nondum
existit, sed postea primum extiturus est:
multò minùs potest Sacramentum Pœni-
tentiæ, positâ debitâ materiâ, formâ &

intentione Ministri manere quoad suum
valorem vel nullitatem suspensum, & pen-
dere à futuro aliquo eventu, ut docetur in
*tr. de Sacram. cum Sacramenta operen-
tur positis omnibus ad agendum requisi-
tis ut causæ necessariæ. vide inf. n. 85.* Ne-
que dicas ratihabitionem retrotrahi, &
mandato comparari, *Reg. 10. in 6.* quia
hoc locum habet in iis tantum actibus,
quorum valor immediatè pender à sola
voluntate ratificantis. *Dian. p. 6. tr. 6. Res. 57.* *Dicastillo de Pœnit. disp. 10. n. 166.*
Absolutio autem Sacramentalis pender
etiam, & vel maximè à voluntate Mini-
stri absolventis. Vide *Peckium in cit. Reg. 10. n. 17.* ubi ait, eam locum quo-
que non habere in actibus, qui pendere
non possunt; qui consensum pro for-
ma requirunt, vel id, quod à consensu
provenit; uti provenit etiam Jurisdictio
delegata à consensu & voluntate dele-
gantis.

§. III.

Quomodo intelligenda delegata Jurisdictio?

51. Delegatio Jurisdictionis Sacra-
mentalæ, etsi sit in materia favorabili,
animarum salutis proficua, & nemini no-
xia, debet tamen intelligi cum certis li-
mitationibus. Itaque I. intelligi semper
debet intra limites potestatis, quam ha-
bet delegans; quia nemo alteri dare po-
test, quod ipse non habet. II. etsi de-
legans utatur verbis generalibus & nihil
excipientibus, non tamen semper cen-
setur velle, totam suam potestatem alteri
conferre; quia in generali concessione
intelliguntur excepta, quæ ob suam spe-
ciali-

cialitatem difficilius, & rarius concedi solent juxta Reg. 81. in 6. & Clem. 5. de priviil. III. concessa generalifacultate absolvendi à casibus Pontifici reservatis, non comprehenduntur casus Bullæ Cænæ; quia horum est arctior reservatio. IV. concessa facultate absolvendi à casibus etiam Bullæ Cænæ, non censetur concessa facultas absolvendi ab hæresi; quia hujus est strictissima reservatio. Quamvis Coninch. disp. 14. d. 16. n. 245. doceat, interdum ex circumstantijs loci, pro quo talis facultas datur (ubi nimirum viget hæresis) posse aliud præsumi. V. si Pontifex concedat generaliter alicui potestatem etiam in casus sibi reservados, docet Præpos. de pœnit. q. 9. d. 1. n. 7. Hurt. de Excom. disp. 15. diff. 3. n. 14. & alij, hoc ipso implicite concedi etiam in casus Episcopo reservados; quia alioqui foret in potestate Episcoporum, sicut casus sibi reservare, ita & gratiam Pontificis pro suo arbitrio restringere. Sed hæc doctrina admitti hodie amplius non potest, quia inter propositiones ab Alex. VII. 1665. 2. Oct. prohibitas, est ista duodecima: *Mendicantes possunt absolvere à casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate*, & tamen Mendicantibus concessa generaliter est facultas absolvendi ab omnibus casibus etiam Pontifici reservatis, ijs exceptis, qui in Bulla Cænæ continentur. Unde patet, quòd Pontifex velit ejusmodi concessionem suam intelligi cum hac limitatione: *nisi quem ex omnibus Episcopus aliquis sibi reservaverit vel reservet*. VI. concessa potestate absolvendi à peccatis conceditur hoc ipso potestas etiam absolvendi à censuris, tali peccato à jure

impositis, & non reservatis, juxta cap. 29. de sent. Excom. Quod cap. etsi tantum loquatur de Excommunicatione, meritò tamen sicut in foro externo, ita etiam in interno extenditur quoque ad censuram Suspensionis & Interdicti. Suarez de censur. Disp. 3. Sect. 4. contra Hurt. diff. 1. n. 5. id ideo negantem, quia absolutio à peccatis requirit etiam absolutionem ab Excommunicatione; non item à Suspensione vel Interdicto. Verùm prædicta extensio non fundatur in connexione unius absolutionis cum altera, sed in generali ratione censuræ, de qua cit. cap. 29. dicitur, quòd quando conditor canonis ejus absolutionem sibi specialiter non reservavit, eo ipso concessisse videtur facultatem alijs relaxandi. VII. concessa facultate absolvendi à censuris non censetur concedi facultas absolvendi à censuris, quæ sunt reservatæ; uti nec illæ, quæ sunt ab homine latæ, nisi que ligantur certæ personæ vel communitates sibi per sententiam judicalem, sive per præceptum particulare. Ratio prioris membri per se patet; posterioris verò est hæc; quia alioqui turbarentur tribunalia judicum, & tolleretur disciplina Ecclesiastica; eorum enim censuræ faciliè possent elidi, & cludi, recurrendo pro absolutione ad aliquem habentem generaliter potestatem in censuras.

§. IV.

Quæ, & quibus competat?

51. Jurisdictio Sacramentalis est delegata Sacerdotibus. I. expressè ab ipso jure in articulo mortis Trid. sess. 14. cap. 7. In eo ergo articulo omnes Sacerdotes, quo-

foz

 1 mal
 tentia
 m
 A

quomodocunque censurati, vel etiam hæretici, possunt quemlibet à quibusvis casibus & censuris absolvere: si quidem desit alius ordinaria vel delegata potestate præditus; vel saltem approbatus; vel non ita censuratus. Dixi: *si quidem desit alius*. Nam si præsens sit, qui etiam extra mortis articulum absolvere possit, docent graves Auctores, alterum invalidè absolvere, eò quòd facultas illi concessa sit tantum pro casu necessitatis, qualis tunc non est. Concessa autem propter necessitatem cessant cessante necessitate. Gloss. Reg. 76. in 6. Laym. l. 5. tr. 6. cap. 12. n. 14. cum multis alijs. Sed contrariam sententiam tradunt ex veteribus multi, & ex recentioribus plurimi, relati à Dian. p. 1. tr. 5. Res. 5. & p. 4. tr. 4. Res. 161. & 235. & p. 5. tr. 3. Res. 57. 60. & 67. tr. 13. Res. 12. & sequitur cum ipse, tam Tamb. de exped. Confess. l. 3. cap. 7. §. 1. n. 1. & est æquè probabilis; videlicet quemlibet etiam simplicem Sacerdotem, saltem censurâ non tolerata liberum, posse quosvis, præsentem quoque proprio aut privilegiato Sacerdote, ab omnibus peccatis & censuris absolvere; quia Trid. & antiqui Canones absque ulla distinctione & mentione de absentia vel præsentia sacerdotis habilioris loquuntur. Ubi autem lex non distinguit, neque nos debemus distinguere. Sed de hoc vide plura infra n. 65.

53. II. In communi errore, cum nimirum confessarius, qui nec ordinariam nec delegatam habet jurisdictionem, in eo tamen loco, ubi Confessiones audit, per communem errorem populi putatur eam habere ob aliquem coloratum titulum, quia v. g. pro parochia se gerit, aut tan-

quam Religiosus privilegiatus exponitur. In hoc enim casu Ecclesia in gratiam pœnitentium, ne alienâ malitiâ vel ignorantia illis incommodet, supplet, vel potius confert jurisdictionem pro tali actu. Quod licet in specie non reperitur à Jure expressum; rectè tamen ex generali illo principio deducitur, quòd *sacrorum canonum statuta*, ubi ipsa nihil determinant, *Principum constitutionibus adjuvantur*, cap. 1. de novi op. nunt. Nam in famosa illa L. Barbarius. 3. ff. de off. Praetor. statuitur, acta & decreta ejus, qui per communem errorem putabatur habere potestatem prætoriam, cum tamen re ipsa non haberet, non esse reprobanda; idque propterea, quia Populus Romanus potuit ei dare illam potestatem, & propter utilitatem eorum, qui apud ipsum lege vel alio jure egerunt, censetur voluisse dare. Cum ergo in foro Pœnitentiæ quoque plurimum intersit, Confessiones, bona fide factas, non esse ex solo defectu jurisdictionis in Ministro invalidas; Ecclesia autem possit confessario dare Jurisdictionem, quam alicubi per communem errorem putabatur habere, cum non habeat; meritò censetur etiam velle dare. Quod tamen cum hac quadruplici limitatione intelligendum est, 1. ut plerique in illo loco ignorent, confessarium carere Jurisdictione; nam si pauci tantum ignorent, non est propter eos tam extraordinarium remedium adhibendum. 2. ut hæc Jurisdictio non stabiliter, sed pro singulis tantum actibus censeatur concessa. 3. ut non censeatur esse amplior, quam requirit titulus, v. g. parochialis, quem confessarius præfert. 4. ut propterea ipse confessarius,

rius, conscius sui defectus, non sit excusatus à peccato; quia Ecclesia non in ipsius, sed tantum in pœnitentium, communi errore laborantium, gratiam supplet Jurisdictionem. Suar. *de cens. disp. 11. sect. 3. num. 13.*

III. Quando ob rationem & auctoritatem Doctorum verè probabile est, Confessarium habere potestatem absolvendi à peccatis, quam tamen re ipsa fortè non habet. Cum enim Confessarij, qui tali modo judicant se habere potestatem absolvendi, licitè possint juxta Dian. *p. 9. tr. 7. Res. 59. & alios*, atque adeò sepe etiam soleant absolvere, ad Ecclesiam providentiam & curam spectat, ut si probabilis illa opinio à parte rei sit falsa, & Confessarij re ipsa jurisdictionem non habeant, ipsa eam in tali casu suppleat, & conferat, ne tot confessiones vel fiant invalidæ, vel ob dubium sint repetendæ, vel pœnitentes in periculum damnationis conjiciantur. Dian. *p. 8. tr. 1. Res. 3. Palao tr. 1. Disp. 2. p. 5. n. 9.*

54. IV. Quilibet Sacerdos, etiam non approbatus, modò non sit ob censuram aliquam vitandus, vel degradatus, habet Jurisdictionem seu potestatem absolvendi quemlibet à venialibus, uti & à mortalibus jam semel per confessionem ritè expiatis. Dian. *p. 5. tr. 14. Res. 86. & p. 8. tr. 1. Res. 86.* Habent enim Sacerdotes hanc potestatem non jure divino & vi sui ordinis, ut aliqui probabiliter quidem volunt apud Dicast. *de pœnit. Disp. 10. n. 433.* sed juxta probabiliorem & communiorrem, tantum est ijs delegata ab Ecclesia & jure Ecclesiastico consuetudinario, de quo testatur consensus DD. apud eitt. Unde etiam Sacerdotibus eandem iterum

aufferre potest Pontifex, si velit, Dian. *p. 8. tr. 1. Res. 55.*

V. Ex consuetudine habet etiam quilibet Sacerdos approbatus delegatam Jurisdictionem, seu potestatem absolvendi quemlibet Episcopum, vel Cardinalem. Dian. *p. 8. tr. 1. Res. 85.* sicut & quemlibet alium Sacerdotem secularem. Gobat *tr. 7. n. 82.*

VI. Non tantum Parochus, sed etiam quilibet alius Sacerdos approbatus & expositus in aliquo loco ad audiendas confessiones, habet delegatam potestatem absolvendi quemlibet laicum, qui est vagus. Laym. *cit. cap. 10. n. 7.* vel in eo loco peregrinus. Idem *ibid. n. 9.* An autem talis Parochus vel expositus unius loci habeat simili modo delegatam potestatem absolvendi alterius vicini vel remoti parochianos, qui illac transeunt tanquam viatores, vel eò peregrinationis seu devotionis causâ veniant, pendet ex diversorum locorum, & Diocesum consuetudine; ad quam proinde attendendum est. Universaliter affirmat Palao *de Pœnit. D. nn. p. 13. n. 12. Bonac. tom. 1. Disp. 5. q. 6. sect. 5. p. 2. n. 5. & seqq.* modò non ideo tantum iter ineant, ut alteri Parocho confiteri possint. *sup. n. 45.* In locis, ad quæ est solemnior peregrinatio, communiter Sacerdotes ibi expositi habent à suo Episcopo expressè delegatam generalem potestatem absolvendi omnes subditos diocesanos; ad exteros autem absolvendos habent saltem tacitè ab alijs Episcopis, vel Parochis concessam, quamdiu isti non expressè contradicunt. Illud addo, quòd, si consuetudo sit diocesana, ut quivis Parochus cujusvis alterius parochianos ad se accedentes absolvat, validè & licitè adhuc

id fiat, etiam si unus aut alter Parochus expressè contradicat, & suis parochianis prohibeat; quia unus vel alter Parochus communem totius Diœcesis consuetudinem non potest immutare, nec jus per eam alijs tam Confessarijs quàm pœnitentibus attributum auferre. *Dicast. de pœnit. Diss. 10. n. 178.* Aliud foret, si consuetudo esset tantùm particularis aliquarum Parochiarum: ea enim hoc ipso tollitur, quòd Parochus loci illi expressè resistat; quia hoc ipso non amplius adest, ne quidem tacitus Ordinarij v. g. Parochi consensus de præsenti; qualis est scientia & patientia illius, à quo pender illa consuetudinaria delegatio Jurisdictionis.

VII. Jurisdictionem delegatam ab homine habet, cui eam ordinarius vel delegatus aliquis ex ijs, de quibus *sup. n. 48.* concedit.

§. V.

Quomodo amittatur?

55. Jurisdictio delegata absolventi à peccatis amittitur I. si commissum officium, quod eam annexam habet, amittitur v. g. Vicaria. II. lapsu temporis, si ad determinatum tempus fuerit concessa. III. revocatione delegantis. IV. si delegans eam concessit cum hujusmodi clausula: *donec volvero; ad meum beneplacitum &c.* tunc juxta communem censetur expirare morte concedentis, quia per mortem sicut homo, ita & hominis definit esse voluntas, & placitum. *Laym. l. 1. tr. 4. cap. 23. n. 17.* V. tamen morte concedentis, etiam re adhuc integra, non expirat, si ab eo absolutè & simpliciter fuit alicui concessa, ut DD. colligunt *ex cap. Si cui. 36. de præbend. in 6. & illud*

de concessione non tantùm à Pontifice, sed etiam ab alijs inferioribus v. g. ab Episcopo, Parocho &c. facta intelligunt. *Dicast. de pœnit. Diss. 10. n. 136. Laym. cit. cap. 10. n. 22.* eò quod universim nulla gratia facta morte concedentis expirat. *Sanch. l. 8. Matr. Diss. 28. n. 72.* atqui potestas absolventi, cum sit proximè & directè concessa ipsi Sacerdoti in ejus favorem & honorem, censetur esse gratia facta, & quidem, ut *Laym. l. c. n. 23.* indicat, talis, quæ non habeat rationem mandati, sed beneficij; quæque non exerceatur nomine concedentis, sed Christi, ergo delegata Jurisdictio ad absolventi, etiam rebus adhuc integris, non expirat morte concedentis. Neque de hac intelligi possunt contraria jura, sed tantùm de alia, ejusmodi prærogativa non habente. Unde jam Pœnitentiarius vel alius Confessarius ab Episcopo; vel Cooperator, uti & Vicarius ad tempus à Parocho cum delegata potestate constitutus potest etiam post cognitam Episcopi vel Parochi mortem suo officio adhuc fungi, & pœnitentes absolvere. *Dicast. l. c. n. 139. & Laym. cit. n. 22. in fine.* ubi testatur ita etiam habere praxin; & quamvis *l. 1. tr. 4. cap. 23. n. 18. in fine* dixerit, sibi quoad Vicarium & Cooperatorem placere contrariam sententiam Garcia; addidit tamen, hæc in re cujusvis Diœcesis consuetudinem esse attendendam. Præterea morte, re integra, non expirat Jurisdictio, si concedens delegaverit eam cum clausula: *ad beneplacitum Sedis Apostolicæ;* quia Sedes non moritur. *cap. Si gratis. 5. de Rescript. in 6.* vel cum clausula: *donec revocavero;* si enim vivus non revocet, mortuus revocare

non

non amplius potest. Et quia Palao de Legibus. D. 4. p. 16. §. 5. n. 5. putat huic clausulæ juxta communem loquendi modum æquivalere illam: *quamdium voluero; ad meum beneplacitum*, ideo probabile cenlet, jurisdictionem etiam cum istis clausulis delegatam non expirare morte delegantis.

ARTICULUS III.

De Reservatione Casuum.

De hac quoque dicenda sunt hinc aliqua, ut, quæ ad Jurisdictionem Confessarii spectant, plenius intelligantur.

§. I.

An detur Reservatio? & quid sit?

56. Esse in Ecclesia potestatem reservandi peccata, eamque habere summum Pontificem in universa Ecclesia, & quemlibet Episcopum in sua Diœcesi, atque ita, ut vim habeat non tantum in externa potestate, sed etiam coram DEO; ad ædificationem tamen non ad destructionem, definitum est in Trid. Sess. 14. cap. 7. & can. 11. Idque merito. Tum quia ad rectam Christiani populi gubernationem spectat, non quævis peccata à quovis Confessario absolvi; cum in tanto eorum numero, quantus est necessarius, non omnes habeant peritiam sufficientem ad cujusvis peccatoris directionem & emendationem. Tum quia difficultas in ad eundo Superiore pro absolutione est oportunissimum frænum ad fideles à gravioribus peccatis coercendos.

57. Reservatio itaque casuum est actus, quo Superior alicui inferiori, vel

non concedit Jurisdictionem in aliqua peccata; vel jam antea concessam iterum aufert. Casus autem reservatus est ille, à quo inferior aliquis Confessarius nequit absolvere ob defectum Jurisdictionis sibi à Superiore in illum non concessæ, vel iterum ablatae. Jurisdictio enim si sit delegata, pendet ejus concessio & ablatio, ampliatio & restrictio ab arbitrio delegantis. Ordinaria competit quidem alicui ratione proprii sui officii, cui jure humano tantum, vel etiam divino annexa est; sed quia nihilominus semper, saltem quoad modum ampliationis & restrictionis manet subiecta dispositioni legitimi Superioris; ideo Jurisdictionem ordinariam Parochi Episcopus, & utriusque potest Pontifex restringere, atque in aliqua peccata non concedere, vel concessam antè iterum auferre. Dicast. de pœnit. Disp. 11. dub. 1. Laym. l. 5. tr. 6. cap. 11. num. 1.

§. II.

Quorum peccatorum soleat fieri Reservatio?

58. Porro circa reservationem sunt observanda seqq. 1. Quamvis ab Ecclesia possint validè reservari etiam peccata venialia, uti & mortalia jam semel confessata, merè interna, & dubia, sicut Dicast. de pœnit. disp. 11. dub. 4. 5. & 6. cum aliis probat; ut tamen peccatum aliquod censetur defacto à Superiore reservatum, debet illud 1. esse mortale; venialia enim, cum nemo teneatur confiteri, frustra reservarentur. Dicast. l. c. n. 31. 2. extraordinariam aliquam habere gravitatem, quæ exigat extraordinarium talem rigorem & curam. 3. prodire in actum externum,

f 02

1. mal
 2. tentia
 3. m
 4. A

ternum, ita quidem, ut ratione ipsius actus externi sit mortale. Nam si furtum v. g. sit alicubi reservatum, non sufficit, id cum animo mortaliter malo fuisse factum; sed necesse est, ut etiam ipsa res exterius ablata sit materia sufficiens ad mortale. Bonac. *Disp.* 5. q. 7. p. 5. §. 1. n. 5. Dian. p. 5. tr. 5. Res. 46. & alii. Sic etiam cum alicubi reservatur omnis actus externus & voluntarius contra votum Castitatis, non debent aspectus, tactus, colloquia &c. haberi pro reservatis, si non sint mortaliter mala ex quantitate & gravitate ipsius operis externi, sed solum ex relatione ad actum internum, seu intentionem cum qua fiunt, estque mortaliter mala. Dian. p. 4. tr. 4. Res. 163. cum Henric. Gran. & aliis. 4. in suo genere consummatum, nisi expressè etiam alii actus reserventur) eoque modo perfectum, sicut in lege reservante exprimitur v. g. *temerè, scienter, presumptuosè &c.* sic si homicidium est reservatum, non sufficit, inflictum esse vulnus lethale, si mors non re ipsa subsequatur, quamvis miraculosè tantum impediatur. Hurt. *de censur. diff.* 13. n. 57. & constat Argum. cap. 7. de Elect. in 6. ubi scienter eligentibus indignum imponitur privatio juris eligendi, sed non incurritur, si electio non est sortita effectum. 5. esse certò & manifestò mortale; si enim de peccato sit dubium, vel *juris*, hoc est, an sit mortale, an reservatum; vel *facti*, hoc est, an sit perpetratum, hoc ipso non est reservatum. Suar. *Tom.* 5. in 3. part. *Disp.* 20. sect. 6. n. 5. Sanch. l. 1. *Moral.* cap. 10. n. 74. Sà V. *Casus Reservatus*, n. 5. Pellizarius in *Man. tr.* 6. cap. 1. n. 58. cum seqq. & cap. 2. sect. 2. n. 65. Dian. p. 4. tr. 3. Res. 4. & alii communissimè

contra Armillam paucòsque alios; & quidem etiam in foro externo præsumptio sit, delictum verè commissum & mortale esse, ut rectè ampliat Pellizarius *ll. cc.* cum Merolla contra Sanch. *l. c.* idque probabile censet Dian. Ratio est. Tum quia alioquin homines sicut in dubium, ita etiam in casus reservatos facilè & frequenter inciderent, fieretque Sacramentum Pœnitentiæ ob nimiam ejusmodi Casuum frequentiam & confitentibus, & confessariis valde onerosum & odiosum, contra suavitatem legis & jugi Christi. Tum quia Reservatio à citt. DD. censetur esse odiosa & restringenda, ergo non potest nec debet ultra Casus certos & manifestos extendi etiam ad præsumptos & dubios; nisi id in ipsa reservatione exprimitur; sicut Clemens VIII. olim expressit, in suo Decreto 1601. 9. Jan. edito, reservans *Casus in Bulla Cœna clarè & dubiè contentos*; sed postea 1602. 26. Nov. in alio Decreto prioris moderativo omisit *dubiè contentos*. Adde, quòd ita semel absolutus per inferiorem à casu reservato dubio, necesse non habeat, ut ab eo de novo absolvatur per Superiorem, aut ei se sistat, etiam si postea certò innotescat, suum peccatum fuisse verè reservatum, & reservatà censurà affectum. Pellizarius *ll. cc.* cum Lug. *de pœnit. Disp.* 20. n. 20. Dicast. *l. c.* n. 99. Aliud est, si de peccato constet esse reservatum; sed Confessarius dubitet, an ipse hîc & nunc habeat potestatem, illud directè absolvendi. Nam stante hoc dubio non potest Confessarius absolvere, quia exponeret se periculo invalidè conficiendi Sacramentum. Pellizarius *cit. cap.* 2. n. 66.

§. III.

Quotuplex sit Reservatio.

59. II. Reservatio alia dici potest pœnalis, alia non pœnalis, sed medicinalis, ut indicat Sanch. *l. 9. Matr. Diss. 32. n. 18.* Lug. *loco mox citan. n. 9.* Palao *tr. 2. Disp. 1. p. 17. n. 8.* Prior in odium alicujus delicti ejusque pœnam; posterior tantum in bonum fidelium, & rectam Ecclesiæ gubernationem fit. Prioris generis putat Gobat *tr. 7. n. 360.* esse tantum illam Reservatorem, quæ habet annexam censuram; alias omnes accenset non pœnalibus. Sed rectius Palao *l. c.* docet, pro pœnali habendam, quando fit per talem legem, per quam simul etiam specialiter ipsum delictum reservatum prohibetur, & puniatur; pro non pœnali autem, quando per legem aliquam fit, quæ simpliciter tantum loquitur, reservando quidem delictum, sed non simul etiam specialiter illud prohibendo. Alium sensum huic Auctori attribuit Joseph à S. Januario apud Dian. *p. 10. tr. 16. Ref. 63.* sed non videtur eum satis esse assecutus. Et hanc reservatorem distinctionem non est otiosum aut inutile observare.

Nam pœnalem non incurrit, qui scienter quidem delictum committit, sed invincibiliter ignorat legem, quæ illud prohibet simul & reservat. Sanch. *l. c.* vel, ut alii loquuntur, saltem invincibiliter ignorat ipsam impositam à tali lege reservatorem. Palao *l. c. & alii*, idque ipse etiam Sanch. probabile censet; sicut & Lugo *de pœnit. Disp. 10. n. 11.* Dian. *p. 6. tr. 6. Ref. 42.* Ratio, quia sicut privilegium juri communi insertum sequitur naturam juris communis, ita etiam Reservatio per

R. P. Stoz Trib. Pœnit. Lib. II.

legem prohibitivam simul & punitivam facta sequitur naturam talis legis, tanquam accessorium ad suum principale, ut argumentatur Sanch. *l. c.* atqui certum est, quod qui legem, & ex communi etiam probabile est, quod qui vel solam pœnam legis, contra quam agit, saltem invincibiliter ignorat, pœnam non incurrat, ergo nec reservatorem pœnalem. A reservatorem autem non pœnalibus nulla excusat delinquentes ignorantia, quia hujusmodi reservatio est mera, & absolute facta ablatio Jurisdictionis, sine qua non potest ullo modo à Confessione absolvi pœnitens, sive jam scienter, sive ignoranter delictum commiserit. Reservatio pœnalis est quidem etiam ablatio Jurisdictionis, non tamen mera, cum sit simul etiam pœna; neque fit absolute, sed tantum conditionate, scilicet nisi delinquens legem reservantem, vel saltem reservatorem invincibiliter ignoraverit.

Nonnulli apud Dian. *cit. Ref. 42.* putant, omnem reservatorem esse pœnalem, (quibus quoad hoc consentit Fagundez *Prec. 2. lib. 8. cap. 1. n. 28.*) adeoque nullam, quæ per legem quamcunque fit, incurri ab ignorantibus, idque multis rationibus probare conatur Joseph à S. Januario apud Dian. *cit. Ref. 63.* & ipse Diana *ibid.* fatetur hoc esse satis probabile; sed, ut ego intelligo, ad summum speculative tantum, & non practice: quia nostram sententiam, quæ affirmat, reservatorem non pœnalem incurri etiam ab ignorantibus, agnoscit *cit. Ref. 42.* esse communem, à Lugone dici certam, & omnium Religionum praxi receptam; contrariam quoque opinionem ab Hurtado censeri improbabilem. Unde non attentâ probabi-

D

habi-

f 02

nal
sentia
m
A

babilitate, quam contrariæ sententiæ antea tribuerat, meritò ait, se nostræ ad hæreret, nec audere se ab ea recedere.

60. III. Omnino tamen hîc præterea addendum, & bene notandum est fundamentum à Dicast. *de pœnit. Disp. II. n. 19. & seqq.* traditum, uti & ab aliis, quòd nimirum Casus à Pontifice reservatus semper expressè habeat vel saltem censeatur habere implicitè annexam censuram, & sit tam quoad peccatum, quàm quoad censuram reservatus; ita quidem, ut, quod n. 37. docet, utraque reservatio sit inter se tam in fieri quàm in conservari connexa, & alterutrâ ablata hoc ipso censeatur ablata & altera, nisi expressè Pontifex aliud statuerit. Atque hinc ipse n. 23. probabilissimum esse ait, testaturque absolutè docere Henriq. & Coninch, quòd, quando peccatum reservatum & habens annexam censuram ita committitur, ut propter ignorantiam, metum, vel aliam causam non incurratur censura, hoc ipso peccatum commissum non sit reservatum; sed possit à quovis legitimo Confessario absolvi. Idem docet Palao *tr. 4. de fide. disp. 4. p. 3. in priv.* Tamb. *in Meth. Conf. l. 3. cap. 7. n. 3. & in tr. de Casibus reservat. cap. 5. §. 1.* Dian. *p. 9. tr. 6. Res. 13. cum aliis*, inter quos est etiam Laym. *l. 5. tr. 6. cap. 12. n. 2.* qui *l. c.* excipit crimen hæresis, sed non bene, ut Dicast. *cit. n. 37.* docet, & Sanch. *lib. 2. Moral. cap. 8. n. 3. & 5.* ubi: si hæreticus, inquit, ratione ignorantia censuram Excommunicationis non incurreret, posset ejus peccatum à quovis Confessario absolvi, quia non est reservatum. Et hæc ita se habent, sive jam reservatio ejusmodi dicatur esse pœnalis, ut vult Gobat præ-

ced. num. sive non esse. A quavis autem censura, ut id quoque hîc obiter dicam, excusatur etiam adhuc ille, qui si non ipsam legem, tamen censuram, saltem sub qua lex aliquid prohibet, ignorat, & quidem ignorantia etiam vincibili & mortaliter culpabili, modò non sit crassa & supina. Sanch. *lib. 9. Matr. Disp. 32. n. 37.* Laym. *l. c.* & Dian. in variis locis indicatis *in sum. V. Ignorantia. n. 7. cum aliis.*

Quinam verò casus sint reservati Pontifici, videri potest apud Toletum *lib. 1. cap. 18.* Filliuc. *tr. 20. cap. 4. n. 13.* & in *Instruct. cap. 1. art. 5. & alios.* Universum quadraginta duos enumerat Suar. *de Censur. Disp. 22.* inter quos censeri adhuc debent etiam illi omnes, in quos potestas absolvendi concessa est Episcopis in *Trid. Sess. 24. cap. 6.* & Ordinibus Mendicantium in suis privilegiis, vi quorum possunt isti absolvere ab omnibus Casibus Pontifici reservatis, exceptis Casibus in Bulla Cænæ, & quinque aliis in Decreto Clem. VIII. de quo *sup. n. 58.* contentis, & sunt 1. Extractio reorum ex Ecclesia vel Cæmeterio contra Gregorii XIV. prohibitionem. 2. Violatio elausuræ Monialium ad malum finem Castitatis contrarium. 3. Duellum in forma *Trid.* 4. Percussio Clerici, si non sit levis, sed mediocris vel gravis. & 5. Simonia realis vel confidentialis; de quibus vide Pellizarium *tr. 6. cap. 2. à n. 18.* Sed adverte, postea Urbanum VIII. in suo Decreto 1628. 17. Nov. declarasse, quòd Regularibus per Decreta Clem. VIII. minimè fuerit extra Italiam ablata, si quam habebant, facultas absolvendi ab aliis peccatis & censuris, præterquam in Bulla Cænæ, & per Ordinarium loci reservatis.

Ex

Ex prædictis autem, ut patet, onus Pontificiarum reservationum jam multum est alleviatum.

61. IV. Quod si casus ab Episcopo reservatus habeat ab eodem annexam censuram, tunc est quidem etiam tam quoad peccatum, quam quoad censuram reservatus; sed ita juxta usum Ecclesiæ & communem sensum Episcoporum, teste Tamb. *tr. de Casib. reserv. cit. cap. 5. §. 1. n. 7.* ut una ex duabus illis reservationibus sit independens ab altera, adeoque peccatum adhuc maneat reservatum, quamvis propter ignorantiam, metum, vel aliam causam non sit contracta censura. Episcopi enim communiter volunt peccatum ratione sui ipsius, & prout à censura distinctum est, reservare. Unde non omnes casus ab Episcopis reservati habent annexam censuram. Deinde Episcopi, si alicui suo casui reservato annectunt censuram, faciunt id tantum in hunc finem, ut reservatio sit tantò gravior, & à delinquente non tam facile possit sine requisito Episcopi consensu evitari; atqui huic fini repugnat, velle, ut reservatio peccati, & reservatio censuræ sint inter se inseparabiliter connexæ, ut patet ex dictis; ergo Episcopi talem connexionem communiter non volunt; nec potest in dubio præsumi, quòd eam velint. Veruntamen si omnino ex verbis Reservationis, vel ex alijs circumstantijs aperte constaret, quòd Episcopus in aliquo casu, à se cum censura reservato, vellet utriusque reservationem esse inter se connexam, tunc omnino esset idem de illo; quod de aliquo casu Pontificio *sup. n. 60.* Quæ autem hæc dicta sunt de casibus ab Episcopo cum censura reservatis, intelligenda sunt etiam

ob easdem causas de casibus à Prælato Regulari reservatis, & annexam censuram habentibus; utrobique tamen semper attendendum est, an Reservatio sit vel non sit pœnalis. *sup. n. 59.*

§. IV.

Quinam possint facere Reservationem Casuum? & quo modo?

62. V. Illi omnes & soli possunt casus aliquos reservare, qui habent potestatem alijs conferendi jurisdictionem ordinariam, vel delegatam; adeoque 1. Pontifex pro tota Ecclesia. 2. quivis Episcopus pro sua Diœcesi. 3. Prælati Regularis pro suo Ordine vel Monasterio; & 4. etiam Parochus pro sua parochia, quia etiam ille, si velit, potest Jurisdictionem in suas oves, cum eam Cooperatori suo vel alteri Sacerdoti delegat, ad certos casus restringere. *Dicast. de pœnit. Disp. II. n. 4. Lugo de pœnit. Disp. 20. n. 2. vide Tann. tom. 4. Disp. 6. q. 9. n. 78.* Sed non est in usu; nec expedit ita gravare parochianos. Fieri potest directè vel indirectè. Priore modo fit, cum quis jurisdictionem alterius, quam restringit, habet sibi subordinatam, ut Ordinarius superior habet Ordinarij inferioris, & delegans delegati. Posteriore modo fit, cum quis jurisdictionem alterius sibi non habet subordinatam; suum tamen subditum eidem subjicit, sed quoad aliqua tantum peccata, non quoad omnia, ut si Prælati Regularis permittat suum Religiosum à peccatis absolvi per Parochum, exceptis aliquibus casibus.

Prælati autem Regularibus potestatem reservandi, ne ea abuterentur, limitavit Clemens VIII. & undecim tantum

casus à Laym. *cit. cap. 12. n. 6.* relatos, & à Palao *de pœnit. Disp. un. p. 15. n. 15.* & seqq. explicatos designavit: quos quidem non ipse Regularibus reservavit; nec Superioribus præcepit, ut reservent; sed tantum permittit, ut, si veliat, & consultum judicent, possint reservare. Quod si præter undecim illos casus judicet Prælati Regularis esse præterea unum aut plures alios pro Religionis conservatione vel conscientiarum puritate reservandos, id aliter fieri licitè & validè non potest, quàm, ut Pontifex in sua Bulla loquitur, *cum maturâ discussione & consensu Capituli Generalis pro toto Ordine vel parte, & Capituli provincialis pro tota provincia vel parte.* Unde jam etiam Prælati Regularis nec excommunicationem, sub qua stabiliter peccatum aliquod aliud prohibet, potest sibi alio modo reservare, ut rectè contra Palao *l. c. n. 6.* Suarez & alios docet Dicaft. *de pœnit. Disp. 11. n. 110.* Tamb. *de Casib. reservat. cap. 8. §. 2. n. 21. cum aliis,* restanturque ita declaratum esse à Congregatione Cardinalium 1617. 7. Julii. vide Dian. *p. 3. tr. 2. Res. 49.* Nempe, cum quid unâ viâ prohibetur alicui, ad id aliâ non debet admitti. *Reg. 84. in 6.*

Episcoporum potestas in reservandis casibus non est quidem, ut Regularium, limitata à Pontifice; nihilominus tamen Trid. *Sess. 14. cap. 7.* & ipsa recta ratio jubet, ita reservationem facere, ut cedat non in destructionem, sed ædificationem. Unde si faciant nimiam & indiscretam, peccant mortaliter. Tamb. *tr. de Casib. reservat. cap. 2. n. 3.* quia Sacramentum Pœnitentiæ reddunt nimis grave, præbentque hominibus occasionem confitendi facile. Imò aliqui putant talem Episco-

pi Reservationem esse etiam invalidam; sed melius negat cum aliis Laym. *cit. cap. 11. n. 5.* qui *ibidem* rectè addit, in dubio, cum in eo semper pro Superiori præsumendum sit, omnem Reservationem esse habendam pro valida & licita.

§. V.

De Reservatione Episcoporum, & aliorum Prælatorum.

63. VI. Episcopus in Jure scripto nullus casus aut censura est reservata. Filliuc. *tr. 15. c. 10. n. 237.* Palao *cit. p. 15. §. 2. n. 2.* Quos tamen plerique omnes solent reservare, refert Laym. *cit. cap. 12. n. 4.* & explicat Palao *cit. §. 2. à n. 4.* An & quos præter illos aliquis Episcopus, uti potest, voluerit reservare, debet Confessarius ex suæ Diœcesis statutis, vel consuetudine intelligere, & tam illos, quàm omnes alios casus, à quibus ob reservationem absolvi nequit, in mente & oculis habere, ne limites suæ potestatis excedat; simul tamen etiam diligenter semper attendere, an peccatum omnes eas habeat conditiones, quas *sup. n. 58.* diximus requiri, ut juxta communem Ecclesiæ usum pro reservato possit haberi.

64. VII. Reservatio Episcopalis habet tantum vim intra Diœcesin reservantis Episcopi, sed cum limitationibus mox indicandis. Unde si Diœcesanus post commissum casum reservatum transferat suum domicilium in aliam Diœcesin; imò si vel tantum in eam excurrat, ut viator; potest ibi à quolibet approbato & exposito Confessario absolvi sine onere se postea suo Episcopo sistendi. Filliuc. *tr. 7. cap. 1. à n. 283.* Laym. *l. 5. tr. 6. cap. 10. n. 10.* Tamb. *tr. de Casib. reservat. cap. 1. n. 6.* quia

quia Jurisdictionem, quam confessarius in viatorem ex aliena Diœcesi venientem habet, nec consuetudo restringit, nec Episcopus censetur restringere, nisi clarè exprimat: modò tamen aliquis in alienam Diœcesin non ideo præcisè excurrat, ut ibi à reservatis absolvatur. Cùm enim hoc modo Reservatio fieret elusoria, meritò censentur Episcopi velle, ut exteris confessariis in tali casu Jurisdictio sit tantùm cum aliqua restrictione delegata. Vide Bonac. *sup.* n. 54. & Palao n. 45. relatum. Aliud est de Regularibus. *sup.* n. 45. ex quibus tamen Religiosi Societatis JESU, si in itinere volunt confiteri, possunt per confessarium ordinarium loci, quò transeunt, & in ejus defectu per quemlibet ex Societate approbatum; & cùm iste quoque deest, per externum Sacerdotem à casibus in Societate reservatis absolvi directè, sed tantùm cum hoc onere, ut postea suo superiori se sistant, eique, vel, impetratà ab eo licentià, alteri confiteantur juxta Ord. Gen. cap. 6. n. 6. Ratio, quia, cùm Casus isti sint nostris Sacerdotibus directè, & externis indirectè reservati *sup.* n. 62. volunt quidem Superiores in gratiam & bonum suorū subditorum prædictis Sacerdotibus potestatem directè absolvendi delegare; sed non aliter, quàm cum pacto, ut subditi hoc ipso vicissim velint esse, & sint ipso facto graviter obligati ad onus illud se sistendi, & iteratò confitendi. Lug. de Pœnit. Diss. 15. sect. 6. §. 3.

Quodsi econtra aliquis peccatum in sua Diœcesi non reservatum confiteatur in aliena, ubi est reservatum; non potest ibi absolvi, quia confessario illius

loci est per reservationem ablata necessaria Jurisdictio juxta Tamb. *tr. de casib. refer. cit. cap. 1. n. 7.* Laym. *cit. n. 10. cum aliis.* Sed quoad hoc non consentio. Tum quia reservatio fit ab Episcopo non nisi in bonum propriæ Diœcesis; ergo illa se non extendit ad peccatum ab aliquo viatore extra Diœcesin commissum; sicut enim hoc peccatum nihil obest bono Diœcesis, ita etiam ejusdem Reservatio nihil prodest. Tum quia confessarius viatorem ex aliena Diœcesi venientem absolvit per Jurisdictionem, ab Episcopo v. g. vel Parocho viatoris ex recepta consuetudine delegatam. Laym. *l. 5. tr. 6. cap. 10. n. 9.* atqui hæc, ut ponitur, non est ab iis ullo modo restricta, ergo etsi confessarius vi suæ ordinariæ Jurisdictionis non possit à casu in sua Diœcesi reservato subditum suum absolvere, potest tamen vi Jurisdictionis delegatæ absolvere viatorem ex alia Diœcesi, in qua casus ille non est reservatus, venientem. vide Dicastillo de Pœnit. Diss. 11. n. 244. Loquor autem hîc de viatore tantùm, & non de peregrino. Iste enim cùm in loco pereginationis habeat quasi domicilium, est subjectus ordinariæ Jurisdictioni illius loci, & secundùm leges loci illius debet judicari: quod solum Laym. Tamb. & alii urgent. Aliqui volunt, quòd Diœcesani etiam extra Diœcesin peccando possint incurrere reservationem à suo Episcopo per statutum factam, ut communiter fit; quia ad bonum commune Diœcesis facit, ut subditi non tantùm intra, sed etiam extra Diœcesin abstineant ab atrocibus criminibus, & boni maneant, vide Dicast. *l. c. à n. 239.* Quidquid autem de hoc

foz

anal
fentia
TI
A

fit, certè post reditum in Diœcesin non possunt à tali peccato per ordinarios confessarios absolvi.

§. VI.

*Quis absolvere possit à reservatis ?
spectatim in articulo mortis,
& quomodo ?*

65. VIII. A reservatis absolvere aliquem potest I. ipse qui reservavit. II. ille, cui aliquid est ab alio reservatum, ut Episcopis à Pontifice; superioribus localibus à Provinciali, Generali &c. III. qui alterutrius hujus est Vicarius, de quo vide Tamb. *de Casib. reservat. cap. 8. §. 1. n. 4.* IV. horum Superior. V. qui ab aliquo ex istis habet delegatam potestatem in reservata. VI. cum in articulo mortis nulla sit Reservatio, ideo omnes sacerdotes possunt tunc quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis & censuris absolvere, ut habet expressus textus Trid. *Sess. 14. cap. 7.* de quo jam etiam *sup. n. 52.* actum est. Intelligitur autem per articulum mortis non solum illud tempus, quo jam ultimus vitæ spiritus trahitur, sed ut Laym. *cit. cap. 12. n. 13. v. His adde. rectè docet, & probat Dicast. de pœnit. Disp. 10. n. 357. & 409.* etiam quodvis probabile & moraliter propinquum periculum mortis, in quo scilicet frequenter contingit; ut homines facillè moriantur; & provenire solet ex infirmitate, ex capitali sententia Judicis, ex imminente conflictu cum hoste, partu periculoso, navigatione tempestuosa, ex contagione pestis & similibus causis, vide Tamb. *Tr. de Reservat. cap. 12. n. 25.* Quilibet ergo in tali periculo, etsi in id

suâ sponte se conjecerit, vel ex propria culpa inciderit, Dicast. *l. c. n. 410.* potest à quibusvis reservatis peccatis & censuris absolvi per quemlibet Sacerdotem, etiam irregularem & degradatum. Dicast. *l. c. n. 360.* imò & per censuratum vitandum, adeoque per hæreticum publicè denuntiaturum. Laym. *cit. n. 13. v. Notandum.* Sed quoad vitandum nemo etiam in periculo mortis potest absolutionem licitè ab eo petere (quia etiam tunc est adhuc prohibita communicatio cum illo) nisi justa causa excusans, vel nullus alius habilior sacerdos adsit. Dicast. *l. c. n. 386.* Tambur. *tr. de Reservat. cap. 12. n. 21.* Per quemlibet autem simplicem sacerdotem non vitandum potest quilibet in articulo mortis à quibusvis reservatis, etiam præsentente quovis alio habiliori, legitimam quoque potestatem habente in illa, absolvi, ut docent DD. *cit. sup. n. 52.* contra alios, & bene probat Dicast. *l. c. à n. 368.* quia alioqui in articulo mortis esset adhuc respectu talis simplicis sacerdotis verè aliqua Reservatio, cum tamen Trid. simpliciter dicat nullam esse; & quia alioqui pœnitens, qui fortè, ut facillè fieri potest, horret suum peccatum confiteri alicui ex habilioribus, esset adhuc in periculo, *ne hac occasione pereat*; quod est contra finem à Trid. intentum. Sed hæc postrema ratio, ut consideranti facillè patebit, factis ostendit, necessarium quoque esse, ut Ecclesia sicut censurato vitando dat pro articulo mortis in quemvis & quavis ejus reservata peccata Jurisdictionem, ita etiam concedat, ut quilibet pœnitens eo tempore possit scienter & licitè ab illo petere eorum absolutionem, præsentente quoque alio habiliori.

66. Et si in periculo mortis quilibet sacerdos juxta allatum Trid. textum possit prædicto modo quemlibet absolvere à quibusvis peccatis & censuris; nihilominus tamen rectè dicit Laym. *l.c. n. 13.* Dicast. *de pœnit. Disp. II. n. 223.* & ut Tamb. *de reservat. cap. 12. §. 1. n. 1.* loquitur, docemus omnes, quòd debeat illa verborum generalitas quoad censuras intelligi tantum de illis, quæ constitutum in articulo mortis impediunt à suscipiendis Sacramentis. Tota enim causa finalis, ob quam Trid. concessit cuius sacerdotitatem amplam potestatem in eo casu, est, ne quis occasione Reservationis pereat; at qui quoad censuras nullum est periculum pereundi, nisi tantum quoad illas, quæ à susceptione Sacramentorum impediunt; uti est quævis excommunicatio major, item interdictum, quia privat non tantum activo, sed & passivo usu Sacramentorum, maxime illos qui personaliter & specialiter interdicti sunt; nequaquam tamen Suspendio, sive jam ab ordine, vel officio, vel beneficio tantum, sive ab omnibus simul. Dixi quidem *sup. n. 51.* quòd cum potestate absolvendi à peccatis semper concedatur etiam potestas absolvendi à censuris, quæ iisdem à jure sunt impositæ, sed expressè addidi: *nisi sint reservata*; de quibus solis accipienda est exceptio hæc tradita.

67. Qui per unum ex quatuor primis *sup. n. 65.* recensitis absolvitur à reservatis peccatis & censuris, est liber ab onere & obligatione se sistendi alteri superiori; quia cum ipsi habeant ordinariam & liberam potestatem in reservata, possunt ab iis per se & directè absolvere. Idem est de eo, qui absolvitur per aliquem

ab iis delegatum; nisi delegatio directa vel indirecta, de qua *sup. n. 44.* fuerit expressè facta cum hac conditione & pacto, ut pœnitens sit obligatus, per seipsum vel per alium se suo superiori sistere; sicut fieri posse, & solere de facto alicubi fieri docet Dicast. *de pœnit. Disp. II. à n. 206.* & patet ex *n. 64. V. Aliud.*

Qui in periculo mortis absolvitur ab aliquo sacerdote, aliàs non habente legitimam in reservata potestatem, absolvitur itidem directè & per se tam à peccatis quàm à censuris, cum hoc tamen discrimine, ut ratione peccatorum, nullam reservatam censuram annexam habentium, non teneatur quidem post superatum periculum comparere coram superiore: at verò ratione censuræ reservatæ v.g. Excommunicationis, quæ uni vel pluribus ejus peccatis fortè erat annexa, omnino teneatur absolvens exigere sub gravi peccato à pœnitente promissionem; & pœnitens teneatur eandem, probabiliter tamen in foro interno non juratam, præstare, quòd velit se superiori sistere, quamprimum, moraliter loquendo, commodè potest. Tamb. *ir. de Casib. reservat. cap. 12. §. 4. à n. 2.* nisi fortè ille videatur tunc certò moriturus, quia tunc foret ejusmodi promissio inutilis.

Quod à absolutus postea superiori, vel ejus delegato, neque per se neque per alium (quod juxta Tamb. *l.c. n. 8.* sufficit) se sistat; tunc, etiamsi nullam antè fecerit promissionem, tamen adhuc committit grave peccatum inobedientiæ, & incurrit iterum censuram v.g. Excommunicationem, priori similem, & similiter reservatam. *cap. Eos, qui. 22. de sent. excom. in 6.* Verum quidem est, quòd cessante

f 03

An al
sentia
II
A

cessante reservatione, uti hinc fit, cesset etiam onus Reservationis, hoc est, comparandi coram superiore; sed intelligi debet: nisi aliter in jure cautum sit. Dicast. *de pœnit. Disp. 11. n. 232.* Ideo autem in jure aliter est de censuris, quam de peccatis cautum, quia censura habet rationem pœnæ ad forum contentiosum pertinentis, non item peccatum. Dicast. *l. c. n. 230.* & ut *n. 222.*, habet, quia potestas absolvendi à censura provenit tota immediatè à superiore, ejusque solius nomine exercetur, non item potestas absolvendi à peccatis; ergo superior sicut illam potuit, ita reipsa etiam voluit limitatè tantum concedere juxta *cit. cap. 22.* istam autem pro articulo mortis, etsi fortè possit, constat tamen ex praxi Ecclesiæ, quòd nullus superior velit (& malè faceret, si vellet) simili modo limitare. Dicast. *l. c. n. 234.*

Quòd verò absolutus debeat juxta dicta comparere, non est, ut denuo absolvatur à censura vel peccato censurato; cum ab utroque jam ante per alium sit directè absolutus; sed tantum ut superior ei pœnitentiam injungat; meliùs dirigat; remedia præscribat; ad satisfaciendum iis, qui fortè læsi sunt, compellat &c. Unde quandoque consultius esse potest, ut aliquis, juxta Laym. *l. 5. tr. 6. cap. 12. n. 15.* monitum, in periculo mortis confiteatur alicui privilegiato, quia iste tanquam delegatus Pontificis potest etiam à censuris reservatis absolvere sine onere comparandi. Sed & plurimum hinc proderit, accuratè dispicere, an non pœnitens, etsi censuratum peccatum commiserit, adhuc tamen à censura sit excusatus ob ejus ignorantiam, vel alias justas

causas, de quibus *in tr. de Legibus; vel tr. de Censuris.*

§. VII.

De impeditis adire superiorem.

68. Qui habet aliquod peccatum & censuram Pontifici reservata, sed simul etiam habet impedimentum vel perpetuum, vel ut Tamb. mox citandus addit, longo tempore duraturum, ut ad Pontificem vel aliquem ex ejus delegatis pro absolutione accedere non possit, potest tunc absolvi directè ab Episcopo, sicut paulò antè diximus aliquem posse absolvi in articulo mortis; quia tale impedimentum æquivaleret hinc articulo mortis, Tamb. *de casib. reservat. cap. 12. §. 3. n. 4.* & cum taliter impeditus sit in periculo, ne antè moriatur, quam habeat copiam Pontificis, vel alicujus ab eo delegati, per quem absolvatur, censetur perinde ac si sit in periculo mortis. Tamb. *l. c. §. 2. n. 32.* Palao *tr. 4. Disp. 4. p. 3. §. 5. n. 4.* Desumitur hæc resolutio ex *cap. 6. 11. 13. 26. 33. & 58. de sent. excom. & cap. 22. eod. in 6.* qui canones etsi loquantur tantum de peccato & censura ob percussione clericis contracta, rectè tamen DD. intelligunt eorundem dispositionem de omnibus quoque aliis casibus & excommunicationibus Pontifici, etiam in Bulla cœnæ, & ob hæresin reservatis. Palao. *l. c. n. 5.* Dicast. *de pœnit. Disp. 11. n. 268.* quia in omnibus est eadem concedendi ratio. Ut propterea meritò dicat Laym. *l. 1. tr. 5. p. 2. cap. 6. n. 5.* pro regula statuendum esse: *Casus papalis superveniente impedimento (perpetuo vel diu durato) fit Episcopalis de Jure*

Jure communi; à quo possunt hoc ipso etiam alii privilegiati, ut Regulares, absolvere. Sanch. *lib. 4. Mor. cap. 54. n. 27.* Habet quidem Decretum Clem. VIII. de quo *sup. n. 58.* ut Regulares in nullo casu etiam necessitatis & impedimenti, nisi in articulo mortis, absolvere presumant à casibus Bullæ Cœnæ, & illis quinque *sup. n. 60.* relatis. Sed Urbanus VIII. clausulam illam omisit; & nos hîc loquimur de impedimento, quod mortis articulo æquivaleret. Imò probabile est, quòd Episcopus adhuc possit à reservatis absolvere aliquem, quando iste, etsi non Pontificem, potest tamen adire Pontificis legatum, delegatum, vel specialiter privilegiatum. Tamb. *l. c. n. 31.* Laym. *l. c. n. 6. cum aliis,* quorum aliquos etiam refert Dian. *p. 5. tr. 9. Resol. 6.* quia in cirt. textibus conceditur Episcopis hæc potestas sub nulla alia, quàm sub hac sola conditione: si pœnitens *Apostolico conspectui se presentare, ad sedem Apostolicam venire, Romanum Pontificem adire nequeat.* Quod si impeditus nullum ex prædictis adire possit, tunc potest à reservatis absolvi directè per quemlibet alium approbatum, vel etiam simplicem sacerdotem. Tamb. *cit. §. 2. n. 28. & 34.* juxta dicta *sup. n. 65.* Sed tam per istos, quàm Episcopos cum onere illo, de quo *num. seq.* Idem est, si quis habeat casum cum vel sine censura reservatum Episcopo, vel aliis Prælati, sed simul etiam impedimentum perpetuum vel diuturnum illos vel alios, ab ipsis potestatem habentes, adeundi; quamvis hoc rariùs possit contingere. Dicast. *de pœnit. Disp. 11. n. 271.* Tamb. *l. c. n. 36.* & alii contra Lugo & alios.

R. P. Stoz Trib. Pœnit. Lib. II.

69. In *cit. cap. Quamvis. 58. de sent. excom.* habentur pro impeditis, quibus adeundi facultas adempta est 1. infirmitate. 2. inimicitia. 3. inopia. 4. puerili vel senili ætate. 5. fragilitate sexûs, ut mulieribus. 6. corporis impotentia per destitutionem membrorum, ut *cap. 13. eod.* dicitur. 7. quovis alio canonico impedimento. Quibus accensentur. 8. qui juris beneficio excusantur, ut Monachi. *cap. 2. eod.* & impubes. *cap. fin. eod.* 9. qui non sunt sui juris, ut filii familias, servi &c. & 10. magnates, laborem itineris sustinere non valentes. *cap. 6. eod.* 11. qui à cura animarum, officio publico, vel dominio, quod habent, abesse sine gravi damno non possunt. Vide Dian. *cit. p. 5. tr. 9. Resol. 6.* & Tamb. *cit. §. 2. n. 38.* & simul diligenter observa, quod optimè Palao *cit. tr. 4. Disp. 4. p. 3. §. 5. n. 7.* Dicast. *cit. Disp. 11. n. 270.* cum aliis contra Bonac. probat, censeri aliquem adhuc legitimè impeditum, qui personaliter adire superiorem non potest, etsi fortè possit adire mittendo procuratorem, vel litteras, vel confessarium, vel ad se advocando superiorem. Ratio, quia hæc media, cum sint vel extraordinaria, vel valde difficilia & periculosa, nemo tenetur arripere; & quamvis adsint, adhuc tamen verum est, quòd qui personaliter adire superiorem nequit, canonico aliquo impedimento retrahatur; quod sufficit juxta *cit. cap. Quamvis.* Habentem itaque tale impedimentum potest Episcopus in foro interno & externo juxta Palao *de pœnit. l. 15. §. 4. n. 2.* tam à peccatis, quàm à censuris Pontifici reservatis per se & directè absolvere; sed ita, ut ratione censuræ exigat, & pœnitens

E

faciat

faciat promissionem comparendi per se, vel per alium eoram superiore, vel ejus delegato sub gravi culpa inobedientiæ & pœna reincidentiæ, ut dixi *sup. n. 67.* nisi 1. certò constet, impedimentum nunquam cessaturum, quia hæc promissio foret tunc inutilis, vel nisi 2. Episcopus aliquis, ut juxta Laym. *l. c. n. 6.* potest, per præscriptionem obtinuerit Jurisdictionem, à quibusdam casibus Papalibus, frequenter contingentibus (v. g. à notoria Clerici percussione, hæresi &c.) absolvendi sine onere isto, ut reus coram Pontifice, ejusve Legato compareat; vel nisi 3. delictum sit ante pubertatem commissum, sive jam ejus absolutio etiam antea, sive postea primùm petatur, *cap. fin. de sent. Excom.*

§. VIII.

Quid aliud possint inferiores circa casus reservatos superioribus?

70. Extra articulum mortis, & quod articulo mortis æquivaleret, extra impedimentum perpetuum vel diuturnum, inferiores sacerdotes nihil (directè) possunt in casibus, quos cum vel sine censura sibi vel alteri reservavit superior; nisi ex jure vel privilegio id concedatur. Id unum ergo pœnitentibus persuadere narrantur, ut ad superiores & legitimos iudices pro beneficio absolutionis accedant, *Trid. sess. 14. cap. 7.* Ratio, quia hoc ipso quòd peccatum aliquod vel censura sint reservata superiori, est inferioribus ablata Jurisdictio in illa, ergo nihil in ea possunt. Dimidiare autem Judicium sacramentale, & sola non reservata directè absolvere,

aut non integrè confiteri, ordinariè & absque gravi causa non licet.

71. Dixi, *nisi ex jure concedatur.* Nam I. in *Trid. sess. 24. cap. 6.* concessum est Episcopis, ut possint in quibuscunque casibus occultis, etiam sedi Apostolicæ reservatis, delinquentes quoscunque sibi subditos in Diœcesi sua per se ipsos, vel per Vicarium ad id specialiter deputandum; in foro conscientie gratis absolvere, imposità pœnitentiâ salutari. Idem & in hæresi crimine est in eodem foro conscientie Episcopis tantum, non eorum vicariis permissum. Huic tam amplæ potestati probabilius quidem est, esse quoad casus in Bulla cœnæ contentos derogatum per clautulam ejusdem Bullæ; Palao *tr. 4. Diss. 4. p. 3. §. 1. n. 22.* Quia tamen etiam contrarium probabile censetur ab autoritate & ratione apud eundem *l. c. n. 21.* & quia quodcumque probabile est, aliquem habere Jurisdictionem Ecclesiasticam, hoc ipso illam ab Ecclesia certò habet; ut in alio casu bene argumentatur Tamb. *de Confess. l. 3. cap. 7. §. 1. n. 1.* & dixi *sup. n. 53.* ideo videri potest, Episcopos adhuc eadem potestate in eadem amplitudine tunc posse uti. Tamb. *l. c. §. 2. n. 4.* Sed Decretum Alex. VII. 1665. editum huic opinioni videtur non parum officere, damnando *n. 3.* propositionem, quæ dicit, quod *sententia asserens*, per Bullam Cœnæ non derogari facultati Tridentini de occultis criminibus, *sit 1629. 18. Julii in Consistorio visa & tolerata*; vide Gobat *tr. 7. n. 370.* Quidquid autem de hoc sit, absolutus per Episcopum à casu Papali, à quo potest absolvi, non tenetur postea comparere

parere coram Pontifice, nisi ratione censura reservata. Addit Tamb. *l. c.* cum Palao *l. c. n. 19. Et aliis*, Episcopos posse non obstante Trid. potestatem absolvendi etiam ab occulta hæresi committere Vicariis suis, & cuivis alteri sacerdoti; sed pro unoquoque tantum casu in particulari, cum contingit; quia Trid. loquitur tantum de Vicariis, qui deputarentur specialiter quidem ad absolvendum ab hæresi, sed cum generalitate quemcumque quovis tempore. II. in particulari jure Societatis JESU est ejusdem Religiosis concessum, ut in itinere constituti, si sacerdotem ex Societate non habeant, & quamvis necessitas nulla cogat, confiteri velint, possint etiam à reservatis per quemvis externum sacerdotem directè absolvi, sed cum hoc pacto & onere, sub mortali obligante, ut peccata reservata deinde suo superiori, vel de ejus licentia alteri iterum confiteantur: in Ord. Gen. cap. 6. de quo *sup. n. 64.* quam tamen obligationem iteratò confitendi potest superior, si velit, postea remittere. Vide Tamb. *de casib. reserv. cap. 11. §. 1. à n. 25.* Laym. *cit. cap. 12. n. 12.* III. afferam aliam Juris concessionem infra *n. 74.* & IV. mox aliam *num. seq. v. si postevius.*

72. Restat autem hîc dicere, quid agendum sit, quando habens casum reservatum cum vel sine censura non potest hîc & nunc sine scandalo, sine infamia, gravi damno aut periculo in bonis corporis, vel fortunæ omittere Sacram Communionem, aut Celebrationem Missæ, & tamen tunc propter impedimentum aliquod transitorium non potest adire Superiorem vel alium, legitima absolvendi

potestate præditum. Inprimis itaque attendi debet, an constitutus in tali necessitate extemporali habeat præter reservata aliud peccatum mortale, aut saltem veniale; vel non.

Si posterius, tunc non potest ullo modo ab inferioribus absolvi ob totalem potestatis defectum circa materiam; nisi dicamus pro ejusmodi casu necessitatis ipsum Jus ex æquitate supplere defectum; vel Superiorem velle, ut in eo casu cesseret Reservatio; quorum illud Palao *de pœnit. Diss. un. p. 15. §. 7. n. 6.* & istud Dicast. *cit. Diss. II. dub. 1. n. 305.* censet esse probabile; sed ita, ut, quamvis hæc ratione directè absolvatur, id tamen neque Jus, neque Superior aliter censeatur concedere, quàm cum implicito pacto & onere, postea nihilominus se adhuc etiam quoad illa peccata sistendi coram Superiore, vel ejus delegato, ut *num. præced. dictum in fine.* Quidquid autem de hoc sit, potest aliquis in tali necessitate etiam communicare, vel celebrare absque omni prævia confessione; modò eliciat prius perfectam contritionem; quia verè non habet copiam confessarii; quo juxta Palao *l. c. n. 8.* adhuc censetur carere, cum non habeat alium, quàm per quem absolvi possit cum prædicto onere comparendi.

Si prius, tunc variant DD. sententiæ apud Palao, & Dicast. *ll. cc. p. 3. n. 3.* Nam I. est, eum non teneri, imò nec posse confiteri aut absolvi, si præter reservata habeat alia mortalia non reservata; quia non adest, qui omnia possit absolvere; & unum mortale sine altero confiteri, aut absolvere, est contra requisitam integritatem; posse itaque &

hunc omiſſa confeſſione communicare vel celebrare, modò priùs eliciat perfectam contritionem. Vatq. & alii. II. eſt, cum poſſet actus reſervatis ſola non reſervata confiteri, ab iſque abſolvi. Diccaſt. *l. c. n. 298.* Sotus & alii; ſicut enim ob multas alias, ita & ob iſtam cauſam licitum eſt dimidiare confeſſionem materialiter, faceréque tantùm formaliter integram. Et hæc ſententia utilis eſt, cùm quis perfectam contritionem antè elicere; vel confeſſionem ſine ſcandalo, infamia &c. omittere non poteſt. Imò Palao *cit. n. 8.* & Diccaſt. *l. c.* cum aliis communiffimè contendit, mortalia non reſervata eſſe tunc etiam neceſſariò ante communionem vel celebrationem confitenda. Sed alii negant, quia ad confeſſionem mortalium ante Communionem non magis obligamur, quàm ad integritatem materialem confeſſionis, ergo ſi in hoc caſu non obligamur ad iſtam, nec obligabimur ad illam. III. eſt, cum poſſe omnia confiteri, & à non reſervatis abſolvi directè; à reſervatis indirectè. Tan. b. *de Commun. cap. 7. §. 6. n. 20.* & *in tr. de Caſib. reſervat. cit. cap. 12. §. 3. n. 3.* ubi ait, hanc ſententiam eſſe omnium planiffimam. Quòd autem aliquis etiam debeat omnia confiteri, docet quidem Palao *l. c. n. 9.* & Laym. *l. c. n. 11.* ſed meritò negat Diccaſt. *l. c. n. 310.* quia non poteſt cogi ad reſervata bis confitenda. Neque obſtat, ſi peccato reſervato ſit fortè annexa quoque excommunicatio reſervata, circa quam inferior in caſu temporaneæ neceſſitatis nihil poteſt. Nam cenſura iſta non impedit ab uſu Sacramentorum, niſi ex præcepto Eccle-

ſiæ; & hoc in huiſmodi caſu neceſſitatis non obligat. Laym. *l. c. n. 10.* Diccaſt. *l. c. n. 313.* Similiter non obſtat textus ex Trid. *ſup. num. preced.* allatus, quia inferior vel non abſolvit à reſervatis, cùm Reſervatio in caſu etiam temporaneæ neceſſitatis ceſſet juxta Diccaſt. vel cùm non directè, ſed tantùm indirectè abſolvat à reſervatis, adhuc verum eſt, quòd circa ea nihil poſſit, ut oſtendit Diccaſt. *l. c. n. 301.* vel ſi directè ab iis abſolvit, id tantùm facit, quia ita à Jure ex æquitate conceditur juxta Palao.

Omnes ergo & ſingulæ hîc relatæ ſententiæ ſunt probabiles, & poteſt quilibet pœnitens illam, quæ ſibi commodior videtur, amplecti. Dian. *p. 3. tr. 4. Ref. 104.* vide etiam *lib. 1. ſup. p. 3. à n. 63.* Juxta ſingulas tamen manet pœnitens obligatus, per ſe, vel, quod ſufficit, per alium coram ſuperiore vel alio legitimam poteſtatem habente comparere, & quidem propterea, ut in primis ab ipſa cenſura reſervata, ſi peccato annexa fuit, abſolvatur; deinde ut ipſum quoque reſervatum peccatum, etſi cenſuratum non fuerit, confiteatur juxta pactum *ſup. n. 64. Et n. 71. in fine.* indicatum; & ab eodem iterum, vel ſaltem tum primò directè abſolvatur: niſi ſuperior alicui jam antè directè abſolutò velit, ut poteſt, obligationem iteratò confitendi poſtea remittere. Tan. b. *cit. ſup. n. 71. in fine.* Aliud itaque hîc eſt, quàm cùm quis in articulo mortis vel propter impedimentum perpetuum aut diuturnum à reſervatis peccatis & cenſuris per inferiorem Sacerdotem abſolvitur, ut conſtat ex *n. 67. Et 69. ſup.*

73. Amplius quid, & à Confessariis bene observandum, tradit Laymannus *cit. n. 11.* si enim pœnitens bona fide credat, se posse per Confessarium absolvi eum onere sistendi se Superiori; vel casum suum non sciat esse reservatum, illùmque cum aliis non reservatis confiteatur; arbitratur, inquit Laym. *ei plerumque absolutionem dari posse cum illo onere;* modò non obstat aliqua reservata Excommunicatio; quia etiam hîc, inquit Laym. aliqua necessitas urget, cum pœnitenti ita ex sua parte bene disposito valde grave sit, sine absolutione discedere. Alii quidem verbis Trid. *sup. n. 70.* allatis insistendo volunt, ut Confessarius mittat pœnitentem ad Superiorem, vel ipse adeat, impetrètque prius potestatem, & tum primum eum absolvat; sed benigna Laym. doctrina est ad praxin accommodatior.

74. Obligatus ad comparandum coram Superiore propter reservata, satisfacit, si coram eo vel ejus delegato v. g. aliquo privilegiato Religioso compareat per se vel per alium. *sup. n. 67. & 69.* Et verò ipse quandoque Confessarius, saltem ex charitate, tenetur adire Superiorem, & potestatem absolvendi petere, si ipse commodè possit, & videat pœnitenti non esse admodum utile, vel non facile persuaderi posse, ut se ipsum sistat. Laym. *cit. cap. 12. n. 7. in fine.* contra Tamb. *de Conf. l. 3. cap. 9. §. 4.* ubi *n. 13.* concedit, Confessarium posse id facere; sed *n. 17.* negat eum unquam teneri. Debet autem Confessarius in petendo ita cautus esse, ut nullo verbulo indicium præbeat Superiori ad conjecturam aliquam faciendam de persona, pro qua petit; adeoque sæpe ne

quidem casum reservatum ejusque materiam exprimere debet aut potest, quia alioqui esset periculum frangendi Sigilli. Coninch, *Disp. 8. dub. 14.* Ordinariè ergo sufficit dicere: *peto facultatem pro absolutione à reservatis.* Neque superior rectè facit, si multis interrogatiunculis ulterius urgeat. Tamb. *de Casib. reserv. cap. 8. §. 2. num. 5.*

Tenetur porò Superior & quidem sub peccato mortali potestatem in reservata concedere idoneo Confessario, cum pro occurrenti aliquo casu eam petit, & nullum vel dubium tantùm est periculum, ne concessio cedat in damnum pœnitentis, vel communitatis, vel tertii. Tamb. *l. c. n. 2.* ubi ait, tale periculum rarissimè subesse; & cum quandoque re ipsa subest, melius esse, ut alia media cavendi damnum excogitentur, quàm ut petita potestas negetur, vide Dicast. *de Pœnit. Disp. 11. dub. 19. à n. 324.* Superior verò Regularis ex Decreto Clem. VIII. 1593. 26. *Majis* edito apud Tamb. *l. c. cap. 7. §. 2. n. 1.* est sub mortali obligatus dare potestatem in reservata Confessario, qui pro ordinario deputatus est, & cum petit, simul judicat, eam hîc & nunc esse committendam; sicut judicare potest & debet, quando nullum ex prædictis damnis rationabiliter timetur, Idem *ibid. n. 37.* Imò si Superior tunc facultatem dare noluerit, potest hujusmodi Confessarius absque ea pœnitentem à reservatis illa vice liberè & sine ullo onere sistendi absolvere; idque toties, quoties ita in casu dato evenerit. Sic enim Paulus V. & postea etiam Urbanus VIII. confirmando & declarando Decretum Clementinum statuit apud Tamb. *l. c. n. 9. 40. & 43.* Dicast. *l. c. n. 339. & Disp. 10. n.*

10. n. 184. Lugo de pœnit. D. 20. n. 40. Pellizar. tom. 2. tr. 8. n. 60. Dian. p. 3. tr. 2. Ref. 126. Gobat tr. 7. n. 705. & habetur tom. 4. Bullarii estque inter Bullas Urbani VIII. 28. in Decr. super reserv. casuum. De quo plura in Appendice. Et hæc est tertia Juris concessio, de qua memini sup. num. 71.

Quia autem Urbanus VIII. loquitur hic tantum de deputatis pro ordinariis Confessariis, ideo ejus constitutio est tantum de his intelligenda, & non de alijs; quamvis isti sint etiam pii, docti, & apti pro Ordinariis. Tamb. l. c. n. 41. & Dicast. ll. cc. contra Quintanad. & alios. Ut tamen Superior etiam istis, si petant, pro occurrente casu det potestatem in reservata, est juxta aliquos præceptum ex lege charitatis; juxta alios est tantum consultum.

§. IX.

De Confessario petente facultatem absolvendi à reservatis.

75. Confessarius si loco pœnitentis petit, & impetrat à Superiore potestatem absolvendi à reservatis, potest etiam absolvere ab iis, quæ ex confidentia confessionis hujus antè fuerunt commissæ; nisi expressè excipiantur. Quod si petat pro aliquo casu particulari, certum est, quod non possit absolvere ab alijs, quos pœnitens primùm commisit, postquam voluit, ut adiret Superiorem; & dubium est, an possit, si petat simpliciter pro reservatis, quia videtur tantum petere & accipere potestatem pro jam antè commissis. Ad cavendos ergo scrupulos & frustrationem concessionis, melius & consultius est, ut petatur & detur potestas pro omnibus ca-

sibus, qui tempore confessionis existunt, sed cum hac restrictione, ut si pœnitens abuti velit hac concessione, ea non duret ultra tempus, intra quod commodè potest confessio fieri. Tambur. l. 1. cap. 9. §. 2. & 3.

76. An Confessarius vi potestatis, quam pro absolutione à reservatis petivit, & impetravit à Superiore, possit etiam ipse absolvi, pendet à verbis petentis; & præcipuè à mente concedentis. Si enim utitur quis verbis determinatè significantibus, quod petat sibi dari potestatem absolvendi aliquem à reservatis, tunc ipsi nihil prodest, quia nec ipse seipsum absolvere, nec alteri potestatem hanc subdelegare potest. Si autem utatur verbis ita ambiguis, ut ex communi usu æquè possit intelligi petita esse facultas pro ipso Confessario, ac pro alio, dicendo v. g. *indiget aliquis ex vestris facultate, ut absolvatur à reservatis, peto, ut ei detur*, tunc pendet ex mente Superioris, an eam velit tantum pro aliquo distincto à Confessario, vel etiam pro ipso Confessario, vel indistinctè pro quocunque concedere. Quia tamen Superiores in re tam gravi communiter non solent incerto Sacerdoti & quasi cæco modo potestatem absolvendi committere, ideo si generatim dicant; v. g. *absolvatur*, intelligunt communiter *per ipsum petentem*. Unde hujusmodi concessio communiter censeretur non potest ei prodesse. Deberet ergo necessariò in hoc casu dicere, sibi pœnitentem nolle vel non posse ob justas causas confiteri, adeoque petere, ut ei vel libertas eligendi Confessarium detur, vel alius Confessarius nominatim designetur. Vide Dian. p. 3. tr. 4. Ref. 142. Dicast. l. c. à n. 350.

§. X.

§. X.

De Confessione facta Superiori ab habente reservata.

77. Non amplius manet Reservatio ullius peccati, quod quis habenti Jurisdictionem ordinariam in illud, est quocunque modo jam confessus, ab eoque, etsi tantum invalidè, absolutus. Palao de pœnit. Disp. un. p. 15. §. 6. n. 2. Dicast. cit. Disp. 11. n. 124. Ratio, quia Superior etiam sic satis cognoscit peccatum ad pœnitentiam & medicinam debitam adhibendam, ergo cum ita satisfiat fini Reservationis, eamque Superior possit extra Sacramentum quoque tollere, censetur omnino id facere; & quidem etiam tunc, cum absolutio non solum ob defectum doloris; sed etiam ob defectum integritatis est invalida. Palao & Dicast. II. cc. contra Tamb. l.c. §. 5. n. 1.

Cessat quoque semper reservatio illius peccati, cujus aliquis est inculpabiliter oblitus, cum habenti ordinariam Jurisdictionem in illud est postea aliquando saltem validè confessus; quamvis absque omni animo & indicio petendi absolutionem à reservatis. Palao l.c. Tamb. l.c. §. 4. n. 4. contra Dicast. l.c. n. 141. Ratio, quia Superior vult absolvere, quantum ipse potest, & pœnitens indiget; atqui ille potest peccati etiam obliti reservacionem tollere, & pœnitens indiget, ergo.

Idem etiam censetur esse de peccato reservato inculpabiliter omisso, cum quis Superiori confessus est invalidè, sed tantum ob defectum doloris. Lugo de pœnit. Disp. 20. sect. 7. n. 102. Tamb. cit. cap. 9. §. 5. n. 2. vel etiam ob defectum integritatis, sed tantum circa non reservata. Di-

cast. l.c. n. 171. quia tunc saltem quoad reservata, quæ habet, se adhuc bona fide sistit Superiori & sincerè agit. Quidquid autem de hoc sit, certum est, quod quilibet deinde debeat tam invalidè confessus, quam inculpabiliter omissa adhuc confiteri, ut ab illis validè, & ab istis directè absolvatur; à quibus tamen tunc jam potest absolvere quilibet ordinarius Confessorius, cum Reservatio jam sit sublata.

Hæc omnia intelliguntur etiam de peccati reservati confessione facta delegato. Etsi enim iste ordinariè Reservacionem tollere non possit nisi per absolutionem sacramentalem; ex communi tamen DD. consensu, usu & praxi colligitur, ipsos Superiores velle reservacionem peccatorum etiam tollere, si suo delegato se aliquis prædictis modis sistat, ut bene explicat Dicast. l.c. n. 168.

De censuris reservatis res est expeditior. Cum enim ab habente Jurisdictionem ordinariam, vel etiam tantum delegatam in illas, possint extra Sacramentum tolli, ideo si aliter in communi forma dicat tantum: *Absolve te ab omni Excommunicatione*; vel in casu necessitatis: *absolve te à peccatis*; hoc ipso vult omnes tam expressas, quam culpabiliter vel inculpabiliter omittas tollere, & quidem non tantum quoad Reservacionem, sed etiam quoad substantiam; modò ad earum absolutionem non prærequiratur aliqua conditio v.g. satisfactio partialis præprius præstanda. Tamb,

l.c. §. 6.

**

*

QUÆ-

QUÆSTIO III. De Officio Confessarii.

78. Officium Confessarii universim loquendo est triplex. 1. Judicis. 2. Doctoris. & 3. Medici; ut *supr. à n. 13.* dictum est, quia tenetur de iis, quæ ad hoc sacramentale Judicium deducta sunt, sententiam dicere; pœnitentem si necesse sit, instruere, & apta contra spirituales ejus morbos remedia præscribere. Hic autem strictius sumimus pro illa tantum obligatione, quâ tenetur curare, ut Sacramentum valide & integrè administretur, quantum est tam ex parte absolventis, quàm ex parte absolvendi, & quoad Pœnitentiam seu satisfactionem imponendam. Tribus Articulis complectimur omnia.

ARTICULUS I.

De Officio Confessarii circa absolutionem.

Circa hanc multa occurrunt, quæ Confessarius ex Officio suo observare debet.

§. I.

Forma Absolutionis à peccatis.

79. Ad Formam Absolutionis sacramentalis requiruntur verba ore prolata; non quidem ex natura Sententiæ judicialis, cum hæc possit, imò etiam debeat scripto ferri; neque ex natura Sacramenti, cum Matrimonium possit etiam nutu fieri; sed ex sola voluntate Christi, per Ecclesiam declarata in Trid. *Sess. 14. cap. 3.* Debent autem verba esse talia, quæ significant 1. Remissionem peccatorum, &

quidem non tantum narrative velut interuentii faciunt, nec tantum deprecative, ut in Extrema Unctione fit; sed autoritative seu potestative, sicut sententia judicialis, 2. aliquo modo personam pœnitentis. & 3. personam absolventis; ne verbum absolutionis quoad alterutram vagetur in incertum. Cum ergo hæc omnia comprehendantur his duobus verbis: *Absolvo te,* tota quoque essentia Formæ pro Sacramento Pœnitentiæ necessariæ consistit in illis; ut colligitur ex Concil. Florent. in *Decreto de Sacram. Pœnit.* & ex Trid. *l. c.*

Sunt quidem verba hæc secundum se sumpta adhuc indifferentia ad significandam absolutionem à peccatis, censuris, vel aliis debitis & vinculis; & propterea aliqui apud Tan. *tom. 4. Disp. 6. q. 1. n. 39.* volunt, essentialiter requiri, ut dicatur: *Absolvo te à peccatis;* Sed communis & teste Tan. *l. c. n. 38.* satis certa DD. sententia negat, hanc additionem à peccatis esse essentialiter necessariam; quia etiam sine ea sufficienter verba determinantur partim per circumstantias, in quibus proferuntur, nimirum post præviā peccatorum confessionem; partim per ipsam proferentis Sacerdotis intentionem, per quam etiam in aliis Sacramentis tolli ultimatum debet indifferentia verborum Formæ. vide Dian. *p. 11. tr. 6. Res. 11.* Nihilominus tamen ex omnium sententiâ, ut Tan. ait, certum est, verba illa à peccatis saltem ex necessitate præcepti necessariò esse adhibenda; ita ut multi existiment, ea extra casum necessitatis omittere esse peccatum mortale, tum ob consuetudinem Ecclesiæ; tum ob aliquale periculum invaliditatis. Palao *de pœnit. Disp. un. q. 5. n. 3.* Sed Præpositus *de pœnit.*

nit. q. 6. dub. 1. n. 6. excusatā mortali. Invocatio autem Trinitatis potest juxta Val. & alios, sine omni peccato omitti, secluso scandalo & contemptu; sed Bonac. tom. 1. de Sacram. Pœnit. Disp. 5. q. 4. p. 1. n. 2. putat, id esse saltem veniale.

80. Quapropter Forma tam quoad valorem, quā quoad licitum usum legitima est hæc: *Ego te absolvo à peccatis tuis in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, Amen.* significatur autem hic per verbum *absolvo* formalis solutio, seu remissio peccati, hoc est gratia sanctificans, quæ, quantum est ex se, est, ut loquitur Dicast. de pœnit. Disp. 5. n. 99. formalissima remissio peccati; tollens illud actualiter, si addit, vel saltem virtualiter, si peccatum, quod commissum fuit, jam antè sit aliunde deletum. Sicut ergo cum dicimus: *absolvo, seu libero te à tenebris, à nigredine &c.* sensus est iste: *confero tibi lucem, albedinem &c. quæ ex se est formalis ablatio tenebrarum, nigredinis &c.* ita cum dicimus: *absolvo te à peccatis;* sensus est: *confero tibi gratiam sanctificantem, quæ ex se est formalis ablatio, solutio, seu remissio peccati.* Atque hinc patet, quòd hæc Forma Sacramentalis etiam tunc sit adhuc vera, cum quis confitetur tantum peccata jam ante perfectam contritionem, vel per legitimam aliquam confessionem plenissimè quoad omnia vincula & obligationes absoluta. Vide Bonac. de Sacram. pœnit. Disp. 5. q. 4. p. 1. n. 9. Longè aliud est, cum quis absolvitur à vinculo corporali. Hujus enim formalis ablatio non est forma aliqua positiva, sicut in Sacramento Pœnitentiæ, sed est mera negatio & remotio, ergo si semel sit facta, non

R. P. Stoz. Trib. Pœnit. Lib. II.

potest absque prævia nova ligatione iterum, aut sæpius fieri.

81. Prædictæ Formæ Sacramentali solent præponi & postponi aliquæ preces. Et quidem ad ingressum pœnitentis in confessionale solent aliqui ita benedicere: *Dominus sit in corde tuo & in labiis tuis, ut ritè confitearis peccata tua, in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, Amen.* Deinde post auditam confessionem, injunctamque pœnitentiam dicendæ sunt juxta Rituale Romanum seqq. preces.

Misereatur tui omnipotens DEUS, & dimissis peccatis tuis perducatur te ad vitam æternam.

Indulgentiam, absolutionem & remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens & misericors Dominus, Amen.

Dominus noster JESUS Christus te absolvat, & ego autoritate ipsius (addunt aliqui in signum humilis recognitionis) licet mihi indigno concessâ, absolvo te ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis (quæ vox non dicitur, nisi pœnitens habeat aliquem ordinem ex majoribus) & interdicti, in quantum possum, & tu indiges: deinde ego te absolvo à peccatis tuis in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, Amen.

Passio Domini nostri JESU Christi, & merita B. Mariæ semper Virginis & omnium Sanctorum, &

F

quid-

quidquid boni feceris, & mali sustineris, sit tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ. Amen.

82. Verum hæc preces, etsi de Ecclesiæ sanctæ more laudabiliter absolutioni adjungantur, ad ipsius tamen Formæ essentiam nequaquam spectant, neque ad ipsius Sacramenti administrationem sunt necessariæ, ut loquitur Trid. *cit. cap. 3.* imò ne quidem ad integritatem Formæ requiruntur. Tan. *l. c. n. 46.* sed possunt à Confessario pro suo arbitrio sine omni culpa omitti, maxime si rationabilis causa suadeat; ut si pœnitens valde sepe confiteatur, vel confessionem faciat valde brevem, vel valde multi confitentes adsint. Dian. *p. 11. tr. 8. Res. 26. V. Nota hic.* vel si post datam jam absolutionem incidat pœnitenti adhuc al. quod peccatum mortale, de quo se iterum accusat. In quibus occasionibus sufficit, & etiam præstat tantum dicere: *absolvo te à peccatis tuis in nomine Patris &c.* vel si censura subest (quam seculares plebei in Germania rarissime incurrunt, ut bene notat Gobat *tr. 7. n. 163.*) *absolvo te à censuris & peccatis &c.* imò urgente mortis articulo sufficit solum dicere: *absolvo te;* quia etiam per sola hæc verba aliquis & à censuris, & à peccatis absolutus manet. Dian. *l. c.* & quidem ab illis prius naturâ, quam ab istis; modò Sacerdos utrumque intendat. Bonac. *l. c. n. 10.* Illa tamen oratiuncula: *Pascho Domini nostri &c.* non facile est omitenda, quia per eam omnia bona opera pœnitentis elevantur probabiliter virtute Sacramenti ad satisfaciendum ex opere operato, Filliuc. *tr. 8. lib. 2. n. 47.* & sup-

plet defectum impositæ fortè nimis parvæ pœnitentiæ. Dian. *l. c. & p. 3. tr. 4. Res. 97.* Plura de hoc infra à n. 115. Recitari autem potest, dum pœnitens ex confessionali egreditur, maxime si plures adsint, qui confiteri velint.

§. II.

Ritus Absolutionis.

83. Ritus, quo Absolutio Sacramentalis detur, non est certus præscriptus. Servanda est ergo cujusque loci & Diœcesis consuetudo. Communiter in his partibus solent Confessarii I. Formam Absolutionis una cum orationibus antecedentibus & consequentibus dicere aperto capite. Putat quidem Sà antiquus *V. Absolutio n. 2.* id non decere, & esse contra dignitatem, atque autoritatem Judicis; sed cum id fiat in honorem Christi, tanquam principalis Judicis, cuius nomine absolutio datur, merito Tan. *tom. 4. Disp. 6. q. 9. n. 4.* & Laym. *l. 5. tr. 6. cap. 3. n. 8.* docent, ubi utu receptum est, non esse immutandum. II. solent manum dexteram elevare nonnihil versùs pœnitentem, cum dicunt: *Indulgentiam, absolutionem &c.* III. solent dexterâ signum Crucis in aëre formare, cum essentialia Formæ verba pronuntiant, & id omittere cenlet Tan. *l. c. n. 2.* esse veniale, contra alios. IV. Sacerdotes seculares solent esse induti superpelliceo & stola, cum publicè in templo Confessiones excipiunt. Sed hæc omnes ceremoniæ possunt liberè sine peccato omitti, nisi alicubi scandalum, vel speciale statutum obest. Bonac. *de pœnit. Disp. 5. q. 7. p. ult. n. 3.* Unde etiam peccati non debet damnari, qui tecto capite dat absolutionem,

nem, maximè in hyeme, vel ex alia rationabili causa. Impositio manuum supra caput pœnitentis olim usitata, hodie rectiùs omittitur, præsertim circa feminas; & mos ille apud nos jam pridem exolevit.

§. III.

De absolutione à Censuris.

84. Antequam pœnitens à peccatis absolvatur, debet absolvi à censuris, siquidem talibus sit innodatus, quæ privent eum usu passivo, seu susceptione Sacramentorum; uti est Excommunicatio & Interdictum; non item Suspendio, quæ tantum privat usu activo Ordinis, Officii, vel Beneficii. Cum enim excommunicatis graviter prohibita sit suscepcio omnium Sacramentorum; illis autem, qui Interdicto causam dederunt, prohibita sit suscepcio Sacramenti Pœnitentiæ; hoc ipso quoque graviter prohibitum est, ne quis illis adhuc in tali censura constitutis Sacramentum hoc conferat, & sacramentaliter eos à peccatis absolvat.

Formulæ absolvendi à censuris passim à DD. tradi solitæ debent cum nonnullis aliis ceremoniis, sed in foro tantum externo, adhiberi. In foro autem interno non est præscripta ulla certa forma, sed potest absolutio à censuris fieri quovis signo externo, sufficienter illam indicante. Unde pro isto foro sufficit etiam quælibet ex communibus formulis, quibus uti possumus & solemus in absolutione à peccatis, *sup. n. 80. & seqq. allatis.*

Jam ergo si censuræ, quibus pœnitens est irretitus, sunt reservatæ, tunc Confessarius iis cognitis pœnitentem non tantum à peccatis censuratis, sed neque etiam ab aliis potest ordinariè loquendo

priùs absolvere, quam ablata sit censura. Debet proinde pœnitentem remittere ad Superiorem, vel ipse cum adire pro absolutione censuræ, vel potestate absolvendi.

Quodsi Confessarius per errorem vel ignorantiam judicavit, censuram non esse reservatam; vel pœnitens bona fide per inculpabilem oblivionem in confessione non expressit censuram, vel peccatum censuratum; atque ita absolutio à peccatis ei data fuit, tunc validè est absolutus, non quidem à censura, sed tamen à peccatis. Cum enim Gratia sanctificans, per quam formaliter remittuntur & expelluntur peccata, non sit impossibilis cum censura v. g. Excommunicationis, potest omnino quandoque fieri, ut validè detur sacramentalis absolutio à peccatis, manente censura. Si autem censuræ non sint reservatæ, tunc Confessarius, cum pœnitentem per communem aliquam formam ex supra allatis absolvit à peccatis, hoc ipso absolvit eum etiam ab illis censuris, quia harum absolutio implicite saltem continetur in verbis absolutionis à peccatis. *sup. n. 82.* & Sacerdos hoc ipso, quòd velit officio suo ritè fungi, habet sufficientem intentionem absolvendi non tantum à peccatis, sed etiam à censuris, à quibus potest & debet priùs absolvere.

§. IV.

An conditionatè dari possit Sacramentalis Absolutio?

85. Absolutio Sacramentalis, si detur sub conditione de futuro, non est valida. Bonac. *tom. 1. Diss. 5. q. 4. p. 3. n. 2.* quia cum existit Materia & Forma Sacramenti, deest adhuc intentio Ministri, qui

non vult tunc absolvere, sed primùm postea, quando exitura est conditio. Cùm autem postea existet conditio, non ampliùs existit Forma Sacramenti, nec ejus Materia saltem proxima v. g. contritio, ergo utroque tempore, atque ad eò absolutè invalidum est Sacramentum Pœnitentiæ, si absolutio detur sub conditione de futuro; & qui hoc modo absolveret, peccaret mortaliter. Bonac. *Disp. 1. q. 3. p. 2. s. 3. n. 18. in fine.* Sub conditione de præsentì vel præterito absolvere non est quidem invalidum, si res ita se habeat, sicut in conditione exprimitur. Bonac. *cit. p. 3. n. 1.* quia hujusmodi conditio non est propriè conditio, neque suspendit actum, sed per veram sui existentiam facit eum transire in absolutum, ergo Sacramentum perinde potest esse validum, ac si absolutè & sine omni conditione fuisset confectum. Nihilominus tamen etiam sub conditione de præsentì vel præterito ordinariè non est licitum absolvere. Palao de *pœnit. Disp. un. p. 5. n. 9.* quia est contra usum & praxin Ecclesiæ; contra ipsum quoque officium Confessarii foret, si absque debita inquisitione de dignitate vel indignitate pœnitentium passim eos sub conditione absolveret, idque Bonac. *l. c. n. 18.* cum Henriq. censet esse peccatum mortale.

Dixi autem ordinariè. Nam si post adhibitam debitam diligentiam adhuc dubium maneat. 1. An pœnitens sit sufficienter contritus; vel 2. an id, de quo solo se accusat, sit peccatum; vel an sit verè ab eo commissum; vel 3. an id suæ potestati & jurisdictioni sit subiectum, vel 4. an pœnitens adhuc vivat &c. tunc omninò licitè potest absolvi sub hac ex-

teriùs prolata, vel potiùs solo animo explicitè, vel, quod etiam sufficit, teste Tan. *q. 9. n. 3.* & Gobat *tr. 7. n. 272.* saltem implicitè concepta conditione: *si capax es; si possum &c.* Melius tamen est, in secundo casu curare, ut pœnitens certum aliquod peccatum ex aliis antehac jam confessis exprimat.

§. V.

An sapiùs de iisdem peccatis?

86. Et si Confessarius possit ab iisdem numero peccatis sapiùs absolvere eum, qui diversis temporibus ea sapiùs confitetur, ut *sup. n. 80.* dictum; in una tamen eadèmq; confessione sapiùs absolvere, & absolutè iterare formam, non potest absque mortali peccato sacrilegii. Bonac. *tom. 1. Disp. 5. q. 4. p. 4. n. 1.* quia frustraneus esset, & irreverentia magna, formam sacramentalem super eadem materia proxima, super qua jam semel legitimè prolata est, iterùm absolutè proferre. Imò iterare formam etiam tantùm sub eadè conditione aliqua de præsentì vel præterito, est peccatum ex genere suo grave. Bonac. *tom. 1. Disp. 1. q. 2. p. 1. n. 37.* nisi Confessarius rationabiliter dubitet, an absolutionem jam dederit; an omnia verba essentialia protulerit; an eum debita intentione &c. in quibus casibus non tantùm licitè potest sub conditione, modo *num. preced.* indicato, repetere Formam Absolutionis; sed insuper, si pœnitens aliquod mortale fuit confessus, tenetur etiam, & quidem sub gravi peccato, Absolutionem repetere eum conditione: *si nondum absolutus es.* Qui, cùm leve tantùm dubium vel merum scriptulum de data sua absolutione, vel ejus valore habet.

habet, & eam conditionatè repetit, sed ideò tantùm, ne DEUM vel proximum lædat, peccat tantùm venialiter. Tamb. de Sacram. l. 1. cap. 1. §. 3. n. 3. Quod si scrupuli aliquem reddant ita perplexum, ut tam repetere, quàm non repetere formam putet hîc & nunc esse peccatum, tunc fieri potest, ut repetendo nihil omnino peccet, utpote ratus id esse minus malum, quàm non repetere.

§. VI.

An ante injunctam pœnitentiam?

87. Absolutio primùm dari debet, postquam pœnitens sua peccata integrè enarravit, integritate saltem formali, si non possit etiam integritate materiali, sicut sæpe non potest juxta dicta *sup. p. 3. à n. 56*. Dari solet communiter primùm post injunctam pœnitentiam; sed quia de hoc nullum habemus præceptum, neque apparet, consuetudinem illam esse obligatoriam, ideo peccatum non est, prius absolvere & postea pœnitentiam injungere. Graviter autem peccat Confessarius, si pœnitentem, cujus Confessionem excepit, possit juxta probabilem aliquam sententiam licitè absolvere, & tamen absque justa & gravi causa recusat absolvere. Ratio, quia hoc est saltem contra Charitatem; & sæpe etiam contra Justitiam, quia lædit Jus, quod pœnitens per confessionem legitime factam acquisivit ad absolutionem; injustè quoque ei imponit onus eadem peccata iterum confitendi. Bonac. *cit. Diss. 5. q. 7. p. 4. §. 2. n. 18*. Et verò etiam Jodex foret, etiam peccat, si causâ sufficienter cognitâ sententiam, quam sine inco modo ferre potest, recuset ferre, vide *infra n. 107*. ubi

etiam dicitur, an liceat vel expediat differre absolutionem; de quo jam supra quodamque fufius actum est. *l. 1. p. 2. à n. 107*.

§. VII.

Danda à Confessaria percipiente omnia.

88. Confessarius, cum dat absolutionem, non est necesse, ut habeat in memoria distinctè peccata, de quibus se pœnitens accusavit; sed sufficit, si meminerit confusè; & in genere notum sibi habeat saltem statum pœnitentis pro illo tempore. Bonac. *cit. Diss. 5. q. 5. sect. 2. p. 3. n. 15. Et seq.* modò tamen antea, cum pœnitens ea enarravit, singula mortalia distinctè audiverit & intellexerit. Nam sicut Jodex de causâ incognita non potest legitime ferre sententiam; ita nec confessarius ab iis, quæ non audivit, vel non intellexit, potest ritè absolvere. Quando ergo rationabiliter præsumere potest, id, quod non percepit, esse speciem vel numerum alicujus peccati mortalis, tenetur tanquam Jodex & Medicus ex officio suo monere pœnitentem, nullo habito cujuscunque personæ respectu, ut repetat; & si quidem de aliquo peccato nihil prorsus percepit, debet statim jubere, ut repetatur, ne pœnitens cogatur deinde etiam aliqua mortalia ex bene perceptis iterum confiteri. Si genus peccati mortalis, sed absque specie vel numero, sit perceptum, tunc aliquibus videtur melius esse, si etiam statim de eo interrogetur pœnitens; aliis, si primùm in fine; vide Dicastillo *de Pœnit. Diss. 10. n. 496*. Quod si rationabiliter dubitet Confessarius, an id, quod non percepit, sit

mortale; vel an aliquid satis perceperit; non est tanta obligatio jubendi, ut repetatur; multò minùs, si perspecta pœnitentis integritate præsumere possit, id, quod non perceperit, esse tantùm veniale. vide Gobat. *tr. 7. n. 235. & seq.*

§. VIII.

Data à non percipiente omnia.

89. Quodsi Confessarius ob surditatem, somnolentiam, distractionem, ignotum idioma, strepitum in templo, nimis celerem, vel nimis submissam, vel aliter vitiosam pœnitentis pronuntiationem, nullum ex peccatis confessis audiat & intelligat, tunc data absolutio videtur prorsus esse invalida, quia non habet materiam, supra quam cadat; cum confessio, sicut accusatio apud Judicem, si non audiatur vel non intelligatur, sit nulla. Melius tamen Laym. *l. 5. tr. 6. cap. 9. n. 5.* & cum illo Palao *pœnit. Disp. un. p. 12. n. 3.* Dian. *p. 3. tr. 4. Resol. 109.* & *p. 4. tr. 4. Resol. 198.* atque alii docent, eam adhuc esse validam & fructuosam, si pœnitens bona fide confiteatur, quia Sacramentum Pœnitentiæ est adhuc validum, quando absolutio datur illi, qui Confessario manifestat tantum in genere se esse peccatorem, & absque omni sua culpa hîc & nunc plus præstare non potest; uti admittunt DD. in articulo mortis, & etiam extra illum probabile esse docet Dicast. *de pœnit. Disp. 9. n. 761.* de quo *inf. n. 103.* atqui in dato casu pœnitens sufficienter manifestat Confessario se esse peccatorem, si Confessarius advertat, illum sua peccata dicere, etsi ipse nullum in particulari intelligat; vel si pœnitens in fi-

ne dicat se esse confessum; vel petat absolutionem: hîc & nunc quoque, quia ignorat sua peccata non esse audita vel non intellecta, non potest plus præstare. Sic etiam Gob. *tr. 7. n. 239.* docet, quòd Confessarius, cum expertus est aliquem non committere mortalia, & inter alia venialia communiter se accusare de aliqua voluntaria distractione, possit eum adhuc absolvere, etsi ob distractionem non sit memor ullius peccati confessi. Multò magis autem valebit absolutio, quam Confessarius dat illi, ex cujus confessione non omnia, sed tamen aliqua, & saltem vel unum veniale tantùm in specie perceperit. Dicast. *de pœnit. Disp. 8. à n. 95.*

Quodsi tamen deinde pœnitens certò resciat, quod vel quænam ex suis mortalibus non fuerint à Confessario audita vel intellecta, debet nihilominus adhuc illud vel illa omnia iterum confiteri, ut ab iis, quæ omnino non audita vel intellecta sunt, directè absolvatur; alia autem, quæ sub ratione peccati sed in genere tantum sunt audita vel intellecta, ut subjiciantur potestati clavium etiam quoad suam speciem & numerum.

90. At verò si pœnitens in tali casu non sciat, quodnam determinatè peccatum mortale ex confessis non fuerit auditum vel intellectum, tunc juxta Gobat *tr. 7. n. 493.* tenetur singula mortalia, quæ tunc confitebatur, iterum confiteri, quia de singulis dubium est, an sint legitimè confessa & absoluta. Sed Lugo & Dicast. *l. c. n. 99. cum seqq.* concedunt quidem hoc, si confessio fuit brevis, & ex paucis tantùm v. g. tribus vel quatuor mortalibus unum vel alterum indeterminatè non fuit auditum vel intellectum. Si verò ex multis mor-

mortalibus sciatur tantum unum vel alterum non esse auditum vel intellectum, & nesciatur quodnam determinate sit illud, tunc negant ullum esse repetendum; quia etsi de singulis sit dubium, an sint legitime confessa, tamen dubium istud non est morale, sive sufficiens ad inducendam obligationem repetendi singula ex multis; sicut si constet Cajum esse filium unius ex pluribus civibus, dubium est de quolibet illorum, an non sit pater Caji. Sed dubium hoc non est morale seu sufficiens, ut propterea quilibet teneatur eum alere, pro hærede habere &c. Aliud est, si certo sit filius unius ex duobus tantum, vel tribus, & non sciatur determinate cuius. Præterea sicut in multis aliis casibus, ita etiam in hoc non videtur Christus exigere integritatem materialem confessionis, cum servari hæc non possit nisi cum tam gravi molestaque multorum peccatorum mortalium repetitione. Nihilominus tamen sicut ille, qui scit se aliquod mortale commisisse, sed non amplius meminit quale, debet illud confiteri in genere. Laym. *l. 5. tr. 6. cap. 8. n. 7.* ita etiam hæc debet pœnitens in confessione dicere: scio, vel (si dubium sit) dubito, an Confessarius audiverit vel intellexerit aliquod meum peccatum mortale, non tamen determinate scio, quale illud sit; de illo ergo, qualecunque sit, me iterum accuso.

91. Ex prædictis patet, Sacerdotem graviter peccare, si se exponat periculo in audiendis confessionibus ob suam surditatem non omnia mortalia percipiendi; & maxime, si, cum aliquid, quod rationabiliter præsumere potuit esse mortale, non percepit, nihilominus absolvit. Tum quia male fungitur officio Judicis, cum de

causa non plene cognita judicet. Trid. *Sess. 14. cap. 5.* Tum quia Sacramentum irreverenter tractat; cum contra materialem confessionis integritatem ex præcepto divino necessariam agat. Tum quia inique facit, ut pœnitens cognito defecta teneatur illud peccatum, & forte etiam plura alia juxta n. 88. & 89. iterum confiteri. Solum ergo talis Confessarius excusari potest in casu, quo necessitas, sive jam ex parte ipsius, sive ex parte pœnitentis orta, liberat ab obligatione præcepti de integritate materiali.

Simili modo graviter peccat, qui ob distractionem vel somnolentiam deliberate admittam non percepit, vel se periculo exponit non percipiendi aliquod mortale peccatum pœnitentis. Sed quia Confessarii communiter neutram deliberate admittunt, ideo in dubio non sunt censendi peccare, nisi tantum venialiter. Gob. *tr. 6. n. 491.*

Si denique Confessarius tantum ob imperitiam linguæ, quæ pœnitens utitur, non possit ea, quæ mortalia sunt, percipere, neque possit commodè pœnitentem ad alium, qui melius intelligat, remittere; tunc non tantum in articulo mortis, vel cum præceptum obligat, sed etiam quovis alio tempore licite potest eum absolvere. Sæ *V. Absolutio. num. 10.* Palao. *de Pœnit. Disp. un. p. 11. n. 2.* Laym. *lib. 5. tr. 6. cap. 8. n. 9.* quia in isto casu, sicut in nonnullis aliis, non obligatur aliquis ad materialem integritatem confessionis. Debet tamen Confessarius pœnitentem monere, ut mortalia quæ ipse non satis percepit, iterum apud alium linguæ magis peritum postea data occasione confiteatur. Unde etiam pœnitens si certo

certò præsciret hoc vel illud se non posse ita exprimere, ut Confessarius sufficienter quoad speciem intellecturus sit, posset id tunc omnino reticere, & tantum postea alteri magis perito linguæ confiteri. Idem est de iis, qui lingua quidem Confessario notâ v. g. germanicâ loquuntur, sed ob phrasin vel dialectum non notam, vel ob naturale & incorrigibile aliquod vitium pronuntiationis non possunt satis ab eo intelligi.

§. IX.

An danda à non discernente inter peccata?

92. Etsi Confessarius, ut *sup. n. 87.* dictum est, debeat omnia & singula pœnitentis peccata mortalia percipere, ut, quod iudicis est, de iis possit sententiam ferre, nullatenus tamen tenetur distinctè aut explicitè de quolibet audito peccato formare iudicium, an sit mortale vel veniale; quia cum hoc nemo facere possit, nisi qui omnium & singulorum peccatorum speciem, & circumstantiarum rationes perspectas habet; nemo autem vel certè paucissimi habere possint & habeant; nemo quoque vel non nisi paucissimi officium Confessarii suscipere, eique satisfacere possent. Bonac. *de pœnit. Disp. 5. q. 7. p. 4. §. 2. n. 8. & 12.* Sufficit ergo, si audiat & percipiat hæc vel illa peccata esse commissa; & de iis, quæ communiter & ordinariè committi solent, sciat iudicare, & iudicet, an ex genere suo, vel ex circumstantiis hæc & nunc expressis sint mortalia vel venialia, quia etiam hoc modo adhuc sufficienter agnoscit statum pœnitentis ad ferendam sententiam, & præscribenda apta emendationis remedia.

Quodsi vel Confessarius vel etiam pœnitens per errorem iudicet, peccatum aliquod, quod confitetur, esse tantum veniale, vel de eo dubitet; postea autem aliunde certò agnoscat, fuisse verè mortale, non tenetur illud iterum confiteri; modò antea, sicut à parte rei commissum est, distinctè confessus sit, quia ad valorem absolutionis non requiritur, ut Confessarius manifestè sciat peccatum, sibi in confessione explicatum, esse mortale, inquit Bonac. *l. c. n. 15.* Sed neque tunc tenetur pœnitens peccatum ejusmodi repetere, quando id juxta suam conscientiam confessus est tantum ut dubium, & postea cognoscit fuisse certò commissum, ut dictum est *sup. l. 1. p. 5. n. 170.* cum aliis contra Bonac. *l. c.* & alios.

Unde jam valet quoque absolutio data à Confessario tam indocto, ut discernere inter mortale & veniale non possit, Bonac. *ibid. q. 5. sect. 2. p. 3. n. 14.* modò pœnitens bona fide & integrè sua peccata exprimat, & non de industria talem indoctum Confessarium quærat; vel certè ipse sciat & velit omnia ea præstare, ad quæ ratione suorum peccatorum obligatus est. Tan. *tom. 4. Disp. 6. q. 7. n. 133.*

ARTICULUS II.

De officio Confessarii circa absolvendum.

Ut Sacramentum Pœnitentiæ administretur validè, multa quoque requiruntur ex parte illius, qui absolvendus est, nimirum 1. ut sit præfens, cum confiteatur; & 2. cum absolvitur, 3. ut confiteatur integrè; 4. cum vero dolore; & 5. cum voluntate vitandi occasiones, & satis.

satisfaciendi aliis obligationibus. Officiū ergo Confessarii exigit, ut quantum cum divina gratia potest, allaboret, ne hæc in absolvendo defint, nec ipse per suam culpam Sacramentum administret indigno.

§. I.

Absolvendus quis?

93. Sacramenti Pœnitentiæ capax est omnis & solus ille homo viator, qui baptizatus, & alicujus peccati actualis in, vel post baptismum commissi reus est, vel fuit. Cùm ergo Beatissima Virgo, sicut ab originali, ita etiam ab omni actuali peccato fuerit semper immunis, patet, eam nunquam potuisse confiteri, adeoque fabulosum esse, quod de S. Petro, vel de S. Joanne tanquam ejus Confessarii circumfertur. Qui autem hujus Sacramenti capax est, non recipit illud validè, nisi sit legitimo modo dispositus; de quo in seqq.

§. II.

De presentia quoad confessionem.

94. Itaque I. debet pœnitens esse præsens Sacerdoti, cùm ei confitetur, uti & cùm ab eodem absolvitur. Nam Clementis VIII. in sua Constitutione 1602. 19. Julii edita, ut refert Tan. *Disp. 6. q. 9. n. 5.* hanc propositionem: *licere per litteras seu internuntium Confessario absenti sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere*: damnavit ad minus uti falsam, temerariam & scandalosam, prohibuitque sub excommunicatione ipso facto incurrenda, & Pontifici reservata, ne publicè vel privatim doceatur, nève unquam ut in aliquo casu probabilis defendatur, aut ad praxin quovis modo deducatur. Debet autem hæc Clementina ita intelligi, ut in ea. censea-

R. P. Sto. Trib. Pœnit. Lib. II.

tur damnata & prohibita confessio & absolutio absenti facta, loquendo de illis non solum collectim, sed etiam divisim, uti declaravit Paulus V. 1605. 14. Julii apud Dic. *de pœnit. Disp. 9. n. 804.* & adhuc vivo Clemente officium S. Inquisitionis improbat contrariam eujusdam Theologi interpretationem apud eundem *l. c. n. 837.* qui ibid. 803. rectè colligit, Pontificem, cùm in suo Decreto dixit, *non licere in ullo casu confiteri absenti, vel absentem absolvere*, hoc ipso satis superque indicasse, quod neque valeat ita confiteri, aut absolvere. Nam si valeret, tunc saltem in casu extremæ necessitatis adhuc liceret; quia leges humanæ in tali necessitate communiter non obligant, ergo id, quod per se est validum, non potest per eas tunc prohiberi, reddique illicitum. Sed neque credibile est, quòd Christus voluerit aliquod salutis medium homini non esse licitum, quando extremè eo indiget, eoque validè uti potest. Sensus ergo Decreti Clementini est, quòd confessio absenti facta non sit valida; & quamvis deinde absolutio detur præsenti, tamen non sufficiat ad valorem Sacramenti; item quòd absolutio quoque data absenti sit invalida, irritumque Sacramentum, quamvis confessio facta fuerit à præsente. Dicit. *de pœnit. Disp. 5. n. 89.* Fundamentalis autem ratio utriusque nullitatis est, quòd hæc fuerit mens & voluntas Christi, Sacramentum Pœnitentiæ instituentis, uti constat ex communi sensu Ecclesiæ, & allatis Pontificum Decretis.

§. III.

Quid quoad hoc de Moribundo?

95. Nihilominus tamen si moribundus Confessarium vocari petat, vel alia signa Pœnitentiæ edat, & unus (sive jam ipse

G

ipse

ipse per se viderit & audiverit, sive ab aliis tantum intellexerit; & vel vir, vel famina, vel puer, fidelis vel infidelis fuerit) hoc Sacerdoti absenti referat, potest deinde Sacerdos ad ægrum accedens illum præsentem adhuc absolvere, quamvis referens non redeat cum illo ad ægrum, & æger jam tum sit omnibus sensibus destitutus, vide *sup. l. 1. p. 3. n. 57.* Multi quidem etiam ex præstantissimis Theologis iudicârunt hoc esse expressè contra supra memoratum Decretum Clementinum, adeoque illicitum & invalidum, quia in ejusmodi casu confessio est tantum illa petitio seu vocatio Confessarii, vel alia signa Pœnitentiæ; atqui hæc sunt facta absente Sacerdote, eique absenti per internuntium indicata, ergo & confessio. Sed Archiepiscopus Armacanus litteris ad P. Aegid. Coninch. *An. 1624. 6. Junii datis,* & à Dicast. *cit. Disp. 9. n. 837.* relatis testatur, quòd ipse Pontifex Clemens VIII. hac super re interrogatus illi responderit, sibi non fuisse propositum, damnare aut prohibere, quòd in allato casu absolutio Sacramentalis impendatur. Unde in Rituali Rom. quòd post Clementem operâ aliquorum Cardinalium & eruditorum virorum consilio confectum, & autoritate Apostolica Pauli V. editum fuit, hæc de moribundo sensibus destituto verba inserta fuerunt; *etiam, si desiderium confitendi per se vel per alios (non additur præsentis) ostenderit, absolvendus est.* Sed & Suarez cum ex urbe Romana ubi diu hac de re disceptavit, rediit, in litteris 1610. 9. Oct. Conimbrica datis, & à Tann. *cit. q. 9. n. 16.* relatis; *mibi, inquit, cerò constat, non fuisse hanc mentem Pontificis,* nimirum prohibendi, ne in proposito casu moribundus sacramentaliter absolvatur.

Unde autem Suarezio id tam cerò constabat? *tum ex ore, inquit, utriusque Pontificis (Clementis scilicet & Pauli) tum ex sententia multorum Cardinalium; tum quia etiam hoc nunquam fuit revocatum in dubium.*

96. Solùm ergo superest ostendere, quomodo nihilominus verba Decreti Clementini adhuc salva maneat. Aliqui autem volunt, confessionem moribundi in prædicto casu fieri aliquo modo adhuc præsentem Confessario: quia signum Pœnitentiæ cum expressa vel virtuali intentione de habendo præsentem Confessario datum à moribundo, sicut antè in Confessario absente cavavit, notitiam de ægroti pœnitentiâ, ita etiam in Sacerdote jam præsentem adhuc cavat eandem; ergo signum illud seu confessio, quæ hîc in tali signo consistit, fuit antè confessio absentis, & jam, cum adest Confessarius, incipit esse, & est confessio præsentis. Et hoc videtur longo suo discursu velle Dicast. *l. c. n. 843.* Expediitior via est, & menti Pontificum conformior, si dicatur, in Decreto Clementino per confessionem intelligi tantum eam, quæ est *ordinaria*, hoc est, quæ fit modo ordinario, per se & primariè intento à Christo in institutione Sacramenti Pœnitentiæ, cum nimirum aliquis, quantum est ex sua parte, omnia peccata mortalia, quorum sibi conscius est, potest & communiter debet exprimere. De hac enim confessione certum est, quòd in nullo casu ne quidem in articulo mortis possit licitè aut validè per litteras vel per internuntium fieri absenti Sacerdoti. De alia autem confessione, quæ est tantum *extraordinaria*, & juxta institutionem Christi non per se, sed per accidens tantum est sufficiens ad valorem Sacramenti (cum nimirum

mitum aliquis in casu necessitatis vel nulum potest peccatum in specie exprimere, vel tantum paucula ex iis, quorum sibi conscius est; de hac inquam extraordinaria confessione verba Decreti nullo modo intelliguntur, neque mens Pontificis fuit, ut de ea intelligantur, ut constat ex dictis. Et ferè hoc ipsum quoad rem vult Card. Lugo, et si Dicast. l. c. à n. 820. modum ejus strictè judiciali multis impugnet. Ista autem ideo referre hic volui, ne quis terreatur Decreto Clementino, quod illi, qui moribundos in memorato casu vel aliis negant esse absolvendos, objectare solent.

97. Quidquid autem de his sit, securissimè & salvo Decreto Clementino aliisque principiis Theologicis in violatis procedere possunt Confessarii, si ex Petro Marchantio, proprià experientiâ docto, in *Trib. Sacram. tom. 1. tr. 4. tit. 4. dub. 7.* apud Dian. p. 9. tr. 6. Ref. 20. observent seqq. 1. moribundum sæpe esse destitutum. motu uluque externorum membrorum & capitis, non tamen etiam usu sensuum saltem omnium, sed amissis aliis retinere saltè auditum. 2. destitutū omnibus sensibus non esse semper etiam statim destitutum usu rationis. 3. moribundum, sicut quemvis alium constitutum in extrema necessitate, si non possit dare signa, quæ ab ipso alii exigunt, vel quibus clarè certè & indubitatè significare videatur, se dolere de peccatis, se petere auxilium &c. dare saltem ea signa, quæ ipse tunc potest dare; adeoque in nostro casu suspiria, gemitus, fixos oculorum intuitus, & quemvis corporis motum posse pro probabili vel saltem pro dubio signo Pœnitentiæ, adeoque pro sensibili Confessione haberi, uti etiam rectè

docet Tamb. de confess. l. 2. cap. 10. §. 1. n. 16.

Nam ad hæc ita rectè subsumitur; atqui omnis ille, non tantum Catholicus, sed etiam quivis alius, de quo rationabiliter præsumi potest, quod sit baptizatus, & credat vitam æternam, atque absolutionem sacramentalem esse sibi peccatori necessariam ad eam, si det probabile signum Pœnitentiæ, potest absolutè absolvi; & si det signum tantum dubium, potest sub conditione, si capax er, absolvi; ergo cum omnis moribundus ex iis, quos modò in minore nominavi, quamdiu caret Sacramento Pœnitentiæ sibi necessario, videatur per actus illos, quos adhuc potest exercere, & exercet, illud petere, sicque præfenti Confessario, si non certum, saltem probabile, vel dubium signum Pœnitentiæ dare, ut dictum est, potest Confessarius omnem talem moribundum vel absolutè, vel saltem sub conditione absolvere. Et quia potest absolvere, omnino etiam sub gravi peccato (contra charitatem; vel si proprius Parochus sit, etiam contra justitiam) tenetur urgente mortis periculo absolvere juxta communem apud Palao de pœnit. Disp. un. p. 11. n. 11. Dian. p. 3. tr. 3. Ref. 9. ubi Valq. Confessarios, qui tales moribundos non absolvunt, meritò vocat *reos & necatores animarum*. Illi autem econtra, qui absolvunt eosdem, prorsus malè à nonnullis apud Dian. l. c. Ref. 8. dicuntur *rudiores Sacerdotes*, aut *errare*, aut *indiscretè, ignoranter, aut absque fundamento etiam apparente procedere*. Certè Tamb. celebris & in praxi præclarè versatus Doctor l. c. n. 12. ait, regulariter sine absolutione se neque illum dimissurum, qui dum actu peccat, repente incidit in articulum mortis, omnibus sensibus destitutus; quia putat rarissimè fieri,

fieri, ut tali non suppetat etiam adhuc tempus eliciendi attritionem, eamque externo aliquo signo indicandi. vide *sup. l. 1. p. 3. n. 58.*

98. Ex quibus jam 1. patet, etsi, speculative seu præcisè loquendo, probabile sit, moribundum, si nullum dat, nec antè, quàm sensibus sit destitutus, signum Pœnitentiæ clarum dedit, non posse absolvi; practicè tamen propter superveniens & urgens præceptum Charitatis vel Justitiæ non esse probabile. 2. patet, Sacramentum Pœnitentiæ hîc non administrari sine materia sua proxima, hoc est sine confessione sensibili, quia moribundus verè aliquod externum Pœnitentiæ signum saltem dubium exhibet; & quia exhibet coram ipso Sacerdote præsentè, etiam non fit confessio absenti; adeoque Decretum Clementinum si de moribundis quoque intelligendum esset, ut aliqui *sup. n. 95.* voluerunt, maneret adhuc inviolatum. Sed 3. semper mihi visum est, Doctores hîc extremè sibi oppositos posse inter se haud difficulter conciliari. Ad hanc enim Quæstionem: *an moribundus sensibus destitutus possit absolvi, etsi nullum det, vel nullum antè dederit Pœnitentiæ signum?* Illi DD. qui affirmant, videntur per verba: *nullum signum*: velle tantùm excludere omnia illa signa, qualia communiter exiguntur & dantur à moribundis, expeditum adhuc mentis & corporis sui usum habentibus, quæque sunt clara, certa, atque indubitata; non item simul etiam omnia alia probabilia aut dubia. Illi autem DD. qui negant, videntur eadem verba accipere universalissimè, ita ut per ea excludantur non tantùm omnia communia seu ordinaria & certa signa, sed

præter illa simul etiam omnia alia extraordinaria, probabilia, & dubia: in quodam sensu rectissimè negant, quia hac ratione Sacramentum Pœnitentiæ careret materiâ suâ proximâ, seu confessione sensibili; sed in hoc nihil dicunt, quòd sit contra priorum DD. sententiam, & nostram.

§. IV.

Quid de confitente per litteras vel internuntium?

99. Qui per litteras ad Confessarium missas sua peccata proponit legenda, vel ei per internuntium curat indicari, sed postea ipse coram præsentè Confessario petit ab iis, quæ per litteras vel internuntium antè indicavit, absolvi; vel dicit v. g. *accuso me de omnibus ante indicatis &c.* nihil agit contra Decretum Clementinum, sed validè confitetur, quia hoc modo ratificat & renovat coram præsentè Sacerdote suam confessionem, quam antea per litteras vel internuntium fecerat absenti, ergo hoc ipso tunc jam confitetur præsentè. Bonac. *Disp. 5. q. 4. p. 5. n. 2.* An autem, & ex qua causâ licitum sit, ut pœnitens non ore tenus sua peccata profert, sed in scripto det Confessario legenda, vide *sup. l. 1. p. 3. n. 82. & 83.* Qui confiteri vult per interpretem, non tenetur sua peccata illi dicere præsentè Confessario. Dicast. *cit. Disp. 9. n. 810.* contra Lugo; deinde tamen (loquendo extra casum necessitatis) debet esse præsentè, cum interpretes ea Confessario refert; vel certè debet ea, quæ interpretes in ejus absentia dixit, ipse postea coram Confessario ratificare & renovare. An verò & quando teneatur aliquis confiteri per in-

terpreterem dictum itidem est *sup. l. 1. p. 3. n. 77.* Et hæc de præsentia ad Confessionem necessaria. Nunc de eadem pro Absolutione.

§. V.

De præsentia quoad absolutionem.

100. II. Ut pœnitens juxta Decretum Clementis VIII. *sup. n. 93.* validè à peccatis absolvatur, debet esse præsens; sufficit tamen, si sit saltem moraliter præsens. Cùm autem Sacramentum Pœnitentiæ institutum sit ad Formam Judicii, debet moralis hæc præsentia æstimari juxta eam, quæ Reus, personaliter stans in Judicio, debet esse præsens Judici, quando fertur sententia. Censetur ergo aliquis in ordine ad Sacramentalem absolutionem peccatorum adhuc esse moraliter præsens, si distat à Confessario, sed non longius, quàm ut adhuc possint, per se loquendo, se mutuò audire, si eâ voce uterentur, quâ homines in communi colloquio ordinariè uti solent. Tamb. *lib. 5. de pœnit. cap. 2. n. 11.* qui propterea *ibid. n. 13.* rectè ait, lethaliter vulneratum in platea ad ædes posse validè & licitè à Confessario per fenestras absolvi, si fenestræ non longius, quàm dictum est, distent, & periculum in morasit. Eodem ergo modo Confessarius ex platea potest intus jacentem in infimo conclavi moribundum, vel intus ad clausam domûs januam stantem pestiferum absolvere. Unde etiam necesse non est pœnitentem ad confessionale revocare, si ante absolutionem inde abiit, sed nondum longius, quàm dictum est; etiam si fortè propter aliquod obstaculum non ampliùs videri possit. Juxta Mollesium

censetur absolvendus etiam adhuc esse moraliter præsens; si distet viginti passibus; & juxta Bonac. *Disp. 5. q. 7. p. 6. n. 2.* si nondum recessit è conspectu Confessarii; vel si quidem non ampliùs videretur, tamen adhuc de præsentia ipsius non dubitatur. Quod si ergo aliquando pœnitens ultra terminum, quem cum Tamb. posuimus, recessit, & non potest sine notabili incommodo revocari, tunc confessarius posset istorum DD. sententias sequi, & saltem sub conditione illum absolvere. Neque tamen necesse est tunc, ut *quanta potest vocis contentione* pronuntiet formam absolutionis, sicut vult Tamb. *cit. n. 13.* cùm nullo modo requiratur, ut pœnitens eam audiat. Ille verò omninò invalidè ageret, qui extra domum in platea stans absolveret in superiore aliquo domus cubiculo jacentem, quem antè oblitus erat absolvere. Nam hic absolvendus ei nec physicè, nec moraliter est præsens. Absens ergo, etsi possit aliquando confiteri, ut dictum *sup. n. 95.* nunquam tamen potest validè absolvi. Quæ disparitas ultimè desumitur ex voluntate Christi ita instituentis, indicatâ per ipsa verba Formæ, & communem sensum Ecclesiæ.

§. VI.

An & quando interrogari debeat absolvendus?

101. III. Absolvendus, ut ei Sacramentum Pœnitentiæ validè possit administrari, debet confiteri integrè integritate non tantùm formali, sed etiam, quantum potest, materiali; de quo *sup. lib. 1. p. 3. à n. 55.* Hæc ergo ne deficiat, de-

bet præcipuè quidem pœnitens, sed tamen simul etiam Confessarius ex suo Officio curare. Nam Confessarii est, more periti Medici diligenter inquirere & peccatoris circumstantias, & peccati, *cap. Omnis utriusque. 12. de pœnit. & remiss.* & instar Judicis causam ita examinare, ut quantum pro fori sui conditione satis est, explicetur; cùmque non tantùm pœnitentis bonum promovere, sed etiam Jus offensi DEI fideliter tueri debeat, officii ipsius est, ut, quoad fieri potest, à Reo omnis mortalis offensa DEI in judicium adducatur. Et si ergo Medina, Henriq. & Sà antiqua apud Tan. *tom. 4. Diss. 6. q. 7. n. 95.* asserant, Confessarium non teneri quidquam ampliùs interrogare, si pœnitens debitam in seipso examinando diligentiam adhibuit: nihilominus I. juxta S. Thom. & alios DD. communiter apud Tan. *l. c.* Dicast. *Diss. 10. n. 488.* & Bonac. *de pœnit. Diss. 5. q. 5. sect. 2. p. 2. §. 1. n. 7.* tenetur confessarius etiam talem pœnitentem adhuc (*per se & regulariter loquendo*) interrogare, si judicet, ab eo determinatum aliquod peccatum, speciem, numerum, vel circumstantiam necessariò confitendam ex errore, oblivione &c. etiam inculpabiliter omitti: & si non interroget, docet Cajetan. Angles, & Lopez, eum peccare mortaliter, quibus consentit Laym. *l. 5. tr. 6. cap. 13. n. 10. v. Dico III.* Ratio patet ex dictis, quia Confessarius tanquam Judex debet causam, de qua judicet; & tanquam Medicus debet morbum ægri, quem curet, cùm non satis liquet, ex suo officio investigare. Palao *de pœnit. Diss. un. p. 19. §. 2. n. 3.* ubi ait, hoc sibi esse certum. Quod si tamen

Confessarius prudenter judicet, pœnitentem per se satis scire requisita ad substantiam Confessionis, suis è que ab ipso diligentiam moraliter sufficientem adhibitam, tunc non tenetur eum, nisi de illo, quod certò scit omitti, interrogare. Dicast. *l. c. n. 493.* uti nec alios, si censentur debite se examinasse, & adhuc vel videantur vel sciantur, non tamen determinatè & in specie, sed tantùm indeterminatè & in genere aliquid necessarium sine sua culpa omittere. Tan. *l. c. n. 98.* qui putat hac ratione posse contrariam sententiam cum nostra conciliari. In quem sensum rectissime cum Soto *Diss. 18. q. 2. art. 4.* dicitur: pœnitentis est confiteri, & ad hoc se debite examinare; Confessarii autem absolute non est examinare pœnitentem, nisi in defectum pœnitentis; quem, si velit, absolvere, tenetur supplere. Videatur Laym. *l. c. à n. 7.*

102. Multò magis autem, *per se & regulariter loquendo*, tenetur Confessarius interrogare II. si pœnitens, licet præmissò debito examine & inculpabiliter, omittat mortale, ad quod habet adhuc vigentem affectum; quia debet eum hoc modo nondum ritè dispositum melius ad absolutionem disponere. III. si omittat mortale, quod cedit in grave damnum & præjudicium tertii: quia Confessarius id ex charitate, vel etiam ex Justitia tenetur impedire; & maxime IV. si pœnitens videatur malitiosè & cum gravi sua culpa aliquid necessariò confitendum omittere; quia per hoc efficitur confessio sacrilega, & confessarius, si re dissimulata absolveret, cooperaretur sacrilegio; V. si pœnitens seipsum non eaque moraliter poruit & debuit, diligentia

tiā examinavit. Et si enim alicui ob gravem & valde culpabilem hac in re negligentiam non immeritò negari possit absolutio, eique imperari, ut melius se examine; potest tamen etiam Confessarius defectum istum pœnitentis ipse suo examine in ipsa actuali confessione adhuc supplere, si velit. Bonac. de pœnit. Disp. 5. q. 5. sect. 2. §. 1. n. 6. Palao de pœnit. Disp. un. p. 19. §. 2. n. 1. Dicast. cit. disp. 10. n. 490. cum seq. VI. si pœnitentes sint inepti ad se ipsos sufficienter examinandos, ut ferè sunt rustici, alique rudes, tunc juxta Dicast. l. c. n. 498. melius est, ut ipse Confessarius eos in confessione breviter interrogando examine: imò, si velit absolvere, tenetur etiam examinare, quantum vacat. Bonac. l. c. n. 7. Laym. l. 5. tr. 6. cap. 13. n. 10. v. Dico II. Idem ferè est VII. de iis, qui sua peccata non possunt sufficienter manifestare, ut sunt muti, & alii, qui non possunt satis intelligibiliter loqui. Nam si isti extracatum necessitatis confiteri velint, & Confessarius aliquo modo eorum statum, conditionem, & mores habeat perspettos, melius est, ut ipse eos examine, quia illi ad interrogationes annuendo vel renuendo possunt facilius aliquid significare, & Confessarius potest plus inde intelligere, quàm ex aliis signis & gestibus ultrò exhibitis. Novi sacerdotem Religiosum apoplexiâ tactum, qui postea diu supervixit, satis sui compos, sed linguæ ita corruptæ, ut verba prolata ferè temper aliud, quàm quod ipse voluit, significaverint. Unde cum non facile potuerit se verbis explicare, Confessarius solius fuit interrogando examinare, & post-

quam ex annutu vel renutu accepit sufficientem materiam, absolvere.

Dixi autem in hoc & *preced. num.* quòd confessarius *per se* & *regulariter loquendo* teneatur interrogare; quia subinde Confessarius, cum commodè non possit interrogare, potest pœnitentem in bona sua fide relinquere; subinde autem etiam debet, si nimirum interrogatio cederet in grave damnum ipsius pœnitentis, vel alterius tertii, de quo plura infra. Porro quando nam pœnitens censeatur in se ipso examinando diligentiam moraliter sufficientem adhibuisse, est dictum *sup. lib. 1. p. 1. à n. 11.* Quomodo autem Confessarius debeat pœnitentem examinare, dictum est *hoc lib. à n. 20.*

§. VII.

De consistente peccatum tantum in genere.

103. Superest tamen adhuc duplex Quæstio hîc discutienda.

Prior est ista: *An extracatum necessitatis possit aliquando tanquam integrè confessus absolvi validè, qui se tantum accusat de aliquo peccato in genere, nulla specie expressâ?* Et in primis de mortali loquendo, qui sic se commisisse aliquod mortale, sed proliis immemor est speciei, tenetur illud in genere confiteri, dicendo: v. g. *semel commisi peccatum mortale, sed non amplius possum scire quale* Laym. l. 5. tr. 6. cap. 8. n. 7. Dian. p. 3. tr. 4. Res. 66. quia quodvis mortale debemus eo modo subicere clavibus, quo modo conticiumus, & possumus, ergo

ergo saltem in genere, si non possumus in specie. Potest quoque penitens, si præter illud non habeat ullum aliud mortale, validè & licitè ab illo solo absolvi. Dicast. *de penit. Disp. 9. n. 743.* & quidem directè: ut ibidem *n. 132. & seq.* probat. Quamvis postea, si in memoriam veniret etiam species & numerus, deberet iterum illud in specie & numero confiteri.

Quid autem nullius peccati mortalis sibi conscius est, & in confessione generatim tantum, nullam speciem aut numerum exprimendo, dicit: *peccavi venialiter, accuso me esse peccatorem &c.* potest non tantum in casu necessitatis, sed etiam extra validè & licitè absolvi juxta aliquos apud Bonac. *Disp. 5. q. 5. sect. 2. p. 2. §. 3. Disp. 2. n. 15.* Tan. *tom. 4. Disp. 6. q. 9. n. 117.* & Dian. *p. 3. tr. 4. Res. 66.* idque non tantum speculativè, sed etiam practicè esse sibi satis probabile docet Dicast. *l. c. n. 761.* quia fortassis præceptum de exprimenda specie peccatorum non extendit se ad venialia. Consultius tamen omnino & tutius est, peccatum aliquod in specie pro certa Sacramenti materia exprimere; & Laym. *l. 5. tr. 6. cap. 5. n. 15.* & *cap. 8. n. 8.* cum Suar. & Coninc. dicit in praxi non esse extra mortis periculum absolvendos, sed suæ conscientia relinquendos rudes illos homines, qui etiam examinati à Confessario nullum, ne quidem veniale, peccatum in specie confitentur. Præterquam enim quòd in Sacramento non liceat materiam dubiam (qualis hîc est veniale in genere) extra casum necessitatis adhibere; videntur ejusmodi idiotæ etiam ignorare, quid sit

peccatum & offensa DEI, vel vero peccatorum dolore carere. Nihilominus tamen quia Layman *l. 5. tr. 6. cap. 13. num. 10. v. Dico II.* rectè docet, quòd Confessarius, si commodè potest, & tempus permittit, nec multitudo volentium confiteri impedit, teneatur ex lege charitatis rudes ejusmodi homines, & quidem non tantum illos, qui bona fide; sed etiam alios, qui ex malitia vel crassa negligentia, adeo imparati accedunt, ad absolutionem disponere; quando priores se non possunt per se melius præparare, vel non possunt communionem differre; & posteriores alio tempore non videntur amplius redituri: ideo in praxi semper prius laborandum est, ut aliquod peccatum saltem veniale in specie exprimat. Idque fortè succedet faciliè, si in primis ipsis ostendatur, quòd cum omnes quotidie in multis offendamus, & ipsi nullius culpæ sibi conscii sint, sine dubio nihil vel parum attenderint ad sua cogitata, verba, & opera, an licita vel illicita sint: tum interrogentur, an non de hac omissione, & negligentia, quæ utique est aliquod peccatum, se accusent, & doleant. Quodsi affirmant, jam confitentur peccatum in specie, possuntque sacramentaliter absolvi. Juverit etiam interrogare, an adhuc unius, vel alterius, & cujus peccati meminerint, quòd ante hæc aliquando confessi sunt? & si quòd expriment; interrogentur ulterius, an iterum de eo se accusent, & doleant? Quodsi affirmant, jam habetur materia in specie ad absolutionem certò sufficiens.

§. VIII.

De negante peccatum commissum.

104. Posterior quaestio circa integritatem confessionis est: *An debeat, vel possit absolvi, qui negat se commississe peccatum aliquod mortale, quod Confessarius novit eum commississe?* Ratio dubitandi est, quia in foro conscientiae credendum quidem est poenitenti tam pro se, quam contra se, ut habet tritum axioma. Sed Bonac. *de poenit. Disp. 5. q. 5. sect. 2. p. 2. §. 1. in fine* rectè ait, id intelligendum esse tantum cum hac exceptione: *nisi den-der constet, oppositum, notaque sit poenitentis indispositio.*

Sic ergo responderetur. Si Confessarius novit illud peccatum ex sola confessione complicitis, tunc de eo ne quidem interrogare potest poenitentem, nisi generaliter tantum (v. g. an nihil aliud habeat, quod confiteatur) vel nisi peccatum illud sit, de quo alii ejusdem conditionis poenitentes interrogari solent; vel denique nisi à poenitente acceperit licentiam, de illo peccato speciatim loquendi cum complice, neque scandalum obster. Laym. *l. 5. tit. 6. cap. 14. n. 24.* Ratio, quia alioquin frangeret Sigillum. Tan. *tom. 4. Disp. 6. q. 7. n. 99.* qui tamen *q. 9. n. 146. Et seq. cum aliis* contra alios docet, Licentiam solius poenitentis non sufficere. de quo *infra n. 230.*

Quod si Confessarius peccatum illud ab aliis fide dignis extra confessionem cognovit, vel ipse suis oculis vidit, v. g. firrantem, obscæna agentem, audivit blasphemantem &c. vel juxta Laym. & alios contra Tan. & alios, prædicta & accepta à poenitente licentia valeat: tunc omni-

R. P. Stoz Trib. Poenit. Lib. II.

no potest, & debet de ejusmodi peccatis in specie interrogare complicem, si in confessione ipse se non accuset, ut dictum *suprà n. 101. cum seqq.* Sed si iste constanter neget, debet eum plerumque absolvere. Laym. *l. c. n. 25.* quia Confessarius debet poenitenti hinc magis credere quam complici, vel aliis, vel etiam sibi ipsi, & propriis suis oculis, atque auribus. Cum enim tam multa causæ sint, ob quas legitimè potest aliquod peccatum mortale in confessione reticere, adeoque negari, cumque præterea nullus actus externus sit formaliter peccatum mortale, nisi fiat cum plena deliberatione & advertentia ad malitiam moralem ejusque gravitatem; atque adeò peccatum ex genere suo mortale sapissimè per accidens fiat veniale; hæc autem, & similia communiter aliis non possint esse certò perspecta, neque sub sensum cadant; certum etiam aliis esse non potest, poenitentem in hac vel illo actu externo peccasse mortaliter; vel teneri, si mortaliter peccavit, hinc & nunc confiteri.

Quod si tamen, quandoque consideratis omnibus circumstantiis certò constaret, peccatum mortale esse à poenitente commissum; idque ab eo malitiosè, ac mendaciter negari, tunc etiam certum est, non posse absolvi. Dicant. *de poenit. Disp. II. à n. 331.* quia, cum posset, & deberet, non integrè confitetur; eumque absolvens peccaret graviter, & contra suum Judicis officium, & contra reverentiam Sacramenti, invalidè & sacrilegè administrando illud indisposito. Tamb. *de Confess. lib. 3. cap. 9. n. 5. Et seqq.* Lug. *de poenit. Disp. 22. n. 21.* Vide Fagund. *Præcepto 2. lib. 6. cap. 5. n. 37. Et 38.*

H

§. IX.

§. IX.

*Quomodo debeat & possit excitari
ad Contritionem?*

105. IV. Absolvi validè non potest, qui caret vero de suis peccatis dolore, hoc est contritione, vel saltem attritione. Quæ autem necessaria sit ad Sacramenti Pœnitentiæ valorem, contritio vel attritio; & quomodo elicienda; vide *sup. lib. 1. p. 2. à n. 1.* Hic tantùm addo, quòd in iis, qui præsumuntur scire, quæ ad Sacramentum Pœnitentiæ spectant, sufficiens signum doloris esse possit, ipsa seria peccatorum enarratio; & multò magis si ipsi dicant, se dolere. Quid sit de illis, qui dicunt, se in priore confessione non habuisse sufficientem dolorem, vide *cit. p. 2. n. 343.* Quod si appareat, pœnitentem enarrare sua peccata sine requisito dolore, tenetur Confessarius eum hac de re ante absolutionem examinare, & si defectum reperit, salubri exhortatione disponere. *Laym. l. 5. tr. 6. cap. 13. n. 10. V. Corollarium.* proposita turpitudine peccati, gravitate offensæ DEI, & pœnæ infernalis. Plurimum autem negotii hîc facessere solent pueri & puellæ; homines rudes, & peccatores indurati. Omnes sunt ad elicendum dolorem, quasi manducendi propositis nonnullis quæstiunculis, quas hîc, quia cum simplicibus sermocinatio, simplici tantùm modo potiùs insinuo, quàm describo. Et verò quantumcunque exaggerato & pathetico stylo chartis imprimantur, si Confessarius ferventi Zelo, magno spiritu, devotâque mente animam non addat & efficaciam, sunt omnia sicut gladius Scanderbegi sine manu Scanderbegi.

Cum puero ergo & puella hoc vel simili modo age. Q. 1. quo deveniunt post mortem homines, qui peccant? Resp. in infernum, vel purgatorium. Q. 2. quis detrudat & detrudijubet, seu damnat ad ejusmodi pœnas? Resp. DEUS. Q. 3. agnoscisne, etiam te peccasse? annon ergo etiam tu meritus es, ut tibi DEUS offensus, & iratus, similem gravem pœnam infligat; sed ne infligat, jam oculis in caelum elatis, vel ad hanc v. g. Crucifixi imaginem converfis, dic ex animo: O JESU Christe! miserere mei, & parce mihi! jam volo me emendare, vel: O DEUS! propitius esto mihi peccatori.

Cum rudibus simili modo procedi potest, vel etiam isto: si offendisses magnam aliquem Dominum, & quidem ex se dignissimum, ut ab omnibus ametur, & honoretur; à quo insuper haberes, quidquid habes in bonis animæ, corporis, & fortunæ; quique ea omnia singulis momentis, ne pereant, tibi conservat, & quasi de novo donat, si inquam offendisses talem Dominum (maximè graviter) an non vehementer doleres? Affirmantem interroga ulterius; an non credis DEUM esse talem Dominum dignum, qui ab omnibus summè ametur, & honoretur; qui corpus, animam, & omnia, quæ habuisti, & adhuc habes, tibi dedit; & ita tibi conservat, ut quovis momento, quo cessaret conservare, omnia perirent, & tu cum illis? Annuentem porrò urge: annon ergo doles, quòd DEUM offenderis, & peccata, quæ summè DEO displicent, ei que sunt abominatio maxima, commiseris? si etiam hoc affirmat, jube, ut ex animo dicat: DEUS meus & Dominus meus doleo, me

aliquando, quod tibi displicet, fecisse, & ita infinitam Majestatem tuam offendisse; ignosce, O magne DEUS! deinceps melius me geram, & magis tibi serviam. Ad eundem finem facit etiam similitudo desumpta à Patre, vel Amico intimè dilecto, à Benefactore magno. Interrogandus enim est rudis pœnitens, an non habeat talem parentem, amicum, benefactorem? an non, si habeat aliquem, & illum, offendisset, graviter doleret? an non & DEUM credat esse optimum suum Patrem, maximum amicum? an non agnoscat, quòd illum suis peccatis offenderit? an non ergo meritò, & de hoc dolere debeat, & cum filio prodigo dicere: *Pater! peccavi in cœlum, & coram te; non sum dignus vocari filius tuus* &c.

Indurati denique poterunt cum divina gratia ad aliquem dolorem emolliiri, hujusmodi interrogatione: Si severissimus Judex, quem semel, vel sæpius in aliqua re offendisti, jam cum suis Ministris Justitiæ coram adesset, & acerbissimam mortem per ferrum, ignem &c. minaretur; nisi culpam cum dolore & proposito emendationis deprecareris, an non statim provolutus in genua id faceres? an non credis DEUM esse Judicem ita rigidum, ut nullum, etsi nostro Judicio etiam levissimum, delictum relinquat impunitum? an non credis illum hîc esse præsentem, & tibi minari acerbissimas hujus & alterius vitæ pœnas, quas quovis momento inferre potest; & incertum est, an hoc vel alio momento sit re ipsa illaturus? nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit; arcum suum tetendit, & paravit illum, & in eo paravit vasa (seu instrumenta) mortis. *Psalms. 7. v. 13.* Prostratus itaque antefaci-

ciem Domini dic: *parce mihi, Domine, parce mihi misero peccatori! doleo, quòd peccando te offenderim: Volo & propono nunquam id amplius facere* &c.

§. X.

Quomodo ad deserendam occasionem proximam?

106. V. Absolvi denique etiam validè non potest, qui non habet propositum satisfaciendi omnibus suis obligationibus, quibus sub peccato mortali est obstrictus, uti est obligatio vitandi occasionem proximam peccandi mortaliter, obligatio restituendi &c. De hoc proposito actum est fute sup. lib. 1. p. 2. à n. 75. & ex quibus signis cognoscatur, dictum est ibidem num. 104. & 114. Hîc addo sequentia I. qui occasionem proximam peccandi mortaliter facillè potest, sed non vult dimittere; hîc & nunc autem de peccatis commissis concipit dolorem, & propositum extraordinariè magnum, potest tunc juxta communem adhuc absolvi. Tamb. *de confess. l. 9. cap. 3. §. 1. n. 6.* Laym. *l. 5. tr. 6. cap. 4. n. 10.* V. *Veruntamen. in fine.* Sed Dicastillo *de pœnit. Disp. 6. n. 336.* de concubinario loquens rectè monet, magna hîc opus esse prudentia, & consideratione loci, temporis, personæ, aliarumque circumstantiarum; neque facillè prædicandum. &: *Ego, inquit, vix crederem alicui, quantumvis affirmanti, se habere firmissimum propositum, & magnum dolorem, si simul, cum possit, nolit se tanto periculo liberare; nec dignus est, cui credatur.* Ita Dicastillo *l. c. & Disp. 10. n. 572.* Tan. *tom. 4. Disp. 6. q. 9. n. 119.* ubi ait, concubinarium etiam prima vice venien-

tem ad confessionem, esse ordinariè remittendum, ut priùs concubinam reipsa expellat; & neque in articulo mortis esse antè absolvendum. Quodsi autem II. ejusmodi pœnitens jam semel vel saltem (ut Gobat *tr.* 7. n. 533. indulget) ter vel quater jussus est occasionem deserere, & quamvis potuisset, non deseruisset; tunc omnino etiam juxta benignioris sententiæ Auctores non esset absolvendus, antequam reipsa occasionem dimisisset. Laym. *l.c.* n. 11. Tan. *cit.* n. 119. quia saltem istum unanimiter censent DD. carere vero proposito, nec præbere spem emendationis. Quod ipsum tamen Laym. *l.c.* non vult pro universali Regula haberi. Cùm fieri possit, ut pœnitens post illas omnes suas tergiversationes jam evidentiora mutata voluntatis indicia præ se ferat, ac propterea illius promissio iterum acceptari, datique absolutio possit. Quam limitationem indicat etiam Tan. *l.c.* III. Si constitutus in proxima occasione peccandi, & prædictum dolorem ac propositum extraordinariè magnum ostendens, non possit sine aliquo, non omnino levi incommodo, occasionem illam relinquere; & jam insuper velit adhibere aliqua apta media ad peccata vitanda, v. g. non agere solus cum sola, sine necessitate non alloqui &c. tunc potest absolvi. Dicast. *l.c.* n. 337. Tamb. *l.c.* n. 7. quia occasio, quæ antè fuit, jam respectu illius, speciali dolore & proposito, aptisque remediis instructi, & metu subeundi incommoda impulsæ, non censetur ampliùs proxima; donec iterum constet, etiam his mediis armatum in ea occasione non cessare peccare. IV. Si quis occasionem proximam peccandi deserere non possit, vel physicè, vel saltem moraliter (hoc est,

non sine valdè gravi & magno damno corporis, famæ, vel fortunæ) de peccatis tamen seriò doleat, ac propositum ea, quantum potest, adhibitis opportunis remediis, cavendi ostendat, tunc potest absolvi; quia tunc occasio, etsi sit proxima, non est tamen ipsi voluntaria; & censetur jam non amare periculum, aut in id se sponte conjicere, sed invitus subire & pati. Laym. *l.c.* n. 9. V. *Excipe.* Tamb. *de Confess.* l. 3. c. 3. n. 8. Dicast. *de pœnit.* Diss. 6. n. 340. cum Suar. utroque Sanchez, & aliis contra Tan. *l.c.* n. 112. & alios rigidius, & de periculo peccandi sicut de ipso peccato loquentes. Consilii quidem est, bono spiritualis securitatis damnum quodcunque temporale postponere, non tamen præcepti, inquit Laym. *l.c.* Et in his circumstantiis pœnitens etiam si sæpiùs reincidat, inquit Dicast. *Diss.* 10. n. 576. nec cogendus est illam occasionem tollere; nec privandus absoluteione, etiam sæpissimè recidivus; quin potiùs hortandus est, ut sæpe veniat ad confessionem, aliisque media adhibenda, quæ videri poterunt opportuna. Consentit Tamb. *l.c.* n. 10. vide *sup.* p. 2. à n. 107.

Hoc tamen Tan. & aliis libenter damus, quòd si quid non tantùm sit occasio proxima peccandi, sed etiam secundum seipsum habeat rationem formalem peccati mortalis (uti habere potest detentio libri prohibiti, scandalosa cohabitatio cum aliqua persona, scandalosa frequentatio aliquarum ædium &c.) tunc quantumcunque pœnitens doleat de peccatis ex tali occasione commissis, proponatque & promittat cavere; necessetamen insuper sit, ut, antequam absolvetur, seriò velit & proponat ipsam etiam occasionem dimittere; quia est, ut ponitur,

nitur, in se formaliter peccatum mortale, ergo qui non vult relinquere, non est dispositus ad absolutionem. Tan. l. c. n. 108. nisi necessitas adsit tanta, quæ excuset ab obligatione Legis, atque ita occasione demat rationem peccati, & scandali activi. Unde in casu tantæ necessitatis, qui utriusque non est frequens, etiam publicus peccator, licet occasionem proximam non vellet dimittere, posset absolvi, quia scandalum esset tunc non datum, sed tantum acceptum & passivum. vide Tamb. l. 3. c. 3. n. 12.

§. XI.

De absolutione danda, neganda vel differenda.

107. Denique generatim loquendo Confessarius audita pœnitentis confessione, vel judicat ex sufficienti fundamento eum esse ritè dispositum ad absolutionem percipiendam, vel non esse. Si hoc posterius, tunc Confessarius debet, quantum potest, laborare, ut eum ritè disponat: neque potest eum non absolutum sine gravi causa dimittere, inquit Laym. l. 5. tr. 6. cap. 13. n. 10. V. Dico III. ut sup. n. 103. saltem si absque culpa sua venerit indispositus. Palao de pœnit. Disp. un. p. 18. §. 2. n. 12. quia causa Judicii Sacramentalis capta est, ergo si, cum commodè potest, non perficitur, inferitur grave onus pœnitenti; & non levis irreverentia Sacramento. vide sup. n. 84. & inf. num. 132. Sin autem Confessarius prudenter judicet, pœnitentem esse ritè dispositum (signa ex quibus id judicare potest allata sunt sup. lib. 1. p. 2. n. 104. & 114.) tunc ei non potest simpliciter negare absolutionem, ut dictum supra cit. n. 87. An autem liceat

eam differre, dubium est. Nam Joann. Sanch. Disp. 9. n. 12. contendit, id ne quidem cum pœnitentis consensu, utpote non rationabili fieri posse. Sed rectius alii affirmant, & quidem non tantum, si pœnitens consentiat (quod prudenter facit in ordine ad hoc, ut adhuc melius se disponat) sed etiam absque ejus consensu, si Confessarius prudenter judicet, dilationem ei profuturam, ut gravitatem peccati melius agnoscat, magis caveat à relapsu &c. vel si Confessarius ex justa causa, ut potest, velit pœnitentiam ante absolutionem impleri. Nam etsi Sacramentum captum debeat perfici, & pœnitenti Jus suum tribui, necesse tamen non est, ut semper statim fiat. Confessarius quoque non est tantum Judex, sed etiam Medicus; ergo dilationem absolutionis, cum aliquo modo necessaria videtur, potest tanquam medicinam pœnitenti etiam invito applicare. Tamb. de conf. l. 3. cap. 3. n. 14. & 15. Dicast. Disp. 6. n. 374. qui tamen rectè monet, hoc remedium ordinariè non expedire, nec facilè adhibendum esse pœnitentibus ritè dispositis & invitis, ut sup. lib. 1. p. 2. n. 107. pluribus probatum est. Juxta quæ intelligendum est & hoc à S. Franc. Xaverio Confessariis quoad graves peccatores dari solitum documentum. lib. 6. vita. cap. 17. Confessionem non continuo sequatur absolutio.

ARTICULUS III.

De Officio Confessarii circa Pœnitentiam injungendam.

De hac prout à pœnitente implenda est, actum fuit jam sup. lib. 1. p. 4. à n. 5. Superest

perest dicere de Confessario, ut eandem legitimè injungat.

§. I.

Quid sit, & operetur Pœnitentia sacramentalis?

108. Pœnitentia autem pro satisfactio-
ne sacramentali sumpta est bonum ali-
quod opus à Confessario injunctum pœ-
nitenti ad persolvendam pœnam tempo-
ralem pro remissis peccatis adhuc debi-
tam. Nam quòd unacum culpa peccati
semper etiam remittatur univerſa pœna,
error est, qui *per illustria in sacris litteris
exempla, & per divinam traditionem ma-
nifestissimè revincitur.* Trid. *sess. 14. cap. 8.*
ibique multis etiam rationibus refellitur.
Remanet ergo communiter post dimis-
sam culpam peccati, & pœnam æternam,
adhuc pœna aliqua temporalis in hoc vel
alio seculo luenda, ut etiam ex SS. Pa-
tribus sulè probat Laym. *lib. 5. tr. 6. cap. 15.
n. 2.* quam ut tanto melius in hac vi-
ta expiare possimus, voluit Christus
præter alia media, quæ in Ecclesia habemus,
etiam Sacramentum Pœnitentiæ ita
instituire, ut in eo pœnitentibus injun-
gerentur à Confessario opera quædam
pia, illique pro residua temporali pœna
satisficeret. In pœnitente enim, præter
contritionem & confessionem, etiam sa-
tisfactio *ad integritatem confessionis ex
DEI institutione requiritur*, ut loquitur
Trid. *cit. sess. 14. cap. 3.* Unde jam etiam
pars Sacramenti Pœnitentiæ est, & di-
citur; sed integralis tantum, non es-
sentialis, quia non concurrit ad culpæ &
pœnæ æternæ remissionem, cum hæc per

absolutionem fiat, antequam existit satis-
factio.

109. Opera quoque pia, prout sunt
pœnitentia seu satisfactio sacramentalis,
habent vim non tantum ex opere operan-
tis, sicut quævis alia, sed etiam ex opere
operato. Tan. *Tom. 4. Diff. 6. q. 8. à
n. 21.* Laym. *l. c. n. 14.* Dicast. *de pœnit.
Diff. 14. n. 151.* non tamen ad remittendam
culpam, aut pœnam æternam, ut paulò
antè dictum; neque ad conferendam vel
augendam gratiam sanctificantem, ut ex
probabiliore doceat Tan. *l. c. n. 23.* sed tan-
tum ad remittendam pœnam tempora-
lem pro remissis peccatis adhuc debitam.
Ratio est, quia omnis pars Sacramenti
habet vim efficiendi ex opere operato id,
quod significat; atqui opera nostra,
quatenus sunt pro pœnitentia sacramenta-
li injuncta, sunt pars Sacramenti, & eate-
nus significant remissionem pœnæ tem-
poralis, utpote satisfactoria, & satisfactio;
ergo eandem remissionem ex opere ope-
rato efficiunt. Unde jam fit, ut sem-
per aliqua pars pœnæ remittatur per opus
pium pro pœnitentia sacramentali impo-
situm, etiam si sit minimum, & pec-
catis improportionatum. Tan. *l. c. n. 25.*
v. g. elemosyna unius oboli; imò etiam
insuper opus ejusmodi ex fine ei extrinse-
co, ad quem à pœnitente, cum ad nullam
aliam intentionem obligatus est, unice
refertur, sit venialiter malum, & forma-
le peccatum. Laym. *cit. cap. 15. n. 14. v.
Dico II.* Dicast. *l. c. n. 153.* quia per neu-
trum hoc impeditur effectus remittendæ
pœnæ ex opere operato procedens; sicut
nec impeditur in aliquo Sacramento v. g.
Eucharistiæ; quòd, etsi minima ejus par-
ticula

§. II.

An semper imponenda? &
quando?

vicula sumatur, & tantum in ordine ad finem malum, sed solum venialiter; tamen effectum, quem ex opere operato habet, adhuc producit.

Sed & Laym. *l.c.* ulterius infert, quod modica pœnitentia sacramentalis plus debeat de pœna temporalis, quam magna proprio motu suscepta. Item quod sicut Sacramenta ex opere operato producunt majorem gratiam in suscipiente magis disposito; ita etiam pœnitentia sacramentalis tanto plus pœna temporalis ex opere operato tollat, quanto ipsa est major, & eam peragens est magis dispositus; atque adeo, quod etiam pœnitentes optare debeant, ut ipsis à Confessariis non leves, sed magnæ pœnitentiæ imponantur; nisi justæ causæ subsint eam minuendi, de quibus *infra* n. 120. & *seq.*

Quod si quis injunctam pœnitentiam peragat, in ordine ad finem mortaliter malum, vel in statu peccati mortalis, satisfacit quidem ille præcepto Confessarii, ejusque obligationi, nec tenetur illam iterum peragere. Laym. *l.c.* n. 15. & Tan. *l.c.* n. 17. (modò per hoc non ipsa operis injuncti substantia mutetur, ut bene observat Tan. *l.c.* n. 27. & *seq.*) sed per eam nihil obtinet remissionis ex pœna temporalis, cum sit inimicus DEI, adeoque indignus, cui fiat aliqua remissio. Dicast. *cit.* *Disp.* 14. n. 166. An autem postea remoto obice consequatur; est quidem pium credere, sed valde incertum, multis affirmantibus, multis negantibus apud Tan. *l.c.* n. 27. vide Lugo de pœnit. *Disp.* 25. n. 41. & *sup.* *lib.* 1. p. 4. n. 12. Laym. *l.c.* Dian. p. 3. tr. 4. Ref. 85.

110. Confessarius, per se & regulariter loquendo, tenetur confitenti injungere pœnitentiam; constat ex Trid. *sess.* 14. *cap.* 8. ubi: *debent, inquit, Sacerdotes Domini saluatares, & convenientes satisfactiones injungere.* Et ratio est, quia ex suo officio debet tanquam Judex debitam pro peccatis pœnam exigere, & tanquam Medicus pœnitentiam à relapso præservare, & tanquam Minister Sacramenti illud integrali sua parte non mutilare. Unde patet, hanc Confessarii obligationem esse gravem & sub mortali, sed tantum ex genere suo & ordinariè. Tan. *cit.* *Disp.* 6. q. 8. Si enim Confessarius deliberatè, absque contemptu tamen, omitteret pœnitentiam injungere illi, qui tantum de venialibus; vel de mortalibus quidem, sed jam antè semel ritè expiatis se accusaret, peccaret tantum venialiter ob parvitatem materiæ, cum ob ejusmodi peccata levis tantum injungenda sit pœnitentia. Lugo. *Disp.* 25. *sect.* 4. n. 49. Tamb. *l. 4. cap.* 1. §. 1. n. 1. Dian. p. 6. tr. 6. Ref. 44. contra Palao de pœnit. *Disp.* un. p. 21. §. 2. n. 6. qui putat, Ministrum hinc non leviter peccare, quando Sacramentum etiam levi tantum parte integrali mutilat. Sed non bene, cum hoc ipsum ille ex communi negare debeat de omissione levis integralis partis in Baptismo, Ordine &c.

Dixi autem *per se & regulariter*; quia dantur aliqui casus in quibus licitè dari potest

potest absolutio sine inuncta pœnitentia; nimirum I. si moribundus jam sit sensibus destitutus, & nihil amplius possit percipere; tunc enim frustra injungeretur. Moribundo autem adhuc sui compoti potest imponi pœnitentia levis, v.g. semel atque iterum suos dolores offerre DEO, vel dicere: *fiat voluntas tua!* vel corde aut ore pronunciare nomen JESU & MARIE: vel, si mereatur, etiam gravis, tempore recuperatæ sanitatis peragenda; vel largitio elemosynæ; vel ut jam antè in testamento præscriptam renovet, & ratificet. Laym. l. 5. tr. 6. cap. 15. num. 13. Dicast. cit. Disp. 14. n. 14. II. si pœnitens statim post absolutionem se iterum accuset de novo aliquo peccato antè omissio, potest iterum absolvi sine nova pœnitentia; modò Confessarius implicitè velit, vel saltem explicitè dicat, ut universim pro omnibus suis peccatis pœnitentiam antea inunctam peragat. Gobat. tr. 7. n. 743. contra Palao hîc Disp. un. p. 21. §. 2. n. 10. Hoc ipsum docet Tamb. l. c. n. 5. Lug. de pœnit. Disp. 25. sect. 4. n. 50. Dian. p. 6. tr. 7. Res. 6. contra Tan. l. c. n. 7. Palao l. c. & alios de scrupuloso, si intra unam horam sæpius cum iisdem, vel etiam novis peccatis redeat. Ratio, quia etiam in foro externo fieri solet, ut in posteriore Judicio de delicto, non tantùm eodem, sed etiam novo, non semper alia & nova, sed eadem numero pœna dicitur, cum nimirum reus non videtur aliâ novâ dignus, vel ad aliam condignam non satis habilis. III. Si Confessario divinitus revelatum esset, pœnitentem jam perfectè satisfecisse, & extra periculum esse ite-

randi peccata confessa. Tamb. l. c. n. 2. quia ubi non est debitum pœnæ, aut periculum morbi, nulla opus est pœnitentia, aut medicina. IV. Idem aliqui volunt, si constet pœnitentem lucratum, vel brevi lucraturum esse Indulgentiam plenariam. Sed rectè Dicast. l. c. n. 19. id tantùm concedit, si de hoc moraliter certò constet; vel saltem pœnitens ad lucrandam Indulgentiam obligetur. V. Si Confessarius probabiliter existimet, pœnitentem propter vehementiam contritionis vel opera pœnitentiæ jam antea sponte peracta, plenè jam pro peccatis satisfecisse, Palao l. c. n. 8. cum aliis; qui tamen addunt, Confessarium non posse facilè id cognoscere, & propterea Palao ait, casum hunc esse moraliter impossibilem. Quidquid autem sit, nihilominus hîc, uti & tempore Jubilæi aliarumque Indulgentiarum debet ex communi semper imponi pœnitentia saltem medicinalis. VI. Si pœnitens paulò post esset Martyrio afficiendus; idque sibi certum esse dicit Dicast. l. c. n. 16. VII. Denique juxta aliquos, si Confessarius videat, quòd pœnitens nullam sit accepturus vel executurus pœnitentiam. Sed hoc alii communiter rejiciunt, quia etsi probabile esset, pœnitentem non teneri acceptare aut implere pœnitentiam; Confessarius tamen propterea non sufficienter excusatur ab ea injungenda. Palao l. c. n. 11. quia ipse debet saltem suum officium facere, & alioqui daret pœnitenti occasionem liberius peccandi.

An ante vel post absolutionem imponenda sit, vide *sup. n. 87.*

§. III.

Quomodo imponenda?

III. In iis casibus, in quibus pœnitentia imponenda est, potest eam Confessarius imponere per modum præcepti; & nisi aliud exprimat, semper censetur ita imponere, quia Judex est, & potestatem habet non tantum solvendi, sed etiam ligandi. Et verò Palao *l. c. §. 3. n. 11. cum aliis multis relatis à Dian. p. 3. tr. 4. Ref. 28. & Dicast. cit. Disp. 14. n. 49.* docet, quòd Confessarius teneatur semper per modum præcepti pœnitentiam injungere; alioquin eam non fore sacramentalem, nec habituram effectum ex opere operato; quia non procederet ex potestate clavium, sed ex libera voluntate Pœnitentis. Nihilominus tamen alii non pauci è contrario dicunt apud Dian. mox citandum licitè posse à Confessario pœnitentiam imponi etiam per modum Consilii tantum. Laym. *l. 5. tr. 6. cap. 10. n. 11.* quia pœnitentiæ, quæ hodie injungi solent, plerumque sunt tantum medicinales. Laym. *l. 5. tr. 7. cap. 3. n. 2. v. Adde.* ergo cum Confessarius non sit tantum Judex, sed simul etiam Doctor, & Medicus, potest eas licitè quandoque, non ut Judex præcipere, sed ut Medicus consulere. Quo casu opus præscriptum est quidem pœnitenti liberum; quia tamen est à Confessario designatum, ideo, si fiat, procedit adhuc à potestate clavium, estque adeo adhuc sacramentale, & agit ex opere operato. Dian. *p. 3. tr. 4. Ref. 82. & p. 4. tr. 4. Ref. 241. v. Nota tertio. & p. 11. tr. 7. Ref. 3.* Unde Dicastillo *l. c. n. 44.* rectè concludit, utramque istam sententiam esse probabilem, ut proinde *Con-R. P. Stoz Trib. Pœnit. Lib. II.*

Confessarius etiam posteriorem tutò sequi possit in praxi, quoties prudenter judicaverit expedire.

Licitum quoque est, ut Confessarius pœnitentiam injungat, non absolutè, sed conditionatè tantum, & quidem etiam totam. Gobat. *tr. 7. n. 755.* cum Suar. dicendo v. g. 1. si veneris Oetingam, recita Rosarium. 2. si convalueris, audi Missam. 3. si iterum blasphemaveris, jejuna; rectèque Gobat ait, hunc postremum modum esse perquam salutarem. Cum autem pœnitens tunc conditionem ultimam purificare nunquam; & secundam sæpe non possit; primam verò juxta Dicast. *l. c. n. 43.* non teneatur, quia nihil adest, vi cuius obligetur; hoc ipso admitti jam debet, pœnitentiam licitè posse imponi absque præcepto. Ne tamen deinde ob conditionem non purificatam videatur Sacramentum Pœnitentiæ integrali sua parte mutilatum, ipsa voluntas acceptandi pœnitentiam conditionatam, utpote meritoria, & satisfactoria, potest pro pœnitentia haberi, ut indicat Dicast. *cit. Disp. 14. n. 14.*

§. IV.

Qualis possit imponi, seu quænam opera?

III. Confessarius potest pro pœnitentia injungere univèrsim quodlibet opus honestum, quia omne tale opus, cum adversetur alicui bono, quod est delectabile, vel saltem utile ad delectabile, involvit semper aliquam difficultatem, & molestiam. Lug. *de pœnit. Disp. 24. n. 41. & seq.* ergo hoc ipso semper est simul etiam

etiam pœnale, & satisfactorium, aptumque injungi pro pœnitentia non tantum medicinali, sed etiam vindicativa. In specie autem loquendo potest ex operibus honestis injungi

I. Etiam illud, quod est merè internum, ut sunt actus intellectus & Voluntatis, v.g. Fidei, Spei, Charitatis &c. quia vel non requiritur, ut quævis pars Sacramenti sit sensibilis; vel certè sufficit, si sit sensibilis in alio. Sicut enim contritio fit sufficienter sensibilis in confessione externa; ita & actus merè interni fieri possunt sufficienter sensibiles in impositione Confessarii; & acceptatione pœnitentis. Dian. p. 4. tr. 4. Ref. 241. in fine. Dicast. cit. Disp. 14. n. 85.

II. Ex operibus externis quandoque etiam tale, quod pœnitens non potest, nisi videntibus, aut scientibus aliis peragere, uti est jejunium, flagellatio &c. quia per hoc nihil læditur sigillum Confessionis; cum non possit aliis constare, an pœnitens opus ejusmodi ex spontanea pietate, vel ex injuncta pœnitentia peragat, vel certè, si quando id pateat, manifestatio fiat cum consensu pœnitentis sponte acceptantis talem pœnitentiam. Dicast. Disp. 14. n. 86. qui hoc videtur intelligere per pœnitentiam publicam, quam concedit posse quoque in foro interno imponi, & quidem etiam pro peccatis occultis. Sed Tannerus tom. 4. Disp. 6. q. 8. n. 9. Bonac. tom. 1. Disp. 5. q. 5. sect. 3. p. 2. n. 14. cum aliis admittit tantum pro publicis, & publicè scandalosis. Et verò nemini pro occultis est facilè injungenda pœnitentia publicè, seu coram aliis peragenda, ut optimè jam antè monuit Dicast. l. c. n. 48. Reginald. l. 7. n. 32.

& 52. & Laym. l. 5. tr. 6. cap. 15. n. 11. ne scilicet inde aliis ingeneretur, vel antè jam concepta roboretur suspicio de gravi aliquo, & adhuc occulto peccatis pœnitentis peccato cum ejus infamia, ortianturque gravia diffidia, aliæque incommoda inter conjuges, domesticos &c. vide Palao de pœnit. Disp. un. p. 21. §. 3. n. 5.

113. III. Opus jam antè ex aliquo præcepto, voto, aliòve titulo debitum. Lugo de Pœnit. Disp. 25. n. 67. Dicast. cit. Disp. 14. n. 89. Palao de pœnit. Disp. un. p. 21. §. 3. n. 1. Laym. l. 5. tr. 6. cap. 15. n. 10. alii communiter, quia præceptum non obstat, quo minus tale opus adhuc sit satisfactorium. Et verò conveniens est, ut ei, qui præceptum v.g. Jejunii, Missæ &c. facilè negligit, ejus observatio etiam pro pœnitentia injungatur. Laym. l. c. v. Notant. Quod si autem pœnitens etiam postea adhuc omittat v.g. Jejunium, committet duplex specie distinctum peccatum, unum contra virtutem Temperantia propter violationem præcepti Ecclesiæ de jejunio; alterum contra virtutem Pœnitentiæ propter violatum Præceptum Confessarii. Dicast. l. c. n. 93. debetque in confessione dicere: violavi semel Jejunium ab Ecclesia præceptum, & simul pro pœnitentia à Confessario injunctum.

Communiter tamen Confessarii debent injungere pro pœnitentia opus, quod non jam antè est sub aliqua peccati obligatione debitum, ut homines magis à peccatis absterreantur, perfectiusque pro iis satisfaciant. Atque ita semper præsumendum est, nisi ipse Confessarius aliud exprimat, vel ex circumstantiis sufficienter aliud appareat; uti apparet, si

Con-

Confessarius dicat: per medium annum quovis Festo audies duo sacra, quovis sabbato jejunabis &c. satisfacis enim, si quovis Festo præter factum ex præcepto Ecclesiæ debitum audias tantum adhuc unum; & incidente in illud tempus & diem Quadragesimâ, Angariâ, Vigiliâ &c. satisfacis per solum ab Ecclesiâ præceptum jejunium. Sic etiam Sacerdos, si pro pœnitentia jubeatur recitare unam, aut plures ex horis Canonicis, non teneatur illam, vel illas aliquo die bis dicere, sed satisfacit per recitationem jam antè ex præcepto Ecclesiæ debitam; nisi Confessarius expressè aliud velit. Quod si pœnitens sit ad aliquid v. g. Jejunium adstrictus ex particulari tantum suo voto, & Confessarius voti ignarus simile opus jungat, tunc debet de voto edoceri, ut constet, an præter opus ex voto debitum velit aliud injungere, vel non. Per ea verò opera, quæ tantum ratione alicujus confraternitatis sunt debita, potest omnino aliquis injunctæ pœnitentiæ satisfacere; quia cum ejusmodi opera non sint sub obligatione peccati debita, manent adhuc verè libera & supererogatoriâ.

114. IV. Omissio sacre Communionis; sed in iis tantum circumstantiis, in quibus est, sicut quandoque esse potest, honesta. Lug. l. c. n. 65. Dicast. l. c. n. 104. & alii contra Joan. Sanch.

V. Ut quis Matrimonium inear, injungi potest pro pœnitentia, si ad id jam antè Jure aliquo teneatur; si non teneatur, potest injungi; vel per modum Consilii tantum; vel etiam per modum præcepti, si ipse pœnitens sponte acceptet, & consentiat. Vult quidem Leander, &

Navar. apud Dian. p. 11. tr. 7. Ref. 3. v. Hinc oritur, hoc posse Confessarium etiam facere, cum certò ei constat, quòd Matrimonium sit pœnitenti futurum contra peccata carnis remedium. Sed non probo, nisi simul sit necessarium, & unicum; quale fortè nunquam, vel non nisi rarissimè erit; & æquè rarò poterit certò de eo constare Confessario. Rectius ergo Fagund. præc. 2. lib. 9. cap. 5. n. 4. & Laym. cit. cap. 15. n. 11. in fine. Palao de pœnit. Diss. 112. p. 21. §. 3. n. 7. negat, posse à Confessario aliquem obligari, ut pro pœnitentia Matrimonium contrahat.

VI. Potest pro pœnitentia injungi opus pro animabus in Purgatorio offerendum, Meditatio v. g. Jejunium, Rosarium &c. Lug. l. c. n. 62. Dicast. Diss. 14. à n. 93. Tamb. de conf. l. 4. cap. 1. n. 16. Dian. p. 3. in addit. Ref. 11. & p. 11. tr. 8. Ref. 26. contra Joann. Sanch. Bordon. Mendo. & alios, apud ipsum; sicut potest imponi largitio Eleemosynæ pro alendo paupere, aut solutio pretii pro redimendo captivo. Nam in tali pœnitentia involvuntur duo. Unum est opus internum vel externum, quod pro defunctis, vel aliis offertur, iisque applicatur, v. g. Jejunium, oratio Rosarii &c. cum omnibus suis ad essentiam Jejunii, Orationis &c. requisitis, estque injunctæ pœnitentiæ pars tantum materialis, vel objectiva. Alterum est alia quædam bona intentio, & voluntas seu actus internus, quo opus illud, oratio v. g. ex mandato Confessarii applicatur defunctis, & ad distinctionem dici potest injunctæ pœnitentiæ esse pars formalis. Utrumque, quia est quid honestum & virtuosum

sum, habet præter fructum meritorium & impetratorium, etiam satisfactorium. Etsi ergo opus seu materialis pars pœnitentiæ v.g. oratio, ejusque fructus satisfactorius totus cedat in bonum defuncto- rum, quibus applicatur; internus tamen ille charitatis actus, quo opus seu oratio defunctis applicatur, remanet pœnitenti; & quia ei à Confessario præcipuè imponitur pro pœnitentiâ (utpote ejus pars formalis) satisfacit pœnitens per eum ex opere operato pro remissis suis peccatis. Lug. & Dicast. *ll. cc.*

Quando ergo Adversarii objiciunt, esse contra Institutionem Christi, & rationem Sacramenti Pœnitentiæ, ut pœnitentiâ applicetur alteri quàm pœnitenti; facilis est responsio. Id enim concedo, si pœnitentiâ adæquatè tam quoad partem materialem, seu objectivam, quàm quoad formalem applicetur alteri; nego autem, si applicetur alteri quoad materialem tantum partem, & quoad formalem maneat applicata pœnitenti. Idem omnino est, si alicui pro pœnitentiâ injungatur, ut pro defunctis det eleemosynam pauperi. Quod si autem injungatur tantum simpliciter, ut det eleemosynam pauperi, tunc est aliqua disparitas; quia tunc pœnitens dando eleemosynam non tenetur ullum alium actum, quàm præcisè Misericordiæ erga pauperem elicere; & satisfactio tam ex interno, quàm ex externo actu Misericordiæ proveniens remanet tota pœnitenti, tollitque ex opere operato pœnam temporalem pro peccatis adhuc debitam: ad pauperem verò pervenit sola utilitas ex re, quæ ipsi datur. Vide Dicast. & Lugo *ll. cc.* qui alios adhuc duos modos non malos ostendit,

propositam difficultatem expediendi; nempe ut ex pœnitentiâ v.g. oratione pro defunctis imposita (sive jam partialiter & inadæquatè sumatur, sive totaliter & adæquatè) dicatur ille tantum ad defunctos pertinere fructus satisfactorius, qui provenit ex opere operantis; ille autem pœnitenti remaneat plenè, qui provenit ex opere operato; de quo *sup. n. 109.* vel ut dicatur, ex ea fructum tantum impetratorium applicari defunctis. Sed quod antè dixi, est expeditius.

§. V.

Quid sit de illa clausula: Quidquid boni feceris, & mali sustinueris.

115. VII. Denique injungi pro pœnitentiâ potest ex operibus honestis aliquid indeterminatum tantum, & in genere: v.g. *quidquid sequenti septimana boni egeris.* Bonac. *tom. 1. Disp. 5. q. 5. sect. 3. p. 2. n. 13.* Tan. *tom. 4. Disp. 6. q. 8. n. 30.* maximè unacum aliquo alio opere particulari & determinato. Reginald. *l. 7. n. 23.* Ratio, quia materia, quæ est essentialis pars Sacramenti, potest esse indeterminata, nimirum aliquod peccatum mortale in genere, cum speciei non amplius sumus memores. *sup. n. 103.* ergo etiam pœnitentiâ, quæ est tantum integralis pars Sacramenti, potest esse aliquid indeterminatum.

Unde in oratione *Passio Domini*, &c. de qua *sup. n. 81.* si Confessarius verba illa: *Quidquid boni feceris, & mali sustinueris:* proferat cum expressa intentione imponendi alicui pœnitentiâ (saltem consultivè, si non præceptivè) tunc satis

paret,

patet, quod subsequentes ejus honestæ actiones & perpersiones, sicut alia sacramentalis pœnitentia, habeant singularem vim satisfaciendi pro peccatis ex opere operato; sed ut Suar. *Disp.* 38. *sect.* 6. *in fine* rectè limitat pro illis tantum peccatis, à quibus pœnitens in ea confessione fuit absolutus. Cui limitationi ipsa quoque lecta ratio addit hanc; quod per universalem illum terminum *Quidquid boni &c.* non intelligantur injungi omnia bona opera totius vitæ, ut aliqui malè putant; sed ea duntaxat, quæ ad totam temporalem pœnam pro peccatis tunc remissis persolvendam sunt necessaria; possuntque pro ratione pœnæ debitæ majoris vel minoris, vel pro qualitate diversâ operum subinde esse multa, subinde pauca, quandoque unum etiam minimum, vel etiam omnino nullum, si pœnitens jam antè alio modo pœnam omnem expunxit. Quis enim, quæso, ex Confessariis prudenter velit, aut possit injungere plura alia.

Quod si autem res ita se habet, cum Confessarius expressè vult per illud: *Quidquid boni &c.* injungere pro pœnitentia sacramentali subsequenter opera; tunc omnino idem etiam erit, cum id implicitè vult: eadem enim vis est impliciti & expliciti; atqui omnes Confessarii, cum dicunt Orationem *Passio Domini nostri &c.* & proferunt verba: *quidquid boni feceris &c.* volunt per ea prodesse pœnitenti, quantum possunt; ergo cum, ut dictum est, possint hoc modo opera pœnitentis omnia (intellige ad remissionem pœnæ pro peccatis tunc remissis necessaria) injungere pro pœnitentia sacramentali, eaque elevare ad satisfaciendum ex opere operato, hoc ipso id implicitè sem-

per volunt facere, & actu faciunt; illaque verba jam non tantum per modum orationis & deprecativè (ut obijciunt Adversarii) sed simul etiam verè authoritativè seu ex potestate clavium proferunt. Atque ita rectè & quidem absque dubio concludi, sub data hypothese, agnoscit ipse Dicastillo *cit. Disp.* 14. *n.* 46. licet ipse eam ibidem neget. Et hæc est fundamentalis ratio, ob quam aded multi DD. absolutè docent, per memoratam Orationem & verba *Quidquid boni feceris &c.* elevari omnia pœnitentis opera bona (cum prædictis duabus limitationibus) ad rationem pœnitentiæ sacramentalis, & acquirere vim satisfaciendi etiam ex opere operato, sive jam Confessarius ea dicat cum explicita hac intentione, sive, ut communiter fit, tantum cum implicita. In specie autem sic docet Nav. *in Man. cap.* 26. *n.* 24. Reginald. *lib.* 7. *n.* 23. Filliuc. *tr.* 8. *cap.* 2. *n.* 47. Bonac. & Tan. *ll. cc.* Dian. *p.* 3. *tr.* 4. *Ref.* 92. & *p.* 6. *tr.* 7. *Ref.* 5. & *part.* 9. *tr.* 9. *Ref.* 54. & *p.* 11. *tr.* 7. *Ref.* 3. *V. Quarto secundo.* Suarez, Henricus, Amicus, Bassæus, Leander, Machadus, Petrus Sotus, & alii, atque ipse etiam S. Thom. apud citatos contra Vasq. *in 3. p. tom.* 4. *q.* 94. *art.* 2. *dub.* 1. *n.* 10. Card. Lugo *de pœnit. Disp.* 25. *n.* 56. Palao hîc *Disp.* un. *p.* 21. *§.* 3. *n.* 6. Dicast. *l. c.* & alios.

116. Volunt quidem aliqui apud Dian. *ll. cc.* si pœnitens verba latina & pœnitentiam istam per illa significatam non intelligat, Confessarium debere ea ipsi declarare. Sed hoc neque ad acceptandam, neque ad exequendam pœnitentiam est necessarium. Non ad acceptandam; quia pœnitens non potest quoad eam esse invi-

rus; cùm cedat in magnum ejus bonum, & in nullum prorsus gravamen; manet enim ei adhuc liberum, an & quid boni velit agere, vel non agere, ut constat ex *n. III. sup.* Nec ad exequendam; quia pœnitentiam adimplere aliquis potest, si opus injunctum voluntariè præstet, etiam absque omnianimo, aut cogitatione eam implendi, *sup. lib. I. p. 4. n. II.* Sufficit ergo, si Confessarius tantùm, sicut potest, ita explicitè vel implicitè velit per verba: *Quidquid boni feceris &c.* injungere pro pœnitentia aliquas subsequentes actiones pœnitentis; quamvis iste id ignoret.

17. Aliud est de meritis Beatissimæ Virginis & Sanctorum, de quibus in eadem oratione Confessarius meminit. Nam hæc merita, quia nemo potest alteri in satisfactionem pro peccatis, eorumque pœna delenda applicare, nisi qui possit & velit ei Indulgentiam concedere; ideo Confessarius sic orando aliud non vult, nec velle, aut petere potest, quàm ut per merita B. Virginis & Sanctorum impetret pœnitenti gratiam ad pœnitentiam injunctam dignè peragendam, applicetque ei merita illa quoad fructum impetratorum tantùm, non item quoad satisfactorium. Eodem modo, quia vi Sacramenti Pœnitentiæ ex institutione Christi non possunt injungi opera, nisi tantùm in plenam remissionem vel medicinam peccatorum; ideo Confessarius, etsi oret injuncta opera ita perfici, ut ex opere operantis simul etiam cedant in aliquod *augmentum gratiæ & premium vite æternæ*; tamen nullo modo vult, nec velle potest, ea ita injungere, ut ejusmodi effectum habeant ex opere operato,

18. Neque per hanc sententiam quidquam derogatur Decreto Trid. *Sess. 14. cap. 8.* ut objicit *Lug. l. c. n. 57.* Nam utique pro gravibus delictis non imponit levissima opera, qui tot, & tanta imponit, quot & quanta sunt necessaria ad delendam temporalem peccatorum pœnam. Præterea cùm per verba *Quidquid boni feceris &c.* non imponatur aliquid determinatè, neque absolutè; sed tantùm conditionatè, adeoque vi hujus impositionis possit pœnitens nihil omnino facere; laus patet, quòd Confessarii nondum sint extra omne periculum reddendi se participes alienorum peccatorum, nisi insuper etiam adhuc, cùm commodè possunt, alias pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate salutares, & convenientes satisfactiones determinatè & absolutè injungant. Quæ pluribus hîc exponere volui, ut appareat, quàm probabiliter & meritò sententia hæc tradatur à tam multis & magnis DD. absolutè loquentibus, sed juxta prædictas limitationes sententibus; contra quàm non efficaciter impugnetur ab aliis.

Inde autem jam aliæ quoque doctrinæ superius traditæ non malè confirmari possunt. Nim. I. quod pœnitentia etiam post absolutionem possit injungi. *sup. n. 81.* II. per modum consilii & conditionatè, *n. 111.* & III. quòd idem numero opus, jam in una confessione injunctum, possit iterum in alia injungi. *n. 110. V. Si pœnitens.* Et hæc de Qualitate Pœnitentiæ; nunc de ejusdem Quantitate.

§. VI.

Quanta Pœnitentia sit imponenda ?

119. Rectè Card. de Lugo *Disp.* 25. de pœnit. n. 60. Si Sacerdos, inquit, sciret, quantam pœnam deberet pœnitens pro peccatis confessis festinare in Purgatorio; & quanta Pœnitentia in hac vita æquivaleret tali pœna, deberet illam per se loquendo imponere. Dixit autem per se loquendo: quia per accidens sæpe non posset imponi ob fragilitatem pœnitentis, qui propter hanc ipsam causam posset sæpe tantam pœnitentiã etiam recusare, tanquam irrationabilem, si Confessarius eam vellet imponere. Quam doctrinam, mirum est, videri potuisse alicui tam implicatam, ut de ea explicanda desperaverit Dicast. & *cit. Disp.* 14. n. 31. scripserit: componat hac alius; ego non video modum ea conciliandi. Cùm ergo æqualitas inter pœnam purgatorii, & pœnitentiã hujus vite sciri non possit, sed soli DEO nota sit. Reginald. *lib.* 7. n. 45. & licet sciretur, sæpe tamen tanta pœnitentia non posset ab hominibus in hac vita sustineri; soli autem & mero Confessarij beneplacito etiam non sit taxatio pœnitentiæ integrè relinquenda; ideo ut prudens mensura observetur, rectissimè Trid. *cit. Sess.* 14. cap. 8. decrevit, esse ad qualitatem criminum & facultatem pœnitentium attendendum.

Et quidem in criminibus tria sunt spectanda. I. ipsa gravitas delicti, ratione cujus debet pœnitentia esse vindicativa, & opus injungi pœnale. II. Periculum relapsus; ratione cujus debet injungi pœnitentia, quæ simul etiam sit medicina;

lis, & cautela contra recidivam. Sicuti esse potest. 1. Lectio aliqua Libri Spiritualis. 2. Meditatio v.g. Passionis Christi, quatuor Novissimorum &c. 3. Examen conscientiæ. 4. Auditio Concionum. 5. Aditio Vesperarum. 6. Frequentatio Confessionis & Communionis. 7. Exercitium præsentis Divinæ. & 8. denique sicut in corporali, ita & in spiritali medicina sunt contraria contrariis curanda; atque adeo prodest, imponi avaris & injustis eleemosynam, gulosis jejunium, ebriosis abstinentiam à potu, impuris afflictionem corporis; acediosis exercitia aliqua spiritalia; invidis & maledicis opera aliqua charitatis erga proximum; blasphemis, & pejerantibus orationes, & laudes divinas, & similia alia, quæ Confessariis debent esse præmeditata, ut non omnibus eadem, & non sola Rosaria, vel Litanias imponant. III. Scandalum, ratione cujus potest etiam imponi pœnitentia publica, hoc est, palam & aliis videntibus, aut scientibus peragenda. *sup.* n. 112. V. Ex operibus. imò quandoque etiam debet, si scandalum aliter tolli non possit, vel debita satisfactio præstari. In quibus casibus tenetur quoque ipse pœnitens in eam consentire. *Tan. cit. Disp.* 6. q. 8. n. 9.

120. In pœnitente spectanda sunt potissimum I. illius status & vires corporis & fortunæ. Unde utique non rectè imponeretur pauperi eleemosyna; nec graves labores habentibus rusticis jejunia; nec delicatis, & imbecillibus graves castigationes corporis; nec agris longæ orationes. Et verò sæpe expedit agris, vel afflictis imponi, tantum ut aliquot actus eliciant, quibus se in DEI voluntatem resignent;

signent, crucem suam cum patientia perferant &c. De moribundis dictum *sup. n. no.* II. Dispositio animi. Quando enim Confessarius prudenter timer, aliquem promeritam pœnitentiam gravem, si imponatur, non impleturum; maximè autem si pœnitens de ea conqueratur, vel roget pro alia sibi faciliore; tunc omnino ejus infirmitati condescendum est, & pœnitentia multum moderanda, vel prorsus mutanda. Idque propter has rationes; ne ei præbeatur occasio novi peccati quoad omissionem pœnitentiæ; vel ne tristis aut afflictus abeat; vel ne conjiciatur in periculum desperationis; vel ne quærat Confessarium, qui nesciat eum curare; vel ne penitus absterreatur à frequentanda confessione, ad quam potius alliciendus esset; cum longè utilius sit, peccatoribus frequenter confiteri, quam alia opera pœnalia exercere, ut ait *Dicast. cit. Diss. 14. n. 49.* Consultius omnino est, gravissimo quoque peccatori unum tantum *Pater & Ave* imponere, quam per graviolem pœnitentiam injunctam efficere, ut ex confessionali abeat afflictus, vel desperatus, vel horrore confessionis affectus. *Tamb. de conf. l. 4. cap. 1. n. 12.* Præstat quoque cum parva pœnitentia, quæ tamen videtur esse implenda, ducere confitentem ad Purgatorium, quam cum magna, utpote juxta communiolem præcepta & sub mortali obligante, præcipitare in infernum, inquit Gerson apud Laym. *l. 5. tr. 6. cap. 15. n. 11.* Rectè autem DD. hic volunt, pœnitentem esse commoendandum, minorem pœnitentiam injungi solùm ob ipsius imbecillitatem, ut propterea ipse deinde spontaneis operibus bonis defectum pœnitentiæ suppleat; & peccata

sua non pro parvitate pœnitentiæ parvi faciat. Sed omitti debet monitio hæc, si ille inde redderetur pusillanimis; & omitti potest, si videatur non profutura, vel certè non necessaria, cum nimirum pœnitens ipse jam id advertit, & per se facturus videtur. Bonac. *loco mox citando.* III. Magnitudo Contritionis. Nam magis contrito levior potest imponi pœnitentia, Bonac. *tom. 1. Diss. 5. q. 5. sect. 3. p. 2. n. 17.* cum ipsa quoque contritio multum pœnæ demat. Idem est de attritione, quia etiam in reo peccati mortalis perseverat, moraliter saltem, usque ad absolutionem, incipitque tunc ad satisfaciendum pro remissis peccatis esse idonea. *Dicast. cit. Diss. 14. n. 33.* Unde & IV. Ulus frequens bonorum operum. Cum enim omnia præter alios fructus habeant etiam fructum satisfactorium ex opere operantis; ideo expungit quis aliquam pœnam temporalem, quoties ejusmodi opus saltem in statu gratiæ, adeoque etiam post commissum mortale, & nondum quidem per absolutionem, sed tamen per perfectam contritionem jam iterum remissum, exercet; etiam si de satisfactione præstanda nihil cogitet, de quo vide *sup. p. 4. n. 11.* Quam ob causam non est improbandum, si iis, qui non solent nisi venialiter tantum peccare, & tamen multa bona opera quovis die peragunt; uti Regulares aliæque devotæ personæ faciunt, injungatur levissimæ tantum pœnitentiæ; quia cum confitentur, plerumque pœnam temporalem pro peccatis suis venialibus debitam jam antè, vel totam, vel quoad maximam partem per alia bona opera persolverunt.

121. Et si ergo Confessarius non rectè faciat,

faciat, si pro gravissimis peccatis levissimas pœnitentias injungat, quia agit contra officium æqui Judicis, boni Medici, & fidelis Dispensatoris Mysteriorum DEI, præbetque occasionem, ut pœnitentes peccata minoris æstiment, liberiùsque ea committant, adeoque ipse, & quidem, ut Palao cit. p. 21, §. 3, n. 9. ait, *absque dubio mortaliter* peccet; & propterea teneatur salutare, ac pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate convenientes satisfactiones injungere, juxta Trid. l. c. Ex prædictis tamen satis patet, quòd pœnitentia adhuc possit esse salutaris, & conveniens, quamvis pro gravitate delictorum, si præcisè secundùm se spectentur, sit multò minor.

Sicut etiam præterea minui potest pœnitentia I. si pœnitens videatur per eam posse allici ad frequentiorē Confessionem, ipsi valde utilem, Bonac. l. c. n. 18. II. si pœnitens jam antè sit lucratus aliquas indulgentias, vel videatur proximè lucraturus; vel ceterè ei imponatur, ut conetur lucrari, sicut hodie passim ubivis ferè quivis lucrari potest, III. Si Confessarius velit post absolutionem dicere Orationem, *Passio Domini*, & in ea per illud: *Quidquid boni feceris, & mali sustinueris &c.* injungere aliqua opera, si quæ postea adhuc facturus est pœnitens: ut *sup. n. 115. & seqq.* sufficienter ab autoritate & ratione ostensum est. Ut proinde non possim non mirari, quòd Card. Lug. de pœnit. Diss. 25. n. 57. scripserit, non videri sibi hanc doctrinam esse probabilem. IV. quia ipsa confessio est opus valde satisfactorium, utpote valde grave, & arduum. Ideo Confessarius, etsi sciret, quòdnam opus pœnale
R. P. Stoer. Trib. Pœnit. Lib. II.

esset æquale pœnæ pro remissis peccatis debitæ, tamen non deberet illud, sed aliud levius imponere ratione factæ confessionis; uti & propterea V. quia quodvis opus honestum præter vim satisfactoriam, quàm ex se habet, acquirit insuper etiam vi Sacramenti adhuc aliam ex opere operato, adeoque tunc plus valet & satisfacit, quàm per se, & ex opere operantis potest. Dicast. cit. Diss. 14. num. 33.

Ex dictis hoc & præced. num. patet quàm rectè procedat, & justè excusetur hodierna praxis, quâ leves pœnitentiæ, ut inquit Lugo l. c. n. 60. imponuntur pro gravissimis peccatis.

An & quomodo Confessarius pœnitentiam ab alio, vel à se ipso injunctam, vel ipse etiam pœnitens possit sibi commutare in aliquid aliud, dictum est *sup. l. 1. p. 4. num. 10.*

QUÆSTIO IV.

De quibusdam aliis obligationibus Confessarii.

PRÆTER eas, quæ ad officium Confessarii spectant, & præced. Quæst. explicatæ sunt, supersunt adhuc multæ & variæ. Reducendo omnes ad paucas. 1. est obligatio audiendi pœnitentem, ejùsque confessionem. 2. instruendi. 3. sanandi. 4. commissos proprios errores corrigendi. 5. Sigillum servandi.

ARTICULUS I.

De Confessarii obligatione audiendi Confessionem.

K

§. I.

§. I.

*Quis? quando? & sub quo peccato
teneatur audire confes-
siones?*

122. Sacerdos, quamvis omnia habeat requisita, ut, si velit, possit audire confessiones, sed officium, cui cura animarum sit annexa non habeat, non tenetur confessionem excipere; nisi pœnitentis in extrema, vel etiam gravi necessitate constituti: tunc enim Lex Charitatis obligat; ut: cum moribundus alium Confessarium habere non potest, vel non sine magna difficultate.

At verò Parochi, quorum nomine etiam intelliguntur Curati, Provisi, alique similes, quibus ex officio cura animarum pro foro interno incumbit, tenentur audire confessiones suorum subditorum, non tantum in casu necessitatis, sed etiam quotiescunque isti iustam confitendi causam habent, & eo tempore, ac loco petunt, quo Parochus non est aliis gravibus negotiis impeditus, maximè iis, quæ ad bonum commune Ecclesiæ suæ spectant, ut sunt Conciones, Missæ, funera &c. Laym. lib. 5. tr. 6. cap. 13. n. 2. Palao de pœnit. Disp. un. p. 19. §. 1. n. 3. Dicast. Disp. 10. n. 480. vide sup. l. 1. p. 3. n. 491. Ratio, quia Parochus est pastor, & pater spiritualis suorum parochianorum; atqui nec Pastor, nec Pater bene agit, si uterque commodè possit, sed ille nolit ovibus, quæ ad ipsarum bonum spectant, ministrare, nisi in extrema, aut gravi necessitate; & iste liberis suis, etiam petentibus velit in eo tantum opem ferre, ad quod sub mortali est obligatus.

Iusta autem confitendi causa esse po-

test. 1. cum urget aliquod præceptum; 2. cum pœnitens est sibi conscius peccati mortalis, vel 3. jam diu non confessus; vel 4. habet singularem devotionem erga aliquod Festum; vel 5. vult lucrari indulgentias; vel 6. suscipere longum aut periculosum iter, aliudve grave negotium; vel 7. putat sibi utile ad vincendam aliquam tentationem.

Neque tamen propterea statim censeri debet Parochus peccare mortaliter, si in istis casibus, excepto primo, semel atque iterum absque legitima causa nolit excipere confessionem unius aut plurium ex suis Parochianis. Dicast. & alii contra Bonac. hinc Disp. 5. q. 7. p. 4. §. 2. n. 23. quia per hoc nondum censetur notabiliter negligens in tuo officio. Satisfaciunt autem Parochi, si per se, si per alios audiant suorum confessiones. Cum ergo hodie Parochiani habeant ubique ferè tam facilem aditum ad Religiosos, possintque iis confiteri, rectè Palao l. c. n. 4. ait, Parochos vix posse mortaliter peccare, si extra extremam necessitatem ipsi suos non audiant, sed ad Religiosos remittant.

§. II.

*Quis? & quomodo tempore
pestis?*

123. At verò tempore pestis, quæ, cum hæc scribo, miserè depopulata est aliquot Germaniæ Provincias, tenetur Parochus etiam cum periculo vitæ suis Parochianis assistere, eorumque audire confessiones, quia ex officio boni Pastoris debet animam suam seu vitam pro ovibus suis ponere, & non potest tunc sicut mercenarius fugere. Joan. 10. aut velle beneficium invitis subditis resignare; nisi vel ipse, vel

com-

communitas alium idoneum Sacerdotem substituat. Laym. l. 2. tr. 5. cap. 3. n. 3. V. His adde. Palao de Charit. Diss. 1. p. 9. n. 12. & 13. Tenetur autem Parochus audire confessiones non tantum eorum ex subditis, qui in extrema necessitate sunt constituti, seu, qui ob ruditatem non sciunt, nec possunt elicere perfectam contritionem (quia & nos, & alii omnes debemus pro fratribus in tanto periculo constitutis animas seu vitas ponere. 1. Joan. 3. v. 16.) sed etiam aliorum, qui tantum in gravi necessitate sunt, seu, qui perfectam contritionem possunt quidem elicere, sed non sine gravi conatu & difficulter, Laym. & Palao ll. cc. Bonac. Tom. 1. Diss. 3. q. 4. p. 4. n. 5. ubi V. Adde. dicit, Parochum non satisfacere, si tantum expectet, donec vocetur, sed teneri inquirere, quinam graviter indigeant. Sequatur praeunte S. Carolum Borromaeum, qui etiam fuit Illustrissimae familiae, Archiepiscopus, & Cardinalis, tamen non abhorruit, peste per Urbem Mediolanum miserè grassante, infectos ipse adire, usque Sacramenta administrare. Qui fuit in terris exemplo, jam erit è caelis praesidio.

124. Ad hoc onus autem levius ferendum, non parum juvari potest Parochus, si seqq. doctrinas, & industrias à Laym. l. 5. tr. 6. cap. 13. n. 4. Palao de penit. Diss. III. p. 19. S. I. n. 5. & seqq. Gob. tr. 1. à n. 116. Chapeavill, Zambr. & aliis traditas observet. I. sicut antidotis contra pestem necessariis, (quae praebere debet communitas) ita vel maximè fiducia in DEUM, & charitate erga proximum se ipsum muniat. II. Muniat ipse, vel alius seridè pro concione omnes, ut dum adhuc sani sunt, maturè per confessionem se cum

DEO reconcilient, & ita piè vivere studeant, ne gratia DEI excidant. III. Infectas aedes, nisi necessitas cogat, non ingrediatur; sed aegros si possunt prodire, audiat sub dio, vel ad fenestras, aut fores aedium. IV. Cum necesse est ingredi ad aegrum in aedes, vel etiam in conclave, consistat in remotiore aliquo loco, & ex eo audiat Confitentem; si iste adhuc possit altiore voce loqui, & nemo alius, qui id percipere possit, simul in eodem, vel vicino loco decumbat. V. Quod si vel aeger non possit amplius alè loqui, vel alii simul audirent, tunc debet Confessarius ita propinquè accedere, ut aeger in secreto confiteri possit. VI. Tamen si ex hac, & propter confessionem fortè longiorem, diutius duratura propinquitate probabiliter timendum sit periculum contagionis, tunc potest pœnitenti dicere, ut unum tantum vel alterum peccatum, quod magis gravat, confiteatur in specie, & de aliis generatim se accuset; eumque statim absolvere. Imò non debet, nec potest audire integrè confessionem longam unius, si probabile periculum sit, ne interea alii sine absolutione emoriantur. Ut autem propterea aeger non multum affligatur, instruat illum, si necesse videatur, in talibus casibus etiam confessionem non integram ad justificationis gratiam & fructum Sacramenti sufficere; & si mori contingat, eum coram DEO non minus fore perfectè absolutum, quam si omnia & singula minutissimè confessus esset; posse autem & debere reliqua tunc confiteri, cum convalescit. Sicut enim pœnitens non tenetur integrè confiteri, ita & Sacerdos non tenetur integrè audire; cum propterea subeundum esset periculum vi-

ta, vel aliud grave damnum. Laym, Palao II. cc. Dian. p. 5. tr. 3. Ref. 74. cum aliis apud ipsum. vide *sup.* l. 1. p. 3. n. 61. Unde jam VII. si æger in eodem conclavi cum aliis decumbens velit ipse illis audientibus publicè confiteri Sacerdoti, propter periculum contagionis remotiùs distant, potest id licitè facere, proferendo tamen unum tantum, vel alterum peccatum leviùs, quod nec ipsi infamiam, nec aliis scandalum, nec ulli damnum pariat. Atque hoc ipsum etiam ei suaderi potest, quando præsens est contagionis periculum; & post mortem illius Sacerdotis non haberent alii facilè copiam Confessarii. Potest enim cum hoc suo incommodo vel se servare vitam Sacerdotis tam necessari. Quod si verò nolit, non est multum urgendus. Cum enim hinc & nunc teneatur confiteri; non autem teneatur alio modo confiteri, quam quo Christus instituit, nimirum secretè; hoc ipso etiam non tenetur per publicam confessionem impedire periculum Confessarii, & aliorum.

§. III.

Quando in peste excusetur ab audienda confessione aliorum?

125. VIII. Ipse autem Parochus, vel ejus loco substitutus alius Sacerdos, quia, si in aliquo pago vel oppido pestifero sit solus, cavere debet, ut dictum est, ne, dum unius non graviter indigentis spirituali utilitati consulere intendit, plures alii ex ipsius morte graviolem spirituales jacturas patiantur; ideo non facilè debet ministrare cum vitæ suæ periculo Sacramenta, quæ vel secundùm se non sunt admodum necessaria; vel respectu perso-

narum, quarum bonum statum probabiliter cognitum habet, eò quòd nuper (hoc est non pridem) earum confessiones exceperit. Quotiescunque ergo probabilissimè sibi timet periculum contagionis ab aliqua persona, quam verisimilibus conjecturis credit, vel non habere conscientiam peccati mortalis, vel per *perfectam* contritionem rectè ad moriendum dispositam esse, majus bonum publicæ necessitatis præferendum est utilitati alicujus privatæ personæ. Ita optimè Laym, lib. 2. tr. 3. cap. 3. n. 3. V. Cavere. Iisdem verbis docet hoc etiam Barbof. *de off. Parochi.* p. 2. cap. 17. n. 15.

Eandem sententiam dicit Tan. tom. 4. *Disp.* 7. q. 1. n. 62. esse probabilem expressis his conditionibus. 1. si Parochus moraliter præsumat, & pro certo habeat, ægrum esse bene dispositum. 2. si Parochus magnum & moraliter evidens vitæ periculum inde immineat; & 3. si solus sit; nec spes sit, post ipsius mortem facile posse alium haberi. Agit quidem Tan, ibi tantùm de Extrema Unctione, sed satis indicat, se sequi Suarezium, ita de Sacramentis in genere loquentem. Adde & Filliuc. qui apud Dian. p. 5. tr. 3. Ref. 93. ait, excusari Parochum à ministracione Sacramenti Pœnitentiæ, quando certus esset moraliter, infirmum non habere conscientiam peccati mortalis, & alioquin periculum vitæ magnum esset ipsi subeundum.

Observa autem hinc, quòd Tannerus velit, periculum Parochi debere esse *moraliter evidens*; & Filliucius cum illo velit, de bono statu ægri debere *moraliter certo* constare; sufficiat tamen juxta Laym. & Barbof. si Parochus periculum *probabilis-*

bilissimè timeat, & bonum statum ægri ex verisimilibus conjecturis credat: quòdque Filius, absolutè loquatur, sive Parochus sit solus, sive non; sive post illius obitum possit haberi alius, sive non.

Ex his facillè colligi potest, an & quo modo Parochi, eorumque substituti teneantur alia Sacramenta pœnitentis administrare; sed quia de iis agere non est nostri instituti, plura non addimus. vide Dian. p. 5. r. 3.

ARTICULUS II.

De obligatione Confessarii Pœnitentem instruendi.

126. Confessarius non tantùm gerit officium Judicis, sed etiam Doctoris; ideo obligatus est pœnitentem ignorantia aliqua damnosa laborantem instruere. Potest autem pœnitens vel ignorare ea, quæ sunt credenda, & scienda; vel ea quæ sunt agenda, & omittenda.

§. I.

De rebus Fidei.

Si ignoret, quæ sunt de necessitate mediæ explicitè credenda, debet Confessarius de iis illum instruere, quia antè non potest validè absolvere, cum adhuc fide careat, sine qua impossibile est, placere DEO. Hebr. 11. v. 6. De necessitate autem mediæ juxta communionem D. Thomæ est jam in Lege Gratiæ explicitè credendum Mysterium Trinitatis, Incarnationis & Redemptionis; juxta alios non paucos, nec improbabiler apud Sæc. v. Fides, n. 1. & Tan. tom. 3. Disp. 6. q. 7. dub. 2, n. 44. necessarium censetur tan-

tùm credere explicitè, quòd DEUS sit, & quòd remunerator sit. præmia iustis, pœnas iniustis decernendo, & implicitè reliqua, seu quidquid credit Ecclesia, vide Tan. cit. dub. 2.

Ut sit, Confessarius rectè præsupponere potest, quemlibet inter Christianos educatum, & annos discretionis adeptum scire saltem id, quod posterior sententia habet tantùm pro necessario; & si quem advertat ignorare, potest facillè tunc statim ita eum instituere, ut sufficienter intelligat, & vera fide Divina credat; hoc est, ideo illi articulo assentiatur, quia DEUS, qui est æterna & infallibilis veritas, per Ecclesiam revelavit.

Sed neque difficile putat Tan. l. c. n. 48. cum aliis, hominem pleno rationis usu præditum etiam de supra dictis tribus Mysteriis ita edocere, ut brevi confusam aliquam, sed tamen veram, de iis notitiam concipiat, & quoad substantiam intelligat, credatque, quòd sit DEUS Pater, Filius, & Spiritus Sanctus; hi autem tres non sint tres Dii, sed Unus DEUS; & quòd DEUS Filius factus sit etiam homo, humanumque genus per Passionem ac mortem suam redemerit ab æterna damnatione. Eum autem, cui nullus verus sensus horum Mysteriorum ingenerari potest, ait Tan. l. c. n. 49. esse quoad hoc infantibus & fatuis accensendum.

Quod si pœnitens ignoret tantùm alia Mysteria in Symbolo Apostolorum contenta, vel nesciat præcepta Decalogi & Ecclesiæ, Orationem Dominicam & Angelicam, spectantia ad piè suscipiendum Sacramentum Eucharistiæ & Pœnitentiæ, ac similia, quæ pro suo statu ex necessitate

cessitate Præcepti scire tenetur; potest tamen Confessarius nihilominus illum absolvere; modo prius moneat juxta regulas mox tradendas, ut tunc de negligentia, si qua mortaliter culpabilis hinc intercessit, doleat, & se accuset; postea verò, quàm primùm commodè potest, addiscere studeat, quæ discenda sunt.

§. II.

De aliis rebus necessariis, vel culpabiliter ignorantis.

127. Si pœnitens ignoret aliquid circa agenda, vel omittenda, tunc Confessarius quoad illius instructionem faciendam, vel non faciendam observet seqq. Regulas. I. Si pœnitens ignoret aliquid, quod ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ est necessariò requisitum; ut, si ex ignorantia non doleat de peccatis; non habeat propositum emendationis; non exprimat speciem, aut numerum peccatorum mortalium; velit absolvi à non habente Jurisdictionem in illum, vel in illius peccata &c. tunc Confessarius ante absolutionem debet illum instruere, & meliùs disponere, quia alioquin vel invalidè, vel saltem illicitè absolveret, & ob irreverentiam Sacramento illarum Sacrilègium committeret infidelis minister, iniquus Judex. II. Si pœnitens id, quod solet agere vel omittere, per ignorantiam putet esse peccatum, cum non sit, tunc Confessarius debet dedocere errorem; quia ex officio Medici boni debet etiam in futurum præcavere gravem lapsum, peccatum, & Damnum Pœnitentis. Tamb. *de Confess.* l. 3. cap. 4. n. 3. III. Si pœnitens id,

quod solet facere vel omittere, per ignorantiam putet non esse invalidum, aut sub mortali illicitum, cum tamen revera sit; tunc distinguendum est cum Sanch. *de Matrim.* l. 2. *Disp.* 38. *nota*, & aliis citandis. Nam ejusmodi ignorantia vel est mortaliter culpabilis, vel inculpabilis. Si est mortaliter culpabilis, tunc Pœnitens, quamdiu illam habet, est in statu peccati mortalis; ergo ut desistat ab eo, moneri debet; & si nolit, absolvi non potest. Laym. *tr.* 6. *cap.* 13. *n.* 5. *ex communi.*

§. III.

In rebus inculpabiliter ignorantis.

128. IV. Si ignorantia, ex qua pœnitens putat id, quod agit vel omittit, non esse invalidum, vel mortaliter illicitum, cum tamen reipsa sit, est inculpabilis, seu quod hinc pro eodem sumitur, invincibilis; tunc Confessarius vel potest, vel non potest prudenter sperare suæ monitioni pœnitentem obtemperaturum, & notabiliter se emendaturum. Si non potest prudenter id sperare, tunc debet pœnitentem in sua bona fide relinquere, & non monere; juxta famosam illam, & ab Auctoribus passim hinc usitatam S. Augustini gnomen: *si scirem, tibi non prodesse, non te monerem; non te terrerem*; quia in hoc casu monitio nihil prodesset, sed plurimùm obesset, faceretque, ut pœnitens; qui antè ob inculpabilem ignorantiam peccavit, & postea adhuc peccaturus fuisset tantùm materialiter, deinceps post habitam notitiam semper peccaturus sit formaliter. Unde si pœnitens cum impedimento di-

rimente

rimente velit contrahere, vel jam contraxerit Matrimonium; vel si non habeat jus petendi debitum conjugale propter suum votum castitatis, vel affinitatem contractam cum conjugee; vel possideat bona aliena; vel exerceat usuram; vel reus capitale crimen, quod Judici teneretur hîc & nunc fateri, neget &c. & invincibiliter ignoret, ea esse invalida, vel illicita, neque prudenter sperari possit, eum post meliorem instructionem, hæc cum notabili profectu vitaturum, tunc Confessarius non debet, nec potest illum monere. Lugo de pœnit. Disp. 22. n. 24. Dicast. Disp. 10. à n. 31. Palao de pœnit. Disp. un. p. 19. n. 7. Laym. l. c. Bonac. Tom. 1. de Matr. q. 3. p. 15. ult. n. 4. & Tan. tom. 4. Disp. 6. q. 9. n. 101. & alii communiter.

Quod tamen juxta cit. DD. intelligendum est cum hac triplici exceptione. 1. nisi in casibus, in quibus ejusmodi ignorantia pœnitentis redundaret in damnum boni publici; ut si Concionator ex invincibili ignorantia traderet doctrinas, quæ sunt hæreticæ; vel qui invalidè ordinatus est Sacerdos, legeret missas, audiret confessiones; vel hosti aut aliis daret occasionem subjugandi urbem, privandi suis bonis aut juribus; vel alios scandalizaret, illos ad idem malum, quo ipse laborat, inducendo, ut sæpe solent facere dediti molliciti &c. Talis enim omnino debet sui erroris commoeri, etiamsi apud illum nulla spes sit alicujus emendationis; quia id exigit obligatio tuendi boni publici, eique meritò postponitur damnùm spirituale alicujus privati hominis, in quod ipse ex sua malitia voluntariè se videtur esse conjecturus. 2.

nisi in casibus, in quibus Confessarius advertit pœnitentem brevi per se, vel per alium agniturum suum errorem, & simul judicat, cum non faciliè habiturum, qui postea, sicut ipse modò, possit, aut velit tam seriò dehortari, tam apta remedia suggerere. Nam hæc, etsi nihil profutura sint ad emendationem, possunt tamen scienter & voluntariè peccaturis utiliter inculcari, ne deinde defectum debitæ instructionis pro excusatione suæ malitiæ prætereundere valeant. 3. nisi pœnitens ipse interroget Confessarium, de quo *infra* n. 131.

129. Si Confessarius prudenter sperare possit suam monitionem pœnitenti, ex invincibili ignorantia peccanti, notabiliter profuturam, & nulli alteri graviter obfuturam, tunc tenetur eum de errore monere, & meliùs instruere. Ratio, quia officium Doctoris, quod Confessarius gerit, omnino exigit, ut, quam commodè potest, ignorantiam Discipuli tollat, impediatur inde orta peccata materia (cum verè sint etiam aliquod malum) doceatque ea, quæ ad servandas leges sunt necessaria. Palao cit. Disp. un. p. 19. n. 8. Unde ille *ibid.* n. 9. cum Laym. l. c. n. 6. rectè infert, regulariter pœnitentem, si ex ignorantia invincibili agat de Matrimonio cum impedimento ditimente contrahendo esse monendum; quia cum ex Matrimonio invalidè contracto oriantur tam multa, eaque tam gravia incommoda, præsumi potest & plerumque debet, quòd pœnitens sit post monitionem destitutus à contractu, vel certè dispensationem, saltem ante consummationem periturus. Sic etiam Confessarius debet invincibiliter ignorantem monere

monere de impedimento Matrimonii jam contracti vel petendi debiti, si ipse vel alius possit facile, & statim impedimentum sine ullo incommodo tollere; item morigeros adolescentes aut Juvenes, qui invincibiliter ignorant, obicænos tacet, quos in se exercent, aut molliem esse grave peccatum; uti & homines probos, qui hæc verba: *DEUS sit mihi testis*, quibus continuò uti solent, non habent pro Juramento &c. Nam de hujusmodi personis prudenter sperari potest, quòd cognita veritate notabiliter sint sese emendaturæ.

Dixi autem monitionem esse faciendam, *si nulli alteri sit graviter obfutura*. Nam ipsa recta ratio & lex Charitatis exigit, ut cum alicui prodesse volumus, eidem vel aliis non majus aut æquè magnum malum, ac bonum absque necessitate inferamus. Unde Confessarius, cum videt pœnitentem, si moneatur de nullitate v.g. contracti sui matrimonii, in quo ex inculpabili ignorantia hæret, facile quidem pariturum; videat tamen simul etiam vel ex dispensatione, vel ex divortio oriturum valde grave scandalum populi, vel damnum prolis, vel uxoris in bonis famæ, corporis, vel fortunæ; vel magnas lites, rixas, & inimicitias inter utramque familiam &c. tunc debet non docere, sed tacere, inquit, Tan, *cit. q. 9. n. 101. & alii cit.* quia præstat putatitii conjugis peccata materialia permittere, quàm tam gravibus malis causam dare. Laym, *l.c.* Lug. *de pœnit. Disp. 22. n. 27.* Dicast. *Disp. 10. n. 552.*

Quando autem dubium est, an monitio sit pœnitenti vel aliis obfutura, tunc optimâ regula Filliucii, & aliorum apud

Lug. & Dicast. est, ut attendatur, an bonum, quod ex monitione speratur, sit notabiliter majus, quàm malum, quod ex eadem timetur, vel econtra. Nam si bonum est notabiliter majus, facienda erit monitio; si malum, omittenda.

130. Si pœnitens de invincibili ignorantia, quam circa valorem, vel obligationem alicujus rei habet, non possit moneri, quia videtur vel ipse non pariturus, vel aliis inde grave damnum oriturum; tum autem sine alia justa causa ex mera displicentia, molestia, fastidio, non velit id præstare, ad quod supposito errore suo sub mortali tenetur, v.g. in Matrimonio putatitio cohabitare conjugum, reddere ei debitum &c. tunc Confessarius non potest eum absolvere, quia ita nolendo agit contra conscientiam erroneam in re gravi, ergo graviter peccat. Bonac. *cit. q. 3. p. 15. & ult. n. 3.* Dicast. *cit. Disp. 10. n. 538.* Hinc autem jam Confessarius pœnitentem ejusmodi potest non solum monere, ut desistat à voluntate non cohabitandi, non reddendi &c. vel generatim ei dicere, eum non impediri; conjuges debere sibi invicem reddere debitum, ut vult Bonac. *l.c. n. 6.* Sed insuper potest, & quandoque etiam debet directè & in specie hortari, ut conjugum reddat debitum, & positivè velit reddere, aliàsque actiones exercere, quas stante ejusmodi ignorantia & erroneâ conscientia non potest sine peccato omittere. Laym. *cit. tr. 6. cap. 13. n. 6. v. ceterum.* Dicast. *l.c. n. 535.* Palao *de pœnit. Disp. un. p. 19. §. 1. n. 11. & alii.* Ratio, quia pœnitens suppositâ sua invincibili ignorantia tenetur sub mortali reddere debitum putatitio conjugum, ut Bonac.

nac. fatetur; ergo si non reddendo, vel non volendo reddere peccavit, idque confiteatur, tunc debet id per voluntatem positivè contrariam retractare; & quidem etiam directè, atque in specie, si tunc nullum aliud habeat peccatû; ergo Confessarius, sicut alios pœnitentes, ita etiam istum potest, & quandoque debet directè, & in specie hortari ad positivam illam retractationem non redditionis, seu voluntatis non reddendi, adeoque, quod idem est, hortari ad reddendum, ad volendum reddere.

Neque in hoc Confessarius mentitur, aut hortatur ad copulam intrinsecè malam. Nam, suppositâ & stante pœnitentis invincibili ignorantia de nullitate Matrimonii, verum est, quòd obligetur ad redditionem; & copula illa, cum sit conscientie invincibiliter erroneæ conformis, tam parùm potest esse formaliter mala & peccatum, quàm parùm quævis alia, quæ est conscientie rectæ conformis. vide Palao de Conscient. Disp. 1. p. 2. & sup. l. 1. p. 5. n. 84. & seq.

§. IV.

Quid, si pœnitens interroget de suo errore?

131. Sed adhuc superest hîc Quæstio: Quid facere possit vel debeat Confessarius, si pœnitens illum interroget de re, circa quam invincibiliter errat; an v.g. possit in Matrimonio contracto persistere? debitam reddere &c. Communis autem sententia Bonac. Laym. Lugonis & aliorum absolutè affirmat, Confessarium debere interroganti aperire veritatem. Quod & ego admitto, sed cum li-

R. P. Sto. Trib. Pœnit. Lib. II,

mitatione preced. num. explicatâ, hoc est, si videatur veritas, ejusque cognitio illi profutura, & nulli graviter obsutura. Nam vel interrogat, quia habet dubium, aut scrupulum; ergo hoc ipso non ampliùs habet ignorantiam invincibilem; cum hujus unicum signum hic sit juxta Laym. cit. n. 6. v. ceterum. & Bonac. cit. p. 15. n. 10. si alicui nihil in contrarium occurrat, quod gravet, aut inquietet; ergo Confessarius, cum commodè possit, debet illum suo dubio aut scrupulo liberare, & de veritate edocere. Vel interrogat tantùm, quia cupit suam opinionem, quam pro indubitata habet, etiam à Confessario approbari & confirmari; tunc autem si Confessarius respondeat, non potest ita veritatem celare, ut non videatur ipso facto approbare interrogantis errorem; atqui istud in dato casu est etiam illicitum: ergo si respondere velit, debet veritatem aperire.

Quod si laborans invincibili ignorantia moneri non possit, vel quia respectu illius nulla est spes emendationis; vel quia respectu aliorum subest metus damni gravis, & tamen ille de suo errore interroget, sive jam ut dubitans, sive tantùm ut petens approbationem, tunc videtur utile fore, ut Confessarius fingat se non audivisse, vel non attendisse, vel oblitum esse respondere, sicut ait Lug. l. c. n. 29. quia interrogans sic non confirmatur, sed tantùm relinquitur in suo errore; item ut Confessarius non plus respondeat, quàm quod præcisè satis est ad interrogationem; sicut monet Laym. l. c. Sed neutrum hoc sufficit, si pœnitens urgeat responsum, vel de illo ipso, in quo summa rei versatur, interroget,

L

Rectius

Rectius ergo meo iudicio dicitur, Confessarium non teneri, hic & nunc illi aperire veritatem, sed posse dissimulare, & generali aut æquivoco aliquo responso interrogantem expedire, dicendo v. g. illum talia inutiliter querere, tales cogitationes & curas esse valde damnosas, deponendas &c. jubendo, ut sua sorte à DEO data vivat contentus &c. Ratio, quia tali pœnitenti veritas ejusque cognitio est sicut gladius homini, qui illo vel seipsum vel alios videtur esse occisurus, atqui nemo tenetur præbere huic gladium, etiam si alioquin habeat jus petendi illum, utpote suum; ergo nemo quoque tenetur illi aperire veritatem, adeo ipsi vel aliis damnosam. Atque ita etiam sentit Tan. tom. 4. Disp. 6. q. 9. n. 103. & Dicast. l. c. n. 540. ubi ipse bene advertit, alios Authores, qui contrarium docent, non loqui satis consequenter ad doctrinam sup. n. 128. cum seq. explicatam, & ab ipsis quoque traditam.

§. V.

An & quomodo Confessarius sequi debeat sententiam pœnitentis?

132. Quamvis autem Confessarius possit, & debeat prædicto modo instruere pœnitentem, si in rebus ad conscientiam pertinentibus errat, vel aliquid ignorat. At verò si pœnitens in hujusmodi rebus habeat pro se sententiam verè, & non tantum speculativè sed practicè probabilem, eamque velit sequi, nec ad amplectendam aliam probabiliorè & meliorem possit commodè induci, potest & debet Confessarius eum juxta illam, cæteris quoque requisitis positis, absolvere.

Laym. l. 1. tr. 1. cap. 5. n. 10. Bonac. tom. 1. Disp. 5. q. 7. p. 4. §. 2. n. 26. Palao de conscient. Disp. 2. p. 4. n. 2. Dian. p. 2. tr. 13. Ref. 11. Dicast. Disp. 10. à n. 556. & alii apud ipsos, aitque Lugo de pœnit. Disp. 22. n. 39. quòd hæc jam sit communis & vera sententia. Ratio est clara, quia pœnitens per hoc, quòd adhareat sententia verè & practicè probabili, nullum ponit obicem absolutioni, cum id sit licitum; ergo si aliud nihil desit, potest absolvi tanquam ritè dispositus. Quando- cunque autem pœnitens est ritè dispositus, tunc Confessarius, postquam confessionem ipsius & peccata audivit, etiam debet illum absolvere; & quidem sub mortali. Partim quia alioquin gravem injuriam inferret pœnitenti, vel onerando illum ad eadem peccata, si mortalia nunquam adhuc legitimè expiata tunc confessus fuit, iterum contentenda; vel si tantum fuerunt venialia, privando saltem illum contra suum jus Sacramento. Partim quia etiam irreverentiam non levem irrogat Sacramento, si illud post legitimam inchoationem relinquat imperfectum, cum commodè posset, & deberet perficere, ut dictum sup. n. 87. & 107. Unde non satis apparet, quâ ratione aliqui apud citr. excusent Confessarium à mortali, si confessio fuerit tantum brevis; vel tantum de venialibus; vel saltem brevis, & de solis venialibus simul.

Verè autem probabilis sententia est, ut hic obiter repetam, quam constat, quòd teneant probatæ autoritatis viri, plures vel pauciores, & quandoque etiam unus, sup. l. 1. p. 5. n. 100. atque adeo interdum quoque ipse tantum pœnitens

nitens, v. g. in casu circa materiam suae professionis Confessario non latè notam; etiamsi Confessarius sive jam solus, sive cum aliis putet multò probabilius, vel etiam sciat evidenter, sententiam illam esse falsam.

Practicè verò probabilis est, quæ aliquid spectatis omnibus circumstantiis, in quibus fit, dicit licitè fieri. *cit. p. 5. n. 109.* Unde jam speculativè tantùm probabilis est, quæ de re aliqua tantùm secundùm se & seclusis particularibus circumstantiis (v. g. scandali, periculi, præcepti, voti, pacti &c.) spectata dicit licitè fieri posse. In quo sensu patet, ex eo, quòd aliquid sit speculativè probabile, non posse semper rectè inferri, quòd etiam sit practicè probabile.

133. Debet porrò sententiam penitentis verè, & practicè probabilem sequi Confessarius I. non tantùm ille, qui ex officio obligatus est ad audiendum confitentem, ut proprius Parochus; sed etiam quivis alius; cum hoc tamen discrimine, quòd Parochus debeat penitentem juxta ipsius probabilem sententiam absolvere toties, quoties confiteretur; alius autem in secunda confessione non tenetur absolvere, si in prima monuit, se deinceps ejus sententiam non securum.

II. Etiam tunc, cum Confessarius sententiam penitentis, quæ est verè & practicè probabilis, judicat propter aliquam rationem sibi occurrentem; vel ob nullitatem illius, in qua fundatur, esse prorsus falsam, erroneam, &c. Nam hoc contrarium Confessarii Judicium si non sit certum & evidens, sed tantùm probabilius, licet duplo, triplo &c. quàm penitentis; nihilominus tamen, sicut

quilibet alius, ita & Confessarius potest relicta sua probabiliore sententia sequi alienam minus probabilem, ut dictum *sup. cit. p. 5. n. 112.* & juxta eam ipse agere, ac penitenti permittere, ut juxta eam agat; ergo si potest, tunc (ut paulò antè probavimus) hic post auditam confessionem etiam debet sequi; & quidem non tantùm in quibusvis aliis, sed etiam in iis rebus, quæ ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ spectant, quando enim verè probabile est, penitentem debitè se examinasse, debitè dolere, Confessarium debitam habere Jurisdictionem &c. tunc Confessarius, etsi multò probabilius judicet, hæc deesse, tamen potest, & consequenter etiam post auditam confessionem debet illum, maximè cum petit, absolvere.

Quodsi Confessarii judicium sit certum & evidens de aliqua re; opposita tamen penitentis opinio adhuc verè, & practicè probabilis (uti sæpe fieri potest; cum tunc, quando uni vel pluribus evidenter nota est v. g. paupertas alicujus Mercatoris, possint alii adhuc probabiliter judicare, eum esse divitem juxta dicta *suprà cit. p. 5. n. 106.* & *Lug. cit. Diss. 22. n. 46.*) Confessarius verò non possit suam certitudinem, & evidentiam sufficienter penitenti ostendere; tunc itidem potest & debet illum probabilitati suæ adhaerentem, utpote ritè dispositum absolvere, *cit. p. 5. n. 116. & seq.* sed in aliis tantùm, & non in iis, quæ ad essentiam Sacramenti spectant. Ratio disparitatis est, quia Confessarius absolvendo conficit Sacramentum, ergo si absolvit, cum ipse certò & evidenter sciat, non adefse omnia essentialia, tunc scienter conficit invalidè, &

peccat. At verò quando adsunt omnia essentialia, tunc absolvit validè; & quoad ea, quæ pœnitens probabiliter censet sibi esse licita, ipse vel nihil agit, sed tantùm permittit; vel certè, cùm tantùm in relicta ei cooperetur, nihil peccat.

§. VI.

Differentia Confessarii à Iudice, Medico, & Superiore.

134. Neque obstat, quòd Confessarius sit Iudex & Medicus pœnitentis, ejusque superior; Iudex autem & Medicus teneatur procedere juxta probabiliorè; & superior non subditi, sed subditi superioris debeat sententiam sequi. Nam quidquid Laym. l.c. dicat quoad Superiorem, & Dicastillo contra Lugonem moveat quoad Judicem, disparitas quoad hæc officia in foro interno & externo consistit in hoc, quòd sicut Sacramentum Pœnitentiæ est à Christo institutum in bonum & commodum solius pœnitentis; ita etiam Confessarius debeat suum in foro interno officium Judicis, Medici, & Superioris exercere in ejus solius bonum & commodum; ergo non potest illum aliter judicare, curare, aut gubernare, quàm juxta sententiam ab ipso in proprium commodum electam, quamdiu ea est verè, & practicè probabilis, Hinc etiam Medicus, cùm solius infirmi bonum spectare debeat, teneatur ideo tantùm medicinam probabiliorè adhibere, quia videtur infirmo esse commodior; & si iste mallet minùs probabilem, tanquam sibi magis gratam, posset & deberet Medicus istam, & non illam præbere. Sic quoque Iudex, quia in

causa criminali debet quoad sententiam favere reo, potest & debet eum absolvere saltem ab instantia, quamdiu verè probabile est, eum esse innocentem. In causis autem civilibus, quia Iudex debet tam ad unius ex colligantibus, quàm ad alterius bonum, & jus attendere; ideo potest & debet judicare secundùm probabiliorè pro uno contra alterum cum damno alterius; & quia Superior in sua gubernatione præcipuè bonum communi spectare debet, idque etiam subditi tenentur privato suo commodo præponere; ideo ille non istorum, sed isti debent illius sententiam non tantùm probabiliorè, sed etiam minùs probabilem sequi, atque juxta illam obedire.

ARTICULUS III.

De Obligatione Confessarii pœnitentem sanandæ.

135. Sicut lavari citò possumus, ad sanandum autem curatione multa opus habemus, teste S. Bern. *serm. de Cena Domini.* ita facile est, pœnitentem à peccatis absolvere, sed eundem ab animi morbis, qui peccatorum causæ, radices, & fontes sunt, perfanare, hoc opus & labor est; omnino tamen à quovis Confessario cum summa cura suscipiendus. Alioquin enim absolvendo lavabit quidem pœnitentem, sed quasi laterem crudum; quem quanto magis laverit, tanto magis lutum facit. *can. Ille. 9. Dist. 3. de pœnit.* Lavatur nempe, sed non mundatur, qui (in Confessione) plangit, quæ gessit; non multò tamen post eadem, quæ fleverat, repetit. *can. Irrisor. II. ead.* vel certè inanimè mundatur, quem Confessarius non aliter

aliter lavat, quam ut mundus mox ad fordes redeat. *Can. 13. ead.* canis ad Vomitum, & sus lota ad volutabrum luti. *2. Petri 2. v. 22.* Malè suo fungitur Medicus officio, qui corpus ægri noxiis humoribus purgat, sed morbo non liberat; nec laudem meretur Chirurgus, qui pus ex ulcere exprimit, aut saniem à vulnere abstergit, sed ulcus & vulnus, unde mox alia purulentia scaturit, in corpore relinquit. Nihilò autem meliùs quidquam Confessarius agit, si penitenti vincula duntaxat solvit peccati, sed contra peccatum idoneo nullo remedio munit; cum inanis sit penitentia, quam sequens culpa coinquinat, nihilque proflin lamenta, si replicentur peccata, ut dolenter loquitur S. Aug. relatus *Can. Inanis 12. cit. Dist. 3. de penit.* Debet ergo Confessarius more periti Medici, ut in *cap. Omnis utriusque 12. de penit. & remiss.* statuitur, diligenter in peccatoris & peccati circumstantias inquirere, & prudenter intelligere, quomodo oleum & vinum infundat vulneribus sauciati; & cuiusmodi remedium adhibeat ad sanandum & salvandum ægrotum, non uno eodémque pro omnibus morbis aut ægris, sed pro eorum diversitate diversis experimentis & medicinis utendo, ut habet textus. Quem admodum autem bonus ille Samaritanus non tunc primum, cum hominem malè à latronibus sauciatum vidit, fascias quæsiivit, quibus vulnera ligaret; aut oleum & vinum, quod infunderet, sed omnia ad quemvis casum jam parata secum attulit; ita quoque prudens & cautus Confessarius debet antè maturè notitiam spiritualium morborum eorúmque remedia sibi comparare, & semper secum ad confes-

sionale parata deferre, ut cum necesse fuerit, statim possit, quæ apta videbuntur, præscribere, & infirmo penitenti applicare.

136. Duodecim generalia peccatorum remedia collecta invenies *sup. lib. 1. p. 4. à n. 13.* quibus aliud particulare, pro quovis particulati vitio eradicando præsentissimum, est superadditum, & *ibid. à n. 31.* practicè explicatum. Qui plura desiderat, integram Apothecam triplici remedium genere instructissimam facillè ipse sibi conficere potest ex Historiis, Sententiis, & piis quibusdam Industriis seu Exercitationibus. Ego hîc intento tantùm digito ostendam formam quoad septem peccata capitalia, ex quibus alia promanant omnia, sicut fluvii ex fontibus. Sit proinde

§. I. Exempla.

Plurimùm ad emendationem vitæ juvant, si à Confessario bene proponantur, & dextrè applicentur. Sapientissimè enim Seneca *Epist. 6.* longum iter est, inquit, per præcepta; breve & efficax per exempla. Delumo autem hîc tantùm ex SS. Scriptura, & quia non ignota sunt, solùm perstringo. Itaque

137. *Contra Superbiam.* I. Lucifer & Angeli ejus in pœnam superbiæ amiserunt excellentiam, quam habuerunt; non assecuti sunt, quam ambiverunt; & æternæ confusio in inferno subjecti fuerunt. *Isaia 14.* II. Nabuchodonosor, illud caput aureum, amisit omnem suam gloriam, vinctus ferro & ære, expulsus ab omni hominum consortio, coactus habitare cum bestiis, & ipse factus quasi bestia fœnum ut bos comedit per integrum

septennium, *Dan. 4.* III. David propter superbam populi numerationem coactus ipse, & totum ipsius Regnum pati vel septennalem famem, vel trimestrem eladem belli, vel triduanam pestilentiam, in qua septuaginta millia virorum perierunt. *2. Reg. 23.* IV. Ad Regem Tyri, superbiâ elatum post alias horrendas pœnas dictum est *Ezech. 28. v. 19.* Nihili factus es, & non eris in perpetuum. V. Herodes Agrippa sub ipsum populi plausum, in quo sibi vanè complacebat, percussus est ab Angelo, & corrosus à vermibus interiit. *Act. 12.*

138. *Contra Avaritiam.* I. Puero Eliæ, nomine Giezi, unacum rebus, quas ex Avaritia à Naaman leproso exegit, etiam lepra ipsi & semini ejus in sempiternum adhæsit. *4. Reg. 5.* II. Achan, quidpiam ex Jericho sibi reservans, turbavit totum Israël, & vivus lapidatus est. *Jos. 7.* III. Jezabel vineam Naboth injustè occupans, per fenestras præcipitata, & à canibus devorata est. *3. Reg. 21.* IV. Heliodorus Minister Principis Cælesyriæ, jubente suo Domino, ausus fuit Ecclesiastica Templi Jerosolymitani bona invadere. Sed in ipso opere equus divini Equitis calces illi impegit, & duo Angeli specie visibili ex utraque parte eum flagellantes, ac sine intermissione multis plagis verberantes eundem ex ærario occulta vi proturbârunt, ita, ut mutus, omnique spe ac salute privatus jaceret, certò moriturus, nisi Onias Sacerdos pro eo apud DEUM intercessisset. *2. Mach. 3.* V. Judas Iscariotes ex Avaritia Christum Dominum triginta argenteis vendidit. Sed, DEO sceleris vindice, seipsum suspendit, crepuit medius, & ipsa quoque sua viscera

effudit, hujus & alterius vitæ bonis destitutus. *Act. 1.* VI. Ananias & Sapphira negantes se aliquid ex pretio venditorum bonorum retinuisse, morte repentina puniuntur. *Act. 5.*

139. *Contra Invidiam.* I. Ex invidia favoris divini Cain occidit fratrem suum Abel. Sed mox à DEO maledictus, ejectus, vagus & profugus super terram, tandem à Lamech etiam occisus fuit. *Gen. 4.* II. Filii Patriarchæ Jacob fratrem suum Joseph ex invidia & odio pessimè habuerunt, & denique Ismaëlitis in mancipium venderunt. *Gen. 37.* Sed postea coacti sunt, eundem ut Principem Ægypti & Dominum suum adorare, ab eoque post vitam etiam alimenta, ne fame perirent, exorare. *Gen. 42. & seqq.* III. Core, Dathan, & Abiron ex invidia seditiosè insurrexerunt contra Moysen. Sed absorpti à dehiscente terra cum omnibus, quæ ad ipsos pertinebant, viventes descenderunt in infernum, combustis simul etiam divinitus ducentis & quinquaginta complicibus. *Num. 16.* IV. Rex Saul cum in publico populi planctu audivit, sibi mille tantum; & decem millia velut trophæum Davidi tribui, rectis eum oculis non ampliùs aspiciebat, variis modis persecutus, & necem machinatus. Sed ab invido Rege mox recessit Dominus ex toto, & altera die eum Diabolus obledit. David autem tanto gravior populo, & charior DEO, ipsi Sauli miserimè pereunti factus fuit in regno gloriosus successor. *1. Reg. 18.* V. Satrapæ in aula Darii ex invidia erga Daniëlem suis effecerunt machinis, ut mitteretur in lacum leonum, ab iis devorandus. Sed ope divina evasit Daniel illusus; invidi autem illi omnes unacum omnibus

nibus suis liberis & uxoribus objecti vicissim leonibus, ab iisdem discepti fuerunt, omnibus quoque ossibus eorum comminutis. *Dan. 6.* VI. Invidia Sacerdotes, Seniores, Scribas, & Phariseos populi Judaici eò usque impulit, ut ipsum Christum Dominum, DEI filium, post continuas persecutiones tandem Pilato tradiderint crucifigendum. *Matth. 27. v. 18.* Sed invidiæ pœna fuit urbis Jerusalem everfio, totius gentis maledictio, ultimum exitum & excidium.

140. *Contra Luxuriam.* I. propter hoc vitium DEUS totum mundum diluvio submersit. *Gen. 7.* II. Sodomam, & Gomorrhham igne exussit. *Gen. 19.* III. Samson ex amore mulieris ipse sua prodidit arcana; amisit cœleste suum robur; libertatem, oculos, & post multa tolerata gravissima alia mala ipsam etiam vitam. *Jud. 16.* IV. Davidi propter commisitum adulterium DEUS dici iussit, quòd non recedet à Domo ejus gladius (Justitiæ & Vindictæ Divinæ) in sempiternum. *2. Reg. 12.* indeque in pœnam factum, ut unus ex filiis violenter oppresserit sororem; alius fratrem super mensa occiderit; uxores Patris palam incestu polluerit, totum regnum contra patrem ad seditionem concitavit, & è domo regia ipsum ejecerit Patrem, qui pedes aufugere, & tandem filium perditum ex arbore suspensum, tribusque lanceis confossum deplorare, seris sed inutilibus lacrymis debuit. V. Salomon, etsi sapientissimus, ex luxuria factus est scelestus Apostata, & stultissimus Idololatra; quot mulierum intemperans amator, tot idolorum vefanus cultor. *3. Reg. 11.* VI. Onan filius Judæ effudit semen per pollutionem; sed ob

rem hanc detestabilem percussit illum Dominus, & mortuus est. *Gen. 38.* VII. Septem mariti Saræ cum ea matrimonium inierunt, ut immoderatæ libidini vacarent. Sed à Dæmonio singuli eorum prima nocte antequam cupito fruerentur amplexu, occisi sunt. *Tob. 6.*

141. *Contra Iræ.* I. Abimelech Gedeonis optimi patris pessimus filius crudelissimè occidit septuaginta fratres suos super unum lapidem. Sed per fragmen molæ à muliere ex alto dejectum lethali-ter vulneratus, à suo armigero ultimum ictum exorare gratiæ loco coactus est. *Jud. 9.* II. Abner, qui regebat domum demortui Saulis ob levem reprehensionem iratus Isbofetio filio Saulis, totum populum ab eo avertit. Sed à Joab duce militiæ Davidicæ dolosè in ipso Regiæ ingressu occisus est. *2. Reg. 3.* Sed & III. Joab ob multa mala ex ira & furore perpetrata fuit ad ipsum Altare Tabernaculi, quò frustra confugerat, occisus; revertente sanguine innocentum in caput ipsius & seminis sui in sempiternum. *3. Reg. 2.* IV. Aman ob non exhibitam sibi à Mardocheo reverentiam ita irâ exarsit, ut totam gentem Judæorum voluerit excindere. Sed ipse, iusto iudicio DEI, Mardocheo ut famulus servire coactus, & paulò post unacum decem suis filiis suspensus est in patibulo. *Esther 6. & 7.* V. Architophel ex ira & indignatione, quod aliterius consilium esset suo propositum, se ipsum suspendit. *2. Reg. 17. v. 23.* VI. Herodes, quia erat iracundus & iratus valde, pueros omnes nondum biennes in Bethlehem & in finibus ejus occidit. *Matth. 2.* Sicut & uxorem & proprios filios. Ut etiam Ethnicorum

corum iudicio melius vel saltem tutius censeretur, Herodis porcum, quam filium esse.

142. *Contra Gulam.* I. Primi parentes, quia prohibita arboris fructum gustarunt, Justitia originali totoque Paradiso & ipsi & omnes eorum posterii privati, omnibus calamitatibus, quas unquam habuimus, habemus, & habebimus, subiecti fuerunt. *Gen. 3.* II. Esau in esurie inhians pulmento fratris sui Jacobi, vendidit ei cum iuramento primogenita pro pane & lentis edulio. *Gen. 25.* III. Israëlita cum nauseabundi haberent manna pro cibo levissimo, dedit eis Dominus immensam copiam coturnicum. Sed adhuc carnes erant in dentibus eorum, & ecce! furor Domini percussit eos plagam magnam nimis. Unde loco nomen datum, *sepuichra concupiscentie. Num. 11.* IV. Propheta quidam ex suasionem pseudoprophetae comedit & bibit in Bethel contra præceptum Domini. Sed inde revertentem tradidit Dominus Leoni, qui contrivit & occidit eum, quia inobediens fuit ori Domini. *3. Reg. 13.* V. Duo filii Heli servientes Altari, & de Altari non tantum vivere, sed & luxuriari volentes, pinguisima & optima quæque inde arripere solebant ad luxum & gulam suam explendam. *1. Reg. 2.* Sed ipsi ambo una die ab hostibus occisi sunt, & qui iis male connivebat Pater, fracta cervice simul interiit. *1. Reg. 4.* VI. In ebrietate Noë turpiter denudatus, ludibrio est filio suo. *Gen. 9.* Loth infandum incestum cum filiabus committit. *Gen. 19.* Holofernes à femina obtruncatus perit. *Judith. 13.* Cum Balthazar Rex cum optimatibus suis

genio indulget in convivio, scribitur a Justitiæ divinæ dextra in pariete & exhibetur hæc fatalis sententia: Numeravit DEUS dies Regni tui; appensus es ad stateram & inventus minus habens; propterea divisum est Regnum tuum & datum est Medis; eademque adhuc nocte miserè est interfectus. *Dan. 5.* Dives ille, qui quotidie epulabatur splendide, cum mortuus est, sepultus fuit in inferno; ubi etiamnum rogat, ut Lazarus intingat extremum digiti in aquam ad refrigerandam ejus linguam; & non impetrabit in æternum. *Luc. 16.*

143. *Contra Acediam.* I. Israëlita peracti laborem in via per desertum murmurarunt dolentes contra Dominum, Sed Dominus iratus accendit inter eos ignem, qui extremam castrorum partem devoravit, grassatus ulterius, nisi Moyses veniam exorasset. *Num. 11.* II. Isboeth cum in strato suo dormiret fervente die in meridie, & ostiaria quoque obdormisset, ingressi sunt latrones, eumque interfecerunt ablato capite. *2. Reg. 4.* III. Sisara, caelo fugatoque suo exercitu, cum hostem imminetentem etiam ipse fugere deberet, ingressus est in tabernaculum Jahel, & intempestivæ somnolentiæ succubuit. Sed mox ipsa Jahel, quæ somnum dato lactis haustu conciliaverat, per tempora stertentis clavum malleo adegit, & soporem ejus morti consociavit. *Jud. 4.* IV. Paterfamilias in agro suo seminavit bonum semen; sed cum dormirent homines, venit inimicus ejus & superfeminavit zizania. *Matth. 13.* V. Quinque Virgines fatuæ, moram faciente sponso, dormitaverunt & dormierunt omnes. Novif.

Novissimè quidem venerunt etiam illæ. Sed janua jam clausa, quam frustra flagrabant sibi aperiri, rejectæ sunt cum tristissimo illo: *Nescio vos. Matth. 25.* VI. Servus ille, etsi talentum, sibi ad negotiandum datum, reddiderit integrum Domino; tamen quia cum eo in terram abscondito, nihil lucri fecit, tanquam servus malus & piger in tenebras exteriores eiectus est, ubi est fletus & stridor dentium. *Matth. 13.*

NB. Si penitens litteratus sit, & libros habeat, subinde proderit inter alia pro penitentia injungi, ut ipse Exemplum ejusmodi domi legat, & perpendat. Quòd autem omnia, quæ indicavi, spectent ad incutiendum penitentibus timorem Domini, id ea factum est de causa, quia qui timet Dominum, faciet bonum. *Eccli. 15.* & qui indigent aliquâ Confessarii curâ in eradicandis peccatis, potissimum ferè moventur tantum timore.

§. II. Sententia.

144. Ad animorum conversionem mirabilis prorsus inest vis breviusculis quibusdam ex SS. Scriptura vel aliunde depromptis sententiis. Lapillus sunt, quo sæpe Nabuchodonosoris alicujus monstruosa statua conteritur; vel formidandus integris exercitibus Goliath prosternitur. Virga sunt, quæ sæpe ex dura petra salutaris aqua vel scintilla excutitur. Tuba sunt, quæ non rarò mænia quædam Jerichuntina evertuntur. Vox Domini sunt: *Psal. 28.* quæ sæpe confringuntur indurata & inflexibiles Cedri; interciduntur flammæ furentis ignis; commoveantur impatientia culturæ deserta; præparantur ad reditum fugitivi à DEO Cervi; & reve-

R. P. Stoz. Trib. Penit. Lib. II.

lantur non alio facilè modo penetranda condensa. Exemplis pleni sunt libri. S. P. N. Ignatius Franciscum Xaverium, juveniliter in Academia Parisiensi evanescentem, lucratus est sibi, Societati, Orbi, & DEO, præscriptâ ad quotidianam considerationem hæc Christi *Matth. 16.* sententiâ: *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur; anima verò sua detrimentum patiatur?* Nadasi in Anno *dier. memorab. Soc. JESU. 2. Dec. ex Vita lib. 1. cap. 2.* Quam ipsam gnomen S. Xaverius postea aliis quoque præscribere solitus fuit, & Joanni III. Lusitanæ Regi, veluti pretiosissimam gemmam ex India transmisit, quotidie per unum horæ quadrantem considerandam. Noster P. Joannes Suarez Constantino cuidam hæretico obstinatissimo, & post alia omnia ab aliis frustra tentata prorsus desperato, suggestit hunc *Psal. 18.* versiculum cogitandum: *Lex Domini immaculata, convertens animas;* unde non multò post, quia vidit, suam sectam nec sine macula esse, nec animas convertere, eandem abjuravit. Nadasi *l.c. 17. Dec.* Sanctam vitam amplexus est Simeon Stylites audito illo: *Beati, qui lugens, &c.* S. Antonius, & Sanctus Paulinus audito isto: *si vis perfectus esse, vade &c.* S. Eucherius Abbas considerando hoc: *præterit figura hujus mundi.* Prioribus annis Romæ Sacerdos pius, cum mulierem frontis & pudicitie projectæ, desperatæque salutis, in plateis obviam haberet, in transitu ad aures acclamavit duo duntaxat hæc verba; *O Cælum! O Infernus!* quibus illa velut duplici fulmine attonita, mox ad vitam non modò castam, sed & sanctam se accinxit. Alius alium delitiis & voluptatibus de-

M

peratè

peratè immerſum, ſalvavit per illam ſententiam obiter tantùm inſperſam ex *Iſaia* 14. v. 11. ſubter te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.

145. Uſus porrò ejuſmodi ſententiæ optimus foret, ſi pœnitens poſſet in die per aliquod temporis ſpatium ejus meditationi vel conſiderationi immorari. Sed quia pauci artem meditando & conſiderandi de aliqua re callent; multi quoque, qui callēt, propter alia ſua negotia vel non poſſunt, vel non volunt ſancto ejus exercitio ſe impendere; ideo communiter ſaris erit, ſi Confefſarius ſelectam aliquam & infirmitati pœnitentis curandæ aptam proponat ſententiam; quantumque neceſſe eſt, & tempus patitur, cum aliqua declaratione exponat; ac tum vel pro pœnitentia (ſive totali, ſive partiali) imponat, vel per modum conſilii ſuadeat, ut pœnitens ipſe ſibi poſtea aliquoties ſuggerat, vel tantùm in mentem revocando; vel, quod efficacius eſſe poteſt, ore tenus repetendo, ſed verbis expreſſè, diſtinctè & attentè prolatis. Quod eſt ab initio fiat ſine omni guſtu; ipſe tamen uſus cum divina gratia aperit paulatim intellectum, ut tandem aliquem in verbis, toties repetitis, apprehendat ſentum, indèque in voluntate exoriatur pius aliquis motus, qui impellat ad præſtandum id, quod deſideratur.

146. Ne verò pœnitentes hîc ultra id, quod commodè poſſunt, urgeantur, expedit, valde occupatis, oblivioſis, rudibus, & inexercitatis plus non injungi, quàm ut duobus vel tribus diebus in una vel altera hebdomade præſcriptam ſententiam, modo ſupra dicto, ſecum recolant. Aliis magis capacibus poteſt præci-

pi vel ſuaderi, ut quotidie id faciant ſemel; vel etiam ſæpius v.g. manè & veſperi, vel etiam in meridie; vel quoties aliquis labitur, aut advertit periculum labendi; idque, ſi frequenter conſiteretur, uſque ad proximam conſeſſionem; vel ad certum tempus unius aut plurium hebdomadum, ſi rariùs conſiteretur.

147. Sententiæ pro curandis ſeptem peccatis capitalibus aptæ poſſunt eſſe ſequentes, aliæque ſimiles.

Contra Superbiam. DEUS ſuperbis reſiſtit; humilibus autem dat gratiam. *1. Petri* 5. v. 5. Sola ergo ſuperbia habet ſibi DEUM ſpecialiter contrarium, & adverſarium; non ſic alia vitia, inquit Caſſian. *lib. 12. cap. 7.* & : ô quantum, exclamat, malum! non hominem, non Angelum, ſed ipſum DEUM habere ſibi adverſarium. II. Superbiam nunquam in tuo ſenſu, aut in tuo verbo dominari permittas; in ipſa enim initium ſumpſit perditio. *Tob. 4. v. 14.* nimirum ſpiritualis & corporalis, temporalis & æterna. III. Initium omnis peccati Superbia; qui tenaciter illam, implebitur maledictis, & ſubvertet eum in finem. *Eccli. 10. v. 14.* IV. Odibilis coram DEO & hominibus eſt ſuperbia. *ibid. v. 7.*

148. *Contra Avaritiam.* I. Conturbat domum ſuam, qui ſectatur avaritiam, *Prov. 15.* II. Avaro nihil eſt iſteſtius. *Eccli. 10. v. 9.* hic enim & animam ſuam venalem habet. *v. 10.* III. Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & laqueum Diaboli, & deſideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt hominem in interitum & perditionem. *1. Tim. 6. v. 9.* IV. Viro cupido & tenaci ſuæ ratione eſt ſubſtantia. *Eccli. 14. v. 3.* V. Qui

Qui acervat injustè, aliis congregat; & in bonis illius alius luxuriabitur. *ibid.* v. 4.

149. *Contra Invidiam.* I. An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum (benefaciendo his vel illis) inquit Christus *Matth.* 20. v. 25. II. Invidiâ Diaboli mors introivit in orbem terrarum; imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius. *Sap.* 2. v. ult. III. Putredo of- fsum invidia. *Prov.* 14. v. 30. IV. Væ illis, qui in viam Cain (fratri suo divinam gratiam invidentis) abierunt. *Epist. Judæ* v. II. V. Ubi Zelus & contentio, ibi inconstantia & omne opus pravum. *Jacob.* 3.

150. *Contra Iram.* I. Omnis qui irascitur fratri (seu proximo) suo, reus est Judicio. *Matth.* 5. v. 22. II. Zelus & iracundia minuunt dies (vitæ) & ante tempus senectutem adducunt cogitatus (iracundi) *Eccl.* 30. v. 26. III. Ne sis velox ad irascendum, quia ira in sinu stulti requiescit. *Eccl.* 7. IV. Relinque (dimitte) proximo tuo nocenti te; & tunc deprecanti tibi peccata solventur. *Eccl.* 28. v. 2. ubi de hac re plura.

151. *Contra Luxuriam.* I. Qui talia agunt, regnum DEI non consequentur. *Gal.* 5. v. 21. II. Corpora vestra membra sunt Christi; tollens ergo membrum Christi faciam membrum meretricis? membra vestra templum sunt Spiritûs Sancti; & non estis vestri. *1. Cor.* 6. v. 19. III. Pars illorum (Luxuriosorum) erit in stagno, ardenti igne & sulphure; quod est mors secunda. *Apoc.* 21. v. 7. IV. Ignis est Luxuria usque ad perditionem devorans, & eradicans omnia gemina. *Job.* 31. v. 12. V. Qui seminat in carne, de carne & metet corruptionem. *Gal.* 6. v. 8.

Corruptionem scilicet in corpore, animâ, famâ, & fortunis.

152. *Contra Gulam.* I. Omnis labor hominis in ore ejus, sed anima ejus non implebitur bonis. *Eccl.* 6. II. Quorum Deus venter est, gloria in confusione ipsorum. *Philip.* 3. III. Propter crapulam multi obierunt; qui autem abstinens est, adjiciet vitam. *Eccl.* 27. IV. Ebrietatis animositas (est) imprudentis offensio, minorans virtutem, & faciens vulnera. *Eccl.* 31. v. 40.

153. *Contra Acediam.* I. Omnis piger semper in egestate est. *Prov.* 21. v. 5. II. Multam malitiam docebit otiositas. *Eccl.* 33. v. 29. III. Maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter (per negligentiam aliquid subtrahendo) *Jerem.* 48. v. 10. IV. Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. *Matth.* 11. v. 12. V. Qui timent pruinam, irruet super eos nix. *Job.* 5. v. 16. VI. Omnem palmitem, in me non fereunt fructum, tollent eum. *Joan.* 15. v. 2. & in ignem mittent, & ardet. v. 6. VII. Inutilem servum ejcite in tenebras exteriores, illic erit fletus & stridor dentium. *Matth.* 25. v. 30.

§. III. Industria pia.

154. Multas, eâque valde utiles passim exhibent Magistri vitæ spiritualis. Sed sicut non omnes eadem medicamenta juvant contra eosdem morbos corporis; ita nec omnibus contra eosdem morbos animi profunt eadem industria.

Frequens Communio.

Et verò præstantissima omnium est frequens Communio. Nam juxta effatum

tum S. Mariæ Magdalenzæ de Pazzis, & communem SS. PP. sensum, vel unam tantum Communio bene facta sufficit ad animam faciendam perfectam; nihilominus tamen cum admiratione videmus & dolemus, plurimos post Panem vitæ frequenter sumptum adhuc spiritualiter mori, vel graviter ægrotare; & post comestum multoties Agnum DEI adhuc cum lupis ululare. Nempe, qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit. 1. Cor. II. v. 29. Indignè autem (quod bene notandum) manducat & bibit non tantum ille, qui velut Judas cum peccato mortali sumit; sed etiam quivis alius, *Qui*, ut loquitur S. Bonaventura, *tepidè, indevotè, & inconsideratè sumit*, absque debita præparatione, & maximè si peccet in ipsa sumptione saltem venialiter, vel habeat vigentem affectum ad peccatum aliquod veniale. Et sanè multi graves Doctores apud Tan. Tom. 4. *Disp. 5. q. 8. n. 57. & 58.* quamvis contra communem, volunt virtutem, fructum & effectum SS. Evcharistiæ, seu augmentum gratiæ sanctificantis propterea omnino impediri. Satis autem certum est, ratione Communionis tam indecenter peractæ, sicut ex opere operantis, ita & ex opere operato non magnum augmentum gratiæ percipi; cum Sacramenta, sicut causæ naturales, plus vel minus operentur pro majore vel minore dispositione subjecti. Quidquid jam sit de hac Quæstione; an ita communicare sit peccatum veniale; de quo vide *l. 1. p. 3. n. 315.* Adde, per primum peccatum mortale, à quo multi secularium, præsertim sacra irreverenter tractantium non dirastinent, statim iterum paulò antè acquisi-

tam gratiam sanctificantem amitti unicum omnibus auxiliis actualibus, quibus ad meliorem vitam excitari, & adjuvari poruissent, & debuissent. Imò eos, qui frequenter communicant, & identidem per peccata mortalia ex gratia excidunt, valde credibile est, inquit Tan. *l. c. n. 60.* malè dispositos, adeoque indignè communicare, & nullum fructum reportare. Vide Nicol. Lancicium *tom. 2. opusc. 14. cap. 13.* Hinc ergo est, quodd, etsi SS. Evcharistiæ sumamus, adhuc tamen, ut S. Paulus *l. c.* dolendo scribit, *inter nos multi sunt infirmi ad declinandum à malo; multi imbecilles ad faciendum bonum, & dormians multi somnum mortis, etiam corporalis, ante tempus inflictæ, in pœnam indignæ sumptionis.*

Frequens Confessio.

155. Confessio frequens plurimum prodest ad sanandos etiam inveteratos animi morbos; sed ad hoc requiritur imprimis, ut pœnitens faciat eam constanter apud unum; quia variatio Confessariorum, ut Medicorum, plerumque est ægris dannosa. Deinde ut eam apud unum faciat libenter; quia alioqui timendum est, ne si invitus sit, quandoque faciat sacrilegè. Certè etiam illi, qui per directionem ordinarii sui Confessarii jam bene profecerunt in extirpatione alicujus vitii, si postea fortè iterum circa id delinquant gravius, non rarè valde horrent, se de illo apud eum accusare. Ut proinde Confessarius, sicut neminem, qui vult ipsi confiteri, facile debet à se repellere; ita etiam neminem, qui non sponte sua venit, debeat facile ad se atrahere. Multò minùs debet unquam

vel minimo indicio ostendere, se ægrè ferre, quòd illi, qui ipsi ordinariè confiteri solent, interdum alicui alteri confiteantur. Imò expedit, quandoque per suam absentiam, exoblata veletiam quæ sita causa factam, præbere suis pœnitentibus occasionem alteri confitendi. Porro quòd frequens Confessio apud unam sponte & constanter facta multùm conducit ad emendationem, inter alias causas est etiam hæc non minima, quòd Confessarius ita meliùs statum pœnitentis agnoscere, aptiora remedia, & singulares industrias, quas hinc inquirimus, præscribere, earumque usum urgere queat. Vide lib. 1. p. 1. n. 116. & seqq.

Alia pro capacioribus.

356. Examen Conscientiæ, quod vocamus generale: præcipuè autem Examen alterum, quod particulare dicitur, & sup. lib. 1. cap. 4. n. 33. & 34. cum sua forma & praxi explicatum est, habet quidem vim profus singularem ad corrigendos hominum mores; sed itidem ad neutrius perfectum constantemque usum faciliè ex secularibus adduci possunt alii, quàm qui sunt magis capaces, & minùs occupati; posterius quoque nemo ritè peraget, nisi si admodum perfectionis Christianæ studiosus.

Vivace apprehensione meminisse DEI præsentis, Christi patientis, Angeli deterrentis, diaboli allicientis: Item habere in mente & oculis imminentem horam mortis, irrevocabilem strictissimi Judicii sententiam, parata peccantibus inferni supplicia, promissa vincantibus æterna cœli gaudia &c. sufficere possunt singula ad lapides quoque, & non tan-

tùm ad homines permovendos. Sed quomodo vera & viva horum imago poterit cujusvis capiti & memoriæ imprimi? Experiuntur Spiritualis vitæ Magistri, Religiosorum quoque nonnullos multis meditationibus usque longo vix assequi tandem, ut hujusmodi exercitia cum fructu & sine damno obire valeant. Debent autem tales industriae Confessariis esse notæ, quæ communiter ab omnibus etiam minùs capacibus possunt sine magna difficultate utiliter observari. Eæ igitur videntur esse posse sequentes, aut similes.

Alia pro minùs capacibus.

157. I. Ante omnia induendus est pœnitens, ut manè post somnum, & noctu ante cubitum assuescat DEO, vel Sanctis per orationem devotè se commendare. Plerumque enim peccatores, & qui maxime cura spirituali indigent, sicut tota die vivunt ut bestia, ita etiam manè surgunt, & vesperi incumbunt ut bestia, immemores DEI, & sui. Utile foret talibus etiam pro pœnitentia injungi, ut per aliquod tempus quotidie manè & vesperi recitent unum, duo, vel tria Pater, & Ave.

II. Pœnitens assuescat in hebdomade aliquoties, & paulatim quotidie semel facere, vel sæpiùs bonum aliquod opus ad hunc finem, ut DEUS gratiam, ac robur ipsi largiatur, vitium illud, cui se obnoxium agnoscit, extirpandi. Sufficit autem, si ejusmodi opus bonum sit unum ex illis, quæ pœnitens jam per se vel solet, vel facillimè potest facere, uti est v. g. actus unus Patientiæ, Humilitatis, Obedientiæ, Charitatis, & maxime

Misericordiæ dando saltem parvam elemosynam, vel, si ipse inops sit, compatiendo, & bene volendo pauperibus. Certè S. Ambros. relatus *Can. 76. Dist. 1. de Pœnit.* Medicina misericordiæ, inquit, tollit magna peccata; intellige, non tantùm satisfaciendo pro commissis, sed etiam præservando à committendis; quia ab omni peccato & morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. *Tob. 4. v. 11.* facitque invenire misericordiam & vitam æternam. *Tob. 12. v. 9.*

158. III. Quotidie manè, vel cùm surgit, vel cùm Missam audit, seriò statuat, quòd illa die velit ab hoc vel illo consueto suo vitio abstinere, simulque per unam vel alteram orationem Dominicam & Angelicam petat sibi à DEO, & Christo nato, passo &c. (prout fert ratio temporis) concedi; vel à B. V. aut Sanctis (prout Festa currunt) impetrari gratiam, suum illud propositum perfectè adimplendi. Postquam autem hujus industriæ aliquem usum & facilitatem comparavit, assuescat deinde etiam vespere ante cubitum se saltem parùm reflectere videndo, an & quomodo suum propositum per diem illum servaverit. Et si invenit, se illud transgressum fuisse, doleat, & percutiens pectus cum pio suspirio dicat, v. g. *Miserere mei, ó bone DEUS! vel Domine DEUS! esto mihi misero peccatori propitius.* Si non meminit alicujus transgressionis, agat DEO, vel Sanctis gratias, dicendo v. g. *Benedictus DEUS! Laus DEO! Gloria Patri &c. DEO & Sancto N. sit honor, & gloria.*

IV. Pœnitens assuescat, ut, cùm adventit se peccasse, vel tunc statim, vel

saltem illo adhuc die doleat, & studeat postea data occasione aliquem internum vel externum actum virtutis, illi peccato contrariæ elicere; v. g. Si DEUM aut Sacramentum blasphemavit; deinde in honorem & laudem aliquid oret, adico templo adoret Venerabile Sacramentum &c. Si proximum contempserit, odio habuit, ei maledixit, invidit, &c. tunc postea eidem honorem aliquem & charitatem exhibeat, bonum aliquid ipsi optet, vel conferat &c. Si in potu excessit, postea sibi aliquando in siti potum neget &c. Sicut enim Medici calida frigidis, & frigida calidis; ita etiam pœnitens sua vitia per contrarias virtutes optimè curabit. Vide *sup. n. 119. v. Periculum.* Quod si autem pœnitens ita paulatim juxta hunc & præced. num. procedat, fieri fortè poterit, ut tandem Examen quoque generale, vel etiam particulare in plena & integra forma sua peragere magno suo bono addiscat.

159. V. Pœnitens seriò statuat, quod si aliquo die hoc vel illud peccatum commiserit, velit id ipse in se vindicare, sibi que certam pœnam irremissibiliter infligere, contra se ipsum pro DEI gloria pugnans. Pœnam ejusmodi præstat, ut ipse pœnitens determinet; quia tunc certius exequetur. Si autem ipse nullam excogitare possit, suggerat Confessarius plures, ex quibus unam eligat, v. g. osculari terram, expansis brachiis orare aliquot Pater & Ave, abstinere ab uno ferculo, vel ejus meliore parte in mensa; ab haustu, si quem extra mensam solet facere; ab aliqua recreatione; jejunare die Veneris vel Sabbati, confiteri & communicare proximâ Dominica vel Festo, ite-

peregrinatum ad aliquod vicinum facellum, ibique recitare Litanias, Rosarium, vel ejus partem &c. Aliquibus proponi poterit, ut dent eleemosynam, gestent aliquamdiu cilicium, legant per unum vel alterum quadrantem aliquid ex libro spiritali &c. Vide Reginald. l. 2. m. 104.

160. VI. Pœnitens faciat votum aliquod, quo nimirum promittat DEO, in honorem hujus, vel illius Mysterii, aut Sancti se per unum aut plures dies hoc vel illud peccatum voluntariè & deliberatè non commissurum. Ejusmodi tamen votum non est facilè suadendum, aut permittendum, nisi circa illa peccata, quæ pœnitens non quovis die, vel certè uno die, non nisi semel, aut bis committere solitus est. Nam in aliis peccatis, quæ ex inveterata consuetudine uno die multoties fiunt, est nimis magnum periculum violandi voti.

Memoria Novissimorum.

161. VII. Assuescat in omnibus operibus suis memorari Novissima sua, & in æternum non peccabit. *Ecclesi. 7. v. ult.* Quilibet autem cum modica difficultate assuescet meminisse, & quidem non merè speculativè (quod parùm juvat) sed practicè, si ab initio per aliquot paucos dies, deinde per plures, & tandem quovis die semel, vel sæpiùs mente vel ore attentè recolat unam aliquam de Novissimis sententiam, eamque practicam, vel saltem unacum inde deducta aliqua practica conclusione. Pro exemplò:

De Morte. Quâ hora non putatis, filius hominis veniet. *Luc. 12. v. 41.* per mortem, ergo quavis die & hora vigilare, & parat us esse debeo. Vel: Mors

peccatorum pessima, *Psal. 33. v. 22.* & miserissima est; ergo ut mea sit felicitas, cavere ab his, & his debeo peccatis. Vel: qualis vita, finis ita; sicut quale semen, talis messis; si ergo vitam non vivo piam & bonam, ô qualis erit meus finis? vide Thom. Kemp. *de imit. lib. 1. cap. 23.* Ad practicam Mortis memoriam valde apti sunt etiam hi versiculi Germanici;

Ich leb/wais aber nit wie lang;
Ich stirb/wais aber auch nit wann;
Ich fahr/wais wider nit wohin;
Wie kommts/das ich nit frömer bin.

Latine sic reddere possumus:

Quam diu vivam, nescio;
Nec mortis horam præscio;
Vado, sed quò? non video;
Mirum! quòd me non corrigo.

162. *De Judicio.* Cuncta, quæ sunt, adducet DEUS in Judicium, *Ecclesi. 12. v. ult.* ergo cum etiam hæc, & hæc mea dicta, facta, & concupita adduxerit, quid sum miser tunc dicturus, quem patronum rogaturus, cum vix justus sit securus? Vel: omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit sive bonum sive malum, *2. Cor. 5. v. 10.* ergo etiam me & omnia mea manifestari oportet; sed ô quid referam? cur jam hinc coram Confessariis oculo? vel: si justus vix salvabitur, impius & peccator ubi parebunt? *1. Petri. 4. v. 18.* Itaque Creatori meo commendare debeo animam meam in benefactis, *v. 19.* Vide Thom. Kemp. *de imit. lib. 1. cap. 24. v. 1. 5. & 7.*

163. *De Inferno.* Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habita-

habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis? *Isaie 33. v. 14.* Vel: Momentaneum, quod delectat; æternum, quod cruciat. Elige! An ergo per momentum delectari vis in mundo, & æternum cruciari in inferno? vel, si nunc tam parùm vales sustinere; quo modo æterna tormenta poteris sustinere, ac sustinere? Thom. Kemp. *de Imit. Christi, l. 1. cap. 24. n. 6.* vide etiam n. 3. & 4.

164. *De Gloria Cælesti.* Quærite primum Regnum DEI & Justitiam ejus, & hæc omnia (vitæ temporali necessaria) adjicientur vobis. *Matth. 6. v. 33.* hunc ergo ordinem si perverto, lucrum non facio, sed impedio. Vel: simile est Regnum cælorum thesauro abscondito, & pretiosæ margaritæ. *Matth. 13. v. 45. & 46.* sapiens ergo mercator vendit omnia, quæ habet, & emit. Quanta autem ego facio? vel: Hæc (paupertatem, contemptum, dolores, persecutiones &c.) oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam. *Luc. 24. v. 26.* An non ergo oportet & me aliquid pati, ut intrem in gloriam DEI? Non sunt condignæ passionibus hujus temporis ad futuram gloriam. *Rom. 8. v. 18.* vide Thom. Kemp. *de imit. lib. 3. cap. 47. & 57. n. 4.*

Præsentia DEI, & Angeli Custodis.

165. Simili modo etiam quilibet ex plebe poterit paulatim sine magna difficultate & periculo capitis addiscere exercitium Præsentia DEI, Angeli Custodis &c. si nimirum assuescat, unam aliquam sententiam secum subinde recollere, & de ejusdem veritate practicum fidei actum elicere, v. g. DEUS est immensus, *Baruch. 3. v. 25.* cælum, ac ter-

ram implet. *Jerem. 23. v. 24.* ergo etiam verè Dominus est in loco isto, *Gen. 28. v. 16.* & quidem non tantùm per Potentiam & Præsentiam seu Scientiam suam, sed etiam per Essentiam, seu Entitatem suam, sicut ego locum, in quo sto vel sedeo, per meam entitatem occupo. Cur ergo eum non revereor, & honoro? ei non obedio? omnem spem, & fiduciam meam in eo non pono? &c. Vel: in ipso (DEO) vivimus, & movemur, & sumus. *Act. 17. v. 28.* quomodo ergo possum hoc & hoc facere, & peccare in Dominum meum, in DEUM meum? Vel: DEUS omnia videt. *Ecli. 23. v. 27.* & in omni loco contemplantur oculi Domini bonos & malos, *Prov. 15. v. 3.* ergo videt me DEUS etiam hic istud & istud agentem. Scio ab Ascetis alios varios modos tradi, quibus Præsentia DEI imprimatur hominum memoriæ; sed iste per actum Fidei est omnium facillimus. Sic etiam ad præsentiam Angeli Custodis in mente habendam valde juvat, firmiter credere, quòd Angelus ex mandato DEI *custodiat te in omnibus visis tuis, ps. 90. v. 11.* simulque pro praxi cogitare, quod præsentem custodiam suam etiam bestia neminem lædant; Tu autem peccando lædas rabiosè ipsum Custodem tuum, Te ipsum, DEUM, & homines; vel: quàm stulta sit ovis, quæ cum sub tanta custodia posset esse tutissima, ultrò tamen se lupo allicienti offert dilacerandam, aut devorandam &c.

166. VI. Ad curandos animi morbos etiam valde utile judicavit S. Franciscus Xaverius, ut Confessarius exquirat ex pœnitentibus, quænam remedia & motiva adhibere vellent, si alium à simili

li vitio, quo ipsi laborant, curare deberent, dato, si necesse videatur, ad cogitandum spatio, & facta quadam directione. Ira enim medentes aliis ipsi medebuntur sibi, & sua sponte ad ea, quæ aliis suaderent, incitabuntur; vel certe facilius poterit ipsis persuaderi, ut id sibi consilii capiant, quod in tali re & tempore alteri essent daturi. *In vitalib. 6. cap. 12. circa finem.*

Pro Pusillanimitibus.

167. IX. Summo semper studio laborandum, ut pœnitens non abiciat ex pusillanimitate aliqua animum, aut spem emendationis consequendæ. Nam hoc ipso, sicut æger de sanitate desperans, vel omnino nullam amplius medicinam reciperet, vel vim ejus hæc recipientis indispositio multum impediret. Potest autem, & solet alicui suboriri pusillanimitas, vel quia ob malè actam præteritam vitam judicat se indignum misericordiâ & gratiâ divinâ; vel quia etiam post adhibitum magnum conatum videt tamen se identidem relabi. Utrique huic malo optimè consulit Reginald. *in praxi fori pœnit. lib. 2. n. 150. cum seq. & ad verbum repetit in tr. de off. pœnit. cap. 19. n. 5. & 6.* Ad primum quod attinet, etsi ob innumera, eaque gravissima peccata sit alicujus indignitas quàm maxima, infinites tamen major est DEI Misericordia. Pater est, qui filios prodigos in antiquam gratiam amantissimè recipit. *Luc. 15.* Medicus est, qui venit saluum facere, quod perierat. *Matth. 18.* Pastor bonus est, qui errantes oves quærit, & in humeris suis cum gaudio ad ovile reportat. *Luc. 15.* Redemptor est, qui Mi-

R. P. Stoz Trib. Pœnit. Lib. II.

sericordiam vult, & non sacrificium; nec venit vocare justos sed peccatores. *Matth. 9. v. 13.* ut redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum (faceretque) acceptabilem, sectatorem bonorum operum. *ad Tit. 2. v. 14.* Nunquid voluntatis meæ est mors impij, dicit Dominus, & non ut convertatur à viis suis, & vivat? *Ezech. 18. v. 23.* Convertimini ergo, & agite pœnitentiam, & non erit vobis in ruinam iniquitas. *v. 30.* Neque terrere quemquam potest, aut debet rigor Justitiæ divinæ; hæc ipsa enim stat pro omnibus, qui volunt se emendare, agiturque (quod sanè admirandum, & maximæ consolationis est) advocatam illorum apud DEUM, efficacissimè exigens, ut ad id, quod DEUS vult nos facere, det gratiam faciendi; cum sine gratia & ope divina nemo quidquam boni facere possit. Si ergo ipsa Justitia DEI peccatoribus in hac vita patrocinetur, quis illorum diffidat de Misericordia DEI? & non potius firmissimè speret, se eradicaturum ex animo, si non in momento, saltem cum tempore, omnia, quantacunque, & qualiacunque sua inveteratissima etiam vitia.

168. Simili ferè modo animari potest & erigi, quem frequens, veletiam quotidianus relapsus dejicit. Nam misericordissimus DEUS, sicut vult, ut nos fratribus dimittamus. *Matth. 18. v. 21.* ita etiam ipse paratus est nobis dimittere non tantum usque septies, sed usque septuagesies septies, hoc est, toties quoties; quia certus iste numerus est positus pro incerto. Præterea autem addi possunt seqq. I. Si tanto conatu tam fortiter, & tam frequenter proponens tam sæpe deficit; quid

N

futu-

futurum esset, si raro, aut minus fixè proponeret? 2. Qui iter facit, etsi frequenter cadat, nihilominus tamen proficit, & tandem ad optatum terminum pervenit, si semper iterum resurgat. Certè ex nobis mortalibus ferè omnes non aliter, quàm cadendo, & surgendo, imus ad cælum. 3. Relapsus hominis, contrarium aliquem conatum adhibentis, censetur esse minus gravis, & ex fragilitate potiùs, quàm ex deliberata malitia accidere. 4. permittit DEUS relapsum, ut in primis homo agnoscat se ex se nihil habere, nihil posse; & opem divinam a deo sibi necessariam ferventiùs imploret, majoremque diffidentiam sui ipsius acquirat & humilitatem. Deinde, ut DEUS, qui humilibus dat gratiam, exaltare eum possit ad tantò majorem sanctitatem in terris, & gloriam in cælis. 5. Frequens proinde relapsus esse potest, & debet occasio non tam abjiciendi, quàm suscipiendi spem de magno progressu, in via virtutis & perfectionis faciendi. Rectissimè denique 6. Reginald. *l.c.* ad pusillanimum pœnitentem consolandum: in hujusmodi certamine, inquit, non ille, qui cadit, vincitur (dummodo surgere studeat) sed qui, fugiendo arenam, pugnare desinit, aut adversario se sponte dedit.

Pro tentatis, maximè cum præsens urget tentatio.

169. X. Cùm quis ad peccatum aliquod allicitur, sive jam à tentatione, sive à propria concupiscentia, occasione, vel alio homine, sciat id non fieri, nisi tantùm per Diabolum, talibus utentem instrumentis. DEUS enim neminem tentat, *Jacob, i. v. 13.* sciat autem præterea,

hunc ipsum Diabolum fore deinde illius lictorem, accusatorem, & carnificem; qui nimirum illum postea ad tribunal DEI rapier, coram DEO de commisso peccato accusabit, petètque sibi reum tradi pœnis æternis pro digna præstite obedientiæ mercede torquendum. Quis verò jam a deo demens est, ut furtum, homicidium &c. faciat ad instinctum illius, à quo ipso scit certò, se deinde pendendum, coram Judice accusandum, & ad supplicium rapiendum?

170. XI. Quando præsens est periculum peccandi, & tentatio gravis jam actu urget, tunc enim vero vel maximè opus est validis remediis. Præscribunt DD. passim 1. ut tentatus in memoriam revocet, & singulari studio renovet Præsentiam DEI, Angeli Custodis &c. & 2. consideret, DEO, Angelis, totique Cælo se spectaculum esse in hac arena & pugna; 3. consideret, quantis clamoribus Christus è Cælo dehortetur à peccando. 4. consideret, sibi à Christo auxilium, & manum porrigi ad vincendum, 5. sibi ipse ob oculos proponat unum vel plura, vel omnia, & singula Passionis Christi mysteria. 6. consideret Christum ante se in cruce pendentem, & expansis brachiis, fauciato corde, lacrimantibus oculis, vulneribus toto corpore hiantibus orantem, ne hoc & hoc peccato cruciatum ipsius augere velit. 7. consideret infandam peccati turpitudinem, horrenda illius damna, mortem imminentem, Judicem fulminantem, apertum infernum, æterna supplicia, æterna præmia, & similia alia apud Reginald. *l.c. n. 183.* Quæ omnia sunt quidem omnino longè præstantissima; Sed quid juvant

vant ægrum pretiosa pharmaca, si ei jam in agone constituto non possint esse usui? sicut hîc sæpissimè fit; cum nimirum tentatio vel passio tristitiæ v. g. Timoris, Iræ, & maximè carnis est adeo vehemens, ut licèt usam rationis non tollat, valde tamen perturbet, reddâtque inhabilem ad instituendam seriem aliquam de rebus divinis considerationem. Qui involuti sunt naufragio, ruinæ teçti, incendio adium, hostium globo seu turmæ, non solent ita esse otiosi & collecti, ut morosæ alicui considerationi vacare possint; sed nec illi multo plus possunt, quos valde vehementes tentationes & passionis, quasi torrennes iniquitatis conturbant; quasi dolores inferni circumdant, & quasi laquei mortis præoccupant. *Pf. 17. v. 3. & 4.* Experientia docet non tantùm rudiores, sed etiam peritiores sæpe in tali versari statu, ut de iis cum veritate dici possit illud *Pf. 106. v. 27.* turbati sunt, & moti sunt (à consensu (ob tenuitatem tamen & infirmitatem non pleno) ad dissensum, mox iterum ab isto ad illum, quasi jam ad sinistram, jam ad dextram titubando) sicut ebrius, & omnis sapientia eorum devorata est.

Quid ergo hic consilii? unicum ferè, certè præcipuum est, ut sicut in subitis & magnis periculis corporis quilibet ipsa naturâ dictante solet statim omnium hominum opem, & fidem inclamare; ita & in magno præsentique animæ discrimine DEUM & superos in auxilium ferventer advocemus. Neque necesse hîc est, aut tempus patitur, instituere comprecationem XL. Horarum; sed sufficit, majore tamen cordis quàm oris cla-

more, semel iterumque unam vel alteram ex brevissimis hujusmodi Oratiunculis ingeminare: *Domine adjuva me! saluum fac servum tuum Domine! Domine libera me ex hac hora! Domine vim patior; responde pro me! Domine ad adjuvandum me festina! Domine porrige operi manuum tuarum dexteram tuam! JESU bone miserere mei, & salva me! Domine ne permittas me, separari à te! Dominus meus & DEUS meus! Egone peccabo in te? non faciam hoc in æternum.* Et ita cum olim fieret in mari motus magnus, & navicula operta esset fluctibus, Christus excitatus fuit è somno, ventisque imperavit, & tranquillitatem magnam reddidit, ad unicam hanc discipulorum exclamationem: *Domine! salva nos; perimus! Matth. 8. v. 25.* Sic etiam Israëlita, quoties tribulatio urgebat, clamaverunt ad Dominum, & toties de necessitatibus eorum eripuit eos. *Pf. 106.* Ipse quoque DEUS cuilibet speranti in ipsam promisit, & *Pf. 90. v. 15.* dixit: clamabit ad me, & ego exaudiam eum, vel auferendo tentationem, vel dando gratiam superandi illam. Multùm hîc etiam proderit, si quis sententiolam aliquam ex allatis *sup. à n. 247.* peccato, in cujus præsentis periculo est, contrariam & usu quodam sibi jam familiarem aliquoties repetat. Qui autem neque isthoc remedium ampliùs adhibere potest, ille jam ultra humanæ libertatis terminos violentiæ tentationis & passionis abreptus esse videtur; vel aliàs etiam extra periculum debitam suarum & divinarum rerum memoriam curamque non habere. Ad quam proinde esset ante alia extimulandus.

171. XII. In specie autem loquendo de præfenti periculo peccandi in tentatione & concupiscentia carnis, nobis domesticâ eoque magis infestâ, videntur efficaciora cæteris esse sequentia remedia.

I. Ut quis semel, bis, terve dicat linguâ, si solus; vel mente, si cum aliis sit, hanc multis jam experimentis felicissimè probatam Oratiunculam: *Per Sanctam Virginitatem tuam, & immaculatam Conceptionem, ô Purissima Virgo, emunda cor meum & carnem meam in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen.* Simulque admotâ ad pectus dextrâ efformet parvo pollicis ductu signum Crucis. Quod etiam coram aliis facilè potest ita fieri, ut nemo illorum advertat.

II. Ut mentem, animûmque ad aliam quamcumque rem obviam seriò applicet, seriò v. g. conando inire numerum regularum in aliquo tecto, litterarum in aliqua pagina, rotularum in fenestris, ramorum aut foliorum in arbore, florum in horto, vel prato, lapillorum in solo &c. Cùm enim intellectus non possit pluribus rebus ex æquo cogitandis intentus esse, hoc ipso, quòd uni rei seriò se impendat, deficit, vel etiam omnino desinit cogitatio de aliis. Noctu verò in tenebris seriò conetur in memoriam revocare, quæ ab una, vel altera septimana honestè egit, dixit &c. vel seriò cogitet de negotiis aliquibus, quæ ratione officii, statûs, vel conditionis labore majore & studio ab ipso curanda fuerunt, sunt, velerunt; modò nihil sit tale, quòd vel à longe rursus obscænum aliquid possit ingerere phantasiæ.

III. Ut sensus voluptatis tollatur per sensum doloris; quòd fieri potest variis corporis castigationibus, Sed non

omnes possunt omnibus, aut ubique esse usui, Modus optimus est, quo quisvis ubivis, etiam coram aliis, facilè possit lascivientem carnem, ejûsque pruritus compescere, si aciculâ v. g. aliave simili parva cuspidè paulò acriùs infixâ, sine periculo tamen gravis læsionis, digitum, manum, brachium, aut pectus compungat. Multùm etiam ad motus carnis sedandos juvat, mutare situm corporis; ut, si jacentem aut sedentem invadant, surgat; si stantem, obambulet, maximè gradu citatiore, vel suscipiat aliquem laborem &c. Desinunt etiam equi lascivire, si post unam alteramve circumgitationem subjectis calcaribus incitentur in cursum.

IV. Etsi cum tentationibus carnis tam parùm, quàm cum lutofo homine, luctandum sit; sed omnino quilibet, qui munditiem amat, fugere debeat; expedit tamen etiam plurimùm, ut fuga non sit mera fuga; neque recessus à malo fiat sine progressu in bono Castitatis. Quoties ergo aliquis à Diabolo infestatur tentatione carnis, ut vexet vexantem, illâ neglectâ studeat hos vel similes actus virtutum amore Castitatis exercere, dicendo in animo & ex animo

1. Doleo Domine de omnibus peccatis contra castitatem unquam commissis.
2. Offero tibi, ô JESU! in satisfactionem dolores flagellationis & spineæ coronationis tuæ.
3. Rogo te Domine, ne permittas, me sub capite spinoso esse membrum delictis deditum.
4. Utinam omnes de suis contra Castitatem peccatis etiam mecum seriò dolerent.
5. Domine custodi omnes innocentes in puritate cordis & corporis &c. Ita non tantùm defensivè, sed offensive belligeramus cum hoste

hoste nostro; qui proinde vel omnino cessat nos impugnare; vel multò rariùs & remissiùs id facit, si videt, aliud se nihil efficere, quàm ut tentando præbeat nobis semper occasionem, tot actus virtutum exercendi. Idque experti sunt non pauci. V. Cùm Dæmones sint tam superbi spiritus, vehementer horrent & fugiunt, si ipsi nos humiliemus, & illos despiciamus. Sic S. Franciscus Borgias Diabolum, qui ei, agris servienti in Xenodochio, dicebat: *Tantus cum sis, inter scurras versari qui potes?* statim instar fumi fecit evanescere hoc responso; *miror ego, quòd tu, cum tam superbus sis, me miserum dignaris alloqui.* Alius diabolum in porci specie sibi infestum fugavit, dicendo: *Ergòne ex Angelo porcus factus es miser?* Sequere igitur consilium optimum Thomæ Kemp. l. 3. cap. 6. n. 4. & cùm Diabolus mala inferit & immunda, impu: illi & dicito: *Vade immunde Spiritus! erubescere miser! valde immundus es, qui talia infers auribus meis. Dignus ego non sum, ut propter me ad tam sordida te dimittas &c.*

Pro Confessariis.

172. Denique, ut quæ ad spirituales hominum morbos curandos pertinent, quasi in unam summam recolligam, observentur seqq. documenta, ex parte jam olim à S. Francisco Xaverio, utriusque orbis Thaumaturgo, tradita, lib. 6. vita cap. 12. & 17. I. Confessarius animorum sanandorum cupidine accensus, comiter benignèque excipiat confitentes, nullam se veritatem, sed omnem facilitatem ostendendo, sicut in initio, ita & in decursu, ut spiritualis Medici benignitas pellat eos ad omnia conscientiae suæ vulnera

sincerè aperienda. II. Cùm non omnino nulli sint, qui pudore impediti quandoque commissa scelera majore scelere supprimant, salubri confessionis remedio in perniciem verso; idcirco adversus exitialem hanc verecundiam omni ope & arte certari debet. Expediùs autem via id fieri non potest, quàm cum magna charitate ostendendo, se paratum ad illum quàm optimè juvandum, extenuando peccata (jam fortè dicta) ob fragilitatem naturæ, ob vehementiam passionis, tentationis, occasionis &c. extollendo infinitam DEI Clementiam & Misericordiam; dicendo, se nòsse longè graviora peccata, quàm ipse possit afferre; proponendo exempla eorum, qui ex gravissimis peccatoribus facti sunt magni servi & amici DEI, ut S. Augustinus ex hæretico & fornicario, S. Cyprianus ex Mago, & venefico, S. Theophilus ex mancipatu Diaboli, S. Moyses ex latrone &c. S. Maria Magdalena, S. Maria Ægyptiaca, S. Thais, S. Pelagia &c. ex mancipatu Veneris &c. inter quos etiam ipse, si ritè confiteatur, esse possit; dicendo, se quoque peccatorem esse, & majora commissurum fuisse, vel adhuc esse, quàm ipse habeat, nisi DEUS singulariter custodire voluisset, aut adhuc velit. cit. cap. 17. III. Post morbum per sinceram & integram peccatorum confessionem cognitum exploranda est etiam pœnitentis voluntas & facultas. In voluntate enim, si non sit, debet primò accendi fervor suscipiendi seriam curam suæ salutis. Viribus quoque sic sunt attemperanda remedia, ut iis nullus obruatur, vel deterreatur. Quod si Confessarius putet, suâ operâ aliquem constantiùs usurum, neque tamen satis esse

esse robustum ad ea, quæ morbi gravitas requirit, perferenda; tunc initio tentet levioribus circa minora. Et hæc si feliciter succedunt, paulatim progrediatur ad majora. IV. si parata jam sit voluntas pœnitentis, ejusque vires sufficientes, tunc quæcunque videntur esse necessaria, sunt animosè præscribenda. Ex pluribus tamen morbis, quibus fortè aliquis laborat, quia non potest omnibus simul & semel suum remedium utiliter adhiberi, curandus est ille præcipuè & primò, qui cæteris gravior, periculosior, & plurimum esse causa videtur. Illius quoque radix, ad quam securis ponatur, investiganda; & esse potest vel externa, ut occasio, societas, tentatio &c. vel interna, ut naturalis complexio, passio animi seu concupiscentia, habitus malus seu consuetudo ex frequentatis actibus contracta &c. cumque hæc omnia ad unum vel plura ex peccatis capitalibus inclinent, eadem contra illa, quæ contra ista juvare possunt remedia *sup.* allata; occasio tamen, & societas etiam fugienda est, si possit. V. Qui non tantùm ad bene, sed etiam ad perfectè vivendum adducere vult aliquem ex suis pœnitentibus, debet, cum aptius medium non sit, omni modo eniti, ut illi iste omnes suas tentationes animique motus sincerè & confidenter aperiat. Hoc autem non assequetur Confessarius, nisi erga suum pœnitentem fuerit benignior quàm severior; quia severitas fiduciam tollit, facitque, ut discipulus multa reticeat, levius ratus, insidias Diaboli, quàm acerbiter Magistri subire. VI. Quia morbi spirituales, sicut & corporales non semper primo die, aut sumptà semel medicinà curari possunt, sed tem-

pore indigent; ideo Confessarii non minus, quàm Medici, magnà longaque patientià opus habent, maxime si morbus, jam ferè domitus, ut sæpius fieri solet, per infirmi culpam recrudescat. Optimè Petrus Chrysol. *serm.* 50. Medicus, inquit, qui non fuerit cum infirmo infirmatus, infirmo non potest conferre sanitatem.

173. Praxis eorum, quæ in isto & præced. Art. explicata sunt, potest juxta Reginald. *lib.* 2. n. 197. esse hæc. I. Iis, qui sæpius & rectè confitentur, ac noti sunt, satis est, post auditam eorum confessionem, injungere pœnitentiam; nisi fortè aliquid vel pro remedio ad defectus quosdam vitandos, vel pro consolatione, exhortatione, aut instructione videatur esse addendum. II. Qui sæpius confitentur, sed minus rectè, ob aliquem defectum examinis, doloris, propositi, non satis expressi numeri aut speciei in peccato mortali &c. juvandi sunt ea in parte, in qua deficiunt, prout spectatis personarum & temporis circumstantiis videbitur. III. Qui rariùs confitentur, sed rectè & diligenter se discussisse videntur, non sunt interrogationibus onerandi, nisi de eo ex necessariis, quod, cum constet esse commissum, hic & nunc tamen esse omissum, vel non sufficienter expressum; vel de eo, quod scitu necessarium est ad media emendationis aptius præscribenda. IV. si aliqui in sua confessione ostendunt debitam diligentiam prævi examinis, sufficientem dolorem de præteritis, & firmum propositum in futurum, Confessarius non habet, quàm ut eos in suo sensu cum spe veniæ confirmet, consoletur, & ad emendationem aliquid subsidii conferat,

rat, vel ad profectum spirituale, cum peculiariter egere censebuntur.

ARTICULUS IV.

De obligatione Confessarii errores suos in Confessionibus audiendis commissos corrigendi.

174. Ad rectè atque utiliter Confessarii munus obeundum, maximo adjumento esse potest datum à S. Francisco Xaverio, & lib. 6. vitæ cap. 17. in fine descriptum monitum, ut Confessarii nimirum post auditas à se confessiones sumpto spatio in easdem inquirant, & intentius videant, an & quid in delictis aliorum expiandis ipsi deliquerint, ut quæ in alienis peccarunt, confessionibus postea expient in suis; eaque delicta non tantum in posterum vitare; sed etiam, quod addendum est, commissos errores, si adhuc possint & debeant in iisdem corrigi, magnâ studeant corrigere diligentia.

Possunt autem errores intervenire varii, qui omnes ad tres classes communiter à DD. reduci solent. Nam 1. aliqui sunt, per quos Sacramentum redâitur irritum; cum Confessarius vel omnino non absolvit, vel invalidè. 2. Aliqui sunt, per quos damnum infertur tertio, vel pœnitenti; quando Confessarius hunc ad restitutionem non obligat, cum deberet; vel obligat, cum non deberet. 3. Aliqui sunt, per quos integritas tantum confessionis læditur; cum Confessarius de numero tantum, aut specie peccatorum non inquirat, vel pœnitentiam seu satisfactionem non præscribit, aut debet. Hujusmodi porro errorum committere potest Confessarius, vel cum peccato mortali & ex malitia, vel sine peccato mortali

ex sola oblivione, ignorantia moraliter inculpabili. De quibus jam ordine

§. I.

De errore invalidante.

175. Itaque I. Si Confessarius à censura tantum non absolvit pœnitentem, tunc quando errorem advertit, & si quidem fuit reservata, etiam facultatem obrinuit, debet postea absolvere, ne diutius privatus sit suffragiis Ecclesiæ. Potest autem etiam absentem, & jam iterum lapsum in peccatum aliquod mortale absolvere absque ulla alia monitione; quia à Censuris potest aliquis etiam absens, in mortali constitutus, ignorans, imò & invitatus absolvi. Bonac. tom. 1. Diss. 5. q. 7. p. 6. n. 1. Coninch. de Sacram. Diss. 8. n. 141. & alii communiter.

Aliud est de absolutione à peccatis. De eo ergo, qui aliquem vel omnino non absolvit à peccatis, vel tantum invalidè, statuunt DD. communiter sequentia. I. Confessarius si non multò post advertat, cum pœnitens adhuc est, vel non multò post iterum fit moraliter præsens v.g. in accessu ad Sacram Communionem, vel alibi, debet illum tunc absolvere; quia debet sacramentale Judicium, quod captum est, perficere; & pœnitenti jus suum per confessionem acquisitum ad absolutionem & gratiam sanctificantem tribuere.

II. Idem est, si Confessarius errorem advertat, vel pœnitentem habeat sibi iterum moraliter præsentem post aliquot horas aut dies; modò non post tot, ut confessio & absolutio non censeantur amplius facere unum totum morale. Neque necesse est pœnitentem præmonere de errore;

rore; quia sicut in primo, ita & in posteriore casu censetur voluntatem percipiendi absolutionem tam diu retinere. Potest ergo absolvi etiam inadvertenter, si nimirum tacite tantum, ore tenus tamen & non sola mente, proferantur sine omni externo ritu, hæc verba: *Absolvo te à peccatis tuis.*

III. Quod si rationabiliter timeri potest, interea illum commississe novum peccatum mortale; tunc vel præmonendus est de errore, quia antequam etiam istud legitime confiteatur, non potest à prioribus absolvi; cum unum mortale sine altero remitti non possit: vel si iterum ad confessionem apud eundem faciendam accedat, interrogandus est, an non etiam de omnibus aliis peccatis jam antea semel confessis doleat, & se accuset: sicut multi solent pie & fructuose facere. Si enim tunc annuat, hoc ipso jam priorum quoque peccatorum confessionem renovat, & repetit, potestque tam ab illis, quam ab aliis interea commissis, & recens confessis legitime absolvi.

Alteruter iste modus etiam adhibendus est, si Confessarius aliquem absolvit, antequam habuit sufficientem Jurisdictionem vel in pœnitentem, vel ob aliquam reservationem in ejus peccata. Ratio, quia cum tunc confessio fuerit facta Judici non suo, hoc ipso non erat judicialis & strictè sacramentalis, ergo debet de novo fieri alterutro modo: sed posterior est commodissimus.

176. Quod si verò IV. pœnitens ad eundem Confessarium non redeat, nec reduci queat; monitio autem etiam fieri non possit sine gravi scandalo & offensione pœnitentis, vel sine gravi confusione

aut damno Confessarii in honore, famâ (uti communiter fieri nequit, si tempus paulò longius intercessit) tunc Confessarius non amplius tenetur pœnitentem monere, neque etiam potest monitione omiſsa eum absolvere, si ob longioris temporis intervallum absolutio cum præterita confessione non potest facere moraliter unum totum, vel si prudenter timeri possit, eum interea iterum graviter peccasse, ut paulò antè dictum. In hoc ergo casu, nisi pœnitens sit moribundus, Confessarius rem totam relinquat & comendet DEO; de suo autem peccato, si quod hic fortè commisit, doleat & proximè confiteatur. Fraudavit quidem Confessarius pœnitentem gratiâ Sacramenti; dedit quoque causam, ut pœnitens de illis peccatis deinceps non amplius se accuset, adeoque contra legem DEI, quamvis ex errore inculpabili, non integrè confiteatur. Sed damnum gratiæ, quia Confessarius commodè non potest, ut ponitur; ideo etiam non tenetur resarcire, præterquam quòd neque pœnitens videatur admodum hoc exigere, cum ipse facile possit id aliunde supplere. Ab obligatione servandi integritatem materiale confessionis sicut pœnitentem; ita & Confessarium ab obligatione eandem procurandi excusare potest scandalum, offensa, damnum &c. Quæ omnia confirmantur ex eo, quòd etiam in rebus temporalibus nemo teneatur damnum, culpabiliter quoque illatum, compensare, si non possit sine sui delicti manifestatione & infamatione; vel si læsus non admodum exigat. Dixi autem hic signatè: *nisi pœnitens sit moribundus.*

177. Nam V. Qui moribundus, auctiâ

dità ejus confessione, non absolvit, vel non validè (sive jam culpabiliter, sive inculpabiliter) debet illum adhuc absolvere: & si à priore confessione tantum temporis effluxit, ut absolutio non amplius possit cum illa facere unum aliquod totum morale; vel si dubium est, an non æger interea iterum peccaverit graviter, tunc Confessarius etiã cum aliquo gravi suo incommodo, v. g. confusionis, dedecoris &c. tenetur illum præmonere; quia ita exigit extrema necessitas, & periculum salutis aternæ, in quo tunc æger versatur, & cui Confessarius debet damnum suæ v. g. famæ postponere, maximè si culpabiliter egit. Nisi tamen æger fuisset antea confessus tantum mei a venialia; vel aliquod quidem mortale (sive jam certum, sive tantum dubium) sed jam suscepisset postea adhuc aliud Sacramentum v. g. Eucharistiæ, vel Extremæ Unctionis. Nam in his circumstantiis consultum quidem est, adhuc præmonere pœnitentem & absolvere; nulla tamen obligatio saltem sub mortali; quia in iis jam desinit necessitas, cum per aliud ejusmodi Sacramentum ex attrito, qualis etiã ad absolutionem validam esse debebat, factus sit contritus. Vide de his à n. 175. dictis Bonac. & Coninc. l. cc. Palao tr. 23. Disp. un. p. 18. §. 2. n. 3. & 4. Lugo de pœnit. Disp. 22. à n. 51. Tamb. de Confess. lib. 3. cap. 8. §. 4. n. 3. Dicast. de pœnit. Disp. 10. à n. 501. multa hinc triscentem.

§. II.

De errore damnificante.

178. II. Confessarius, qui dixit pœnitentem, P. Socz Trib. Pœnit. Lib. II.

nitenti, illum non esse obligatum v. g. ad restitutionem, cum esset; vel esse obligatum, cum non esset; si id fecit cum peccato mortali, tenetur ex Justitia rebus adhuc integris monere pœnitentem, suumque dictum revocare; vel certè ipse debet ex Justitia compensare damnum inde tertio, vel pœnitenti illatum. Ratio est, quia suo dicto fuit moralis & positiva causa damni; sicut alius, qui jubet aut consulit alicui, ut faciat, quod ipsi vel alteri est damnosum. Quod si tale quid dixit bona fide & absque mortali, tunc si commodè adhuc potest, tenetur etiã ex Justitia revocare suum dictum; quia quilibet, si advertit ex sua aliqua actione orturum, alteri aliquod damnum, & commodè potest impedire, obligatus est ex Justitia, ut impediat; & si non impediat, hoc ipso damnificatio, etsi antè non fuerit prævisa nec intenta, incipit tamen ex tunc esse voluntaria, imputaturque illi in peccatum Injustitiæ, Lugo cit. Disp. 22. à n. 60. atque ita in praxi esse sequendum & omnino consulendum, faceret etiã Dicast. cit. Disp. 10. n. 519. quamvis ipse ibid. putet, probabiliter hic peccati tantum contra charitatem, & non contra Justitiam; sed sufficienter id non probat.

At verò si Confessarius se habeat tantum negativè, non dirigendo pœnitentem, qui putat, se non esse obligatum, cum sit, vel te esse obligatum, cum non sit; tunc videndum est, an pœnitens ab illa Confessarii omissione & silentio moveatur, ad aliquid in suum vel alterius damnum agendum, vel non moveatur. Si non moveatur, Confessarius ad nihil aliud tenetur, quàm ut de peccato, si quod

quod hîc fortè commisit, doleat & confiteatur. Sin autem pœnitens inde moveatur, tunc Confessarius tenetur de errore suæ omissionis monere pœnitentem, sed tantùm, si commodè potest; veletiam cum aliquo suo incommodo, si omisso illa fuit ipsi mortaliter culpabilis.

179. Et verò quod Confessarius negativè se habens teneatur ex charitate monere pœnitentem, patet, quia hæc obligat non tantùm, ut nemo per suam actionem; sed etiam ut nemo per suam omissionem det alteri scandalum, seu occasionem faciendi id, quod cedit in facientis vel alterius damnum, & est; quamvis materialiter tantùm, illicitum; ut si ex mea omissione audiendi missam alii putent, non esse diem festum, & etiam non audiant.

An autem Confessarius etiam ex Justitia teneatur hîc monere pœnitentem; & nisi moneat, obligetur ad compensationem damni illati, revocat Dicastillo *cit. Diss. 10. n. 519.* in dubium, quia omisso Confessarii, si moveat pœnitentem ad aliquid in suum vel alterius damnum faciendum, moraliter æquivaleret, & idem est, ac si Confessarius dicat: *non teneris*; vel; *teneris*; atqui Confessarius si contra rei veritatem (sive scienter, sive ex errore culpabili vel inculpabili) dicat pœnitenti: *non teneris*; vel *teneris restituere*, tenetur ex Justitia vel monere pœnitentem, vel ipse compensare damnum, quia est moralis & positiva illius causa: ergo. Sed facilè negatur major. Nam etsi Cajus non solvens debita suis creditoribus moveat per suam hanc omissionem Titium, ut etiam iste sua non solvat suis; nullo modo tamen omisso

Caji æquivaleret moraliter & idem est, ac si diceret Titio: *non teneris solvere, non solvas* &c. neque ex Justitia tenetur monere Titium, ut solvat; aut ex Justitia compensare damnum per omissionem à Titio solutionem ejus creditoribus illatum. Et verò quandonam silentium & omisso Confessarii possit hîc haberi pro consensu, & approbatione, fatetur ipse Dicast. non posse facilè discerni. Unde injecta illius dubitatio ex hoc quoque capite parum, vel nihil facit ad usum & praxin; sicut nec exemplum, quod unicuique sibi occurrissè scribit, nimirum si pœnitens dicat Confessario: *Ego talem contractum inivi*; sed quia *R. V. bene scit esse licitum*; de eo non sum sollicitus. Quamvis enim demus, quòd, si Confessarius sine justa causa hîc taceat, ipsius taciturnitas sit moraliter idem ac positivus consensus & approbatio; quia tamen pœnitens non scit, an Confessarius habeat, vel non habeat justam tacendi causam; an non taceat tantùm ex oblivione, metu, vercundiâ &c. ideo etiam non potest per illud Confessarii silentium ita moveri, sicut per positivum ejus consensum & approbationem; ergo nec oritur utrobique par obligatio.

Debet quidem Confessarius pœnitentem docere, & monere ex suo officio; sed respiciente & ordinato tantùm ad bonum pœnitentis, non item ad bonum aliorum; sicut officium Judicis forensis aut Gubernatoris, quod ita respicit & ordinatum est ad bonum unius, ut tamen etiam respicere debeat bonum aliorum & communitatis, ergo licèt Judex, & Gubernator, si quid ex officio debitum omittant, & propterea aliquis damnificet alium,

aium, agant contra Iustitiam, & ex Iustitia obligentur ad compensationem; Confessarius tamen non agit contra Iustitiam, nec tenetur ipse quidquam restituere illis, qui ex eo solo damnū accipiunt, quod ipse pœnitentem non monuit, sicut ex officio suo debuit, de restitutione illis facienda. Lugo *l.c. à n. 67.*

Simile fere discrimen ostendit Lugo *l.c. n. 70.* inter Prælatum, Patremfamilias aut Dominum, & inter Confessarium. Nam illi respectu suorum subditorum, domesticorum, aut famulorum sunt caput aliquod politicum, cuius officium est, ita suos regere, ut aliis non sint damno; Confessarius autem respectu pœnitentis non est caput politicum, sed tantum Magister, Medicus, & Judex spiritualis, cuius officium respicit unice tantum pœnitentis bonum; & quidem non temporale, sed tantum spirituale animæ. Unde etiam si pœnitens, cum nihil debeat, aliquid alteri restituat ideo solum, quia Confessarius illum, sicut potuit & ex officio debuit, non monuit; tunc Confessarius ne illi quidem tenetur quidquam ex Iustitia compensare; sed debet pœnitens sibi ipse imputare, quod silentium & omissionem Confessarii fuerit male in suum damnum temporale interpretatus.

§. III.

De errore mutilante.

180. III. Si denique Confessarius errat solum circa integritatem confessionis, tunc vel errat *positivè*, dicendo pœnitenti, eum non teneri speciem aut numerum horum vel illorum peccatorum mortalium hinc & nunc confiteri, cum tamen

teneatur, vel errat tantum negativè omit-tendo, & de mortalibus, generatim tantum confessis, non interrogando speciem, aut numerum. Si Confessarius priori modo culpabiliter, vel inculpabiliter erravit, & postea, cum errorem advertit, potest sine gravi suo incommodo monere pœnitentem, tunc tenetur eum monere; quia alioquin esset moralis & positiva causa, ut pœnitens contra legem Christi, quamvis inculpabiliter, non confiteretur integrè. Lugo *cit. Diss. 22. n. 74.* quem sequitur Dicast. *l.c. n. 526.* Sed quia meritò censetur grave incommodum, ut aliquis seipsum coram alio confundat, eique cum suo rubore proprium suum errorem vel delictum manifestet, meritò etiam Suarez, Filliuc. Dian. & alii apud cit. dicunt, *regulariter* Confessarium non teneri monere pœnitentem.

Et quidem eum, qui inculpabiliter ita erravit, fatetur etiam Lugo *l.c.* raro teneri. At verò illum, qui cum peccato mortali ita erravit, putat Lugo obligari non solo præcepto charitatis de vitando scandalo, sicut priorem; sed etiam ipso præcepto de integritate confessionis; ideo ait, eum ab obligatione pœnitentem monendi non excusari, nisi ob tam grave damnum v. g. infamiam, quantum si pœnitens metueret, non teneretur integrè confiteri. Sed hoc in materia Iustitiæ facile concedo, quia culpabiliter inducens aliquem ad alterius Jus lædendum, contrahit obligationem ex Iustitia non tantum monendi de errore inductum; sed etiam id ipsum, quod inductus debet, in ejus defectu præstandi. Ille autem, qui culpabiliter aliquem induxit v. g. ad contrahendum Matrimonium cum

voto simplici castitatis, ad ludendum contra Juramentum &c. dicendo id esse licitum, agit quidem contra præceptum Religionis, & vi illius tenetur monere inductum; sed inde nullo modo obligatur ad id ipsum, quod inductus debet, in ejus defectu præstandum: ergo multò facilius, & ex leviori causa potest quis excusari ab obligatione monendi inductum ad agendum contra votum, juramentum &c. quàm sufficiat ad inductum excusandum ab obligatione ipsius voti, juramenti &c. Et si ergo Confessarius plus obligetur, qui hic culpabiliter, quàm qui inculpabiliter erravit, regulariter tamen uterque ratione confusionis, & pudoris subeundi in manifestatione sui erroris coram pœnitente est sufficienter excusatus.

Dico *regulariter*: quia si Confessarius de occasione proxima peccandi dixit (sive culpabiliter sive inculpabiliter) pœnitentem posse licitè in ea manere, cum non possit, tenetur postea de suo errore illum monere, & scandalum tollere; sicut lex charitatis & regula Prudentiæ dicitur. Disparitas est; quia in hoc casu Confessarius exponit pœnitentem periculo peccandi formaliter; in aliis autem, peccandi tantum materialiter.

181. Quando Confessarius erravit merè negativè, omitendo interrogare de numero aut specie mortaliū, ostendere obligationem vitandi occasionem proximam &c. tunc postea, cum advertit, ad nihil aliud tenetur, quàm ut de peccato, quod fortè hic commisit, doleat, & confiteatur. Ratio, quia imprimis Confessarius sic non concurrat ut causa ad defectum integritatis, vel ad pecca-

tum ex occasione proxima postea commissum; deinde ut Judex debet quidem ex officio interrogare pœnitentem, eique ostendere suas obligationes, sed tantum in actu ipsius Judicii Sacramentalis, ergo eo finito, cum jam functus sit suo officio sive benè, sive malè, nihil amplius potest, aut debet circa illud agere; sicut nec alius Judex.

An autem Confessarius in aliqua sequenti Confessione, cum iterum sit Judex, possit, & debeat de ommissis in prioribus interrogare vel monere, ut affirmat Lugo & Dicast, patebit ex dicendis de sigillo Confessionis, de quo paulò post vide *infra* n. 195.

§. IV.

De modo in prædictis erroribus corrigendis servando.

182. Quæres autem hîc denique, si Confessarius juxta prædicta tenetur, aut vult monere de commisso suo errore pœnitentem, quomodo id possit facere? Resp. si extra Confessionem vult monere de errore circa aliquam obligationem à peccatis confessis dependentem, v.g. restituendi, vel circa speciem aut numerum alicujus peccati; tunc debet à pœnitente prius petere facultatem, cum illo de confessione facta loquendi. Et si pœnitens facultatem concedit, potest Confessarius ei dicere, quidquid necessarium videbitur: si neget, debet Confessarius tacere, quia alioqui frangeret sigillum; Securus tamen est, quia petendo fecit, quod debuit & potuit. *Coninc. de Sacram. Disp. 8. n. 144. Tamb. de Confess. l. 3. cap. 8. n. 9. uti & si pœnitens*

nitens monitus de errore non obtemperet, & v. g. non restituat, quod debet. Neque enim tunc Confessarius, etsi positivè & mortaliter erraverit, tenetur ejus loco quidquam restituere; quia cum jam errorem detegat, & per suam Auctoritatem obliget pœnitentem ad contrarium, sufficienter revocat & tollit omnia dicta & motiva, antè per errorem allata; quod quia Consiliarius malus non semper potest facere, ideo licèt revocet suum consilium, sæpe tamen adhuc tenetur ad compensandum damnum inde ortum. Lugo *l. c. n. 64.* contra Tamb. *l. c. n. 4.*

Quando Confessarius pœnitentem monere vult tantùm de errore circa absolutionem, vel invalidè vel omnino non datam, putat Gobat *tr. 7. n. 294.* debere eum etiam tunc à pœnitente petere facultatem, loquendi cum illo de confessione facta. Sed non video rationem, eum utique non agat contra sigillum, qui pœnitenti vel alteri dicit, se per suam oblivionem, vel alium similem errorem ipsi nuper invalidè, vel omnino non dedisse absolutionem; quia tantùm suum & nullum pœnitentis defectum manifestat. Tan. *tom. 4. Disp. 6. q. 9. n. 131.* Aliud foret, si absolutè diceret alicui alteri, se hunc vel illum pœnitentem non absolvisse. Id enim quia ingenerat opinionem de pœnitentis indispositione, & quidem ordinariè graviter culpabili, non potest sine sigilli fractione dici, nisi cum licentia pœnitentis. Tamb. *de Conf. l. 5. cap. 3. n. 15.* Palao *de pœnit. Disp. un. p. 19. §. 3. n. 3.* vide *infra n. 234.*

ARTICULUS V.

De Obligatione Confessarii ad Sigillum.

Cùm Sigillum Confessionis Sacramentalis sit summè sanctum; neque tamen ab omnibus semper sanctissimè custodiatur, sive ob effrænem oris intemperantiam, sive ob ignorantiam, vel inadvertentiam, si non semper culpabilem, semper tamen summopere damnabilem, visum est necessarium, de eo pluribus agere; ut Confessarii ubique tantò cautius, & Pœnitentes tantò sincerius in Confessione sibi agendum esse intelligant. Ad vitandum autem prolixitatis tedium dividam hunc Articulum in aliquot Sectiones, quarum 1. est de Sigillo secundùm se. 2. de Obligatione Sigilli. 3. de Licentia revelandi Sigillum, 4. de Delectu Sententiarum circa Sigillum, unacum Resolutionibus variorum Casuum. 5. de Usu notitiæ ex confessione habitæ. 6. de obligatis ad Sigillum. 7. de interrogatis in materia Sigilli, & Respondendi modis. 8. de Pœna violentium Sigillum, & Processu contra illos. 9. denique de nova aliqua & singulari difficultate in processu contra Sigillifragum. Has ipsas Sectiones in suos subdividam Paragraphos.

SECTIO I.

Dicendum hïc est. 1. Quid sit Sigillum, & Quoruplex? 2. Quo Jure introductum sit Sigillum Confessionis. 3. Cui Confessioni sit annexum?

§. I.

Quid sit Sigillum, & Quoruplex?

183. Sigillum propriè est id, quo præter alia etiam litteras claudimus, ut contenta in iis non ab aliis, quàm à quibus volumus, cognosci possint. Metaphoricè est obligatio servandi secretè id, quod ab alio cognovimus. In hac metaphoricè acceptione dici quidem potest aliud esse merè naturale, aliud etiam Sacramentale. Fagund. *Præc. 2. lib. 6. cap. 1. n. 5.* sed hoc posterius, quia est multò strictius quàm illud, ideo præcipuè & absolute *Sigillum*; illud verò tantùm dici solet *Secretum*, vel cum addito *Secretum naturale*, & est obligatio servandi secretè ea, quæ aliunde, quàm ex Confessione Sacramentali cognovimus. *Sigillum Sacramentale* autem seu Confessionis est juxta Fagund. *l. c. n. 2.* inviolata & indispensabilis obligatio, præcepta à Christo, occultandi ea, quæ in Confessione Sacramentali dicuntur. Juxta Laym. *l. 5. tr. 6. cap. 14. n. 1.* est obligatio servandi secreta & tacita ea, quæ accepta sunt ex Confessione, tendente ad Sacramentum Pœnitentiæ, saltem secundùm propositum pœnitentis. Breviter & rectè dici potest, obligatio occultandi ea, quæ in Confessione Sacramentali sunt cognita; ita fere Toletus *l. 3. cap. 16. n. 1.*

Nonnulli volunt, præter *Sigillum Confessionis*, & *Secretum naturale* dari aliud tertium *Secretum*, quod Tamb. *de Confess. lib. 5. cap. 4. n. 3.* vocat *Medium*; Tan. *tom. 4. Disp. 6. q. 9. n. 133.* & alii *arctissimum & inviolabile*; ajuntque *Sigillum* esse illud, quo Confessarius tan-

tùm; *Secretum medium*, quo alii obligantur ad occultandum peccatum pœnitentis, ex ejus Confessione, quocunque tandem modo, cognitum; certas quoque pœnas esse in jure statutas tantùm pro sigilli, & non pro secreti violatoribus. Verùm quia obligationi per accidens & extrinsecum est, ejus violatori esse vel non esse in jure præscriptam certam pœnam; de cetero autem obligationi *Secreti medi*, ut ejus autores fatentur, se habet quoad omnia eodem modo, quo ab aliis dicitur se habere obligationi *Sigilli*; ideo nec una ab altera, nec *Secretum medium* à *Sigillo* rectè distinguitur. Unde DD. aliqui (quod bene notandum) cum subinde dicunt, aliquem *Secreto* tantùm medio obligari, & non *Sigillo*, faciunt metam quæstionem nominis, sicut etiam observat Lug. *de pœnit. Disp. 23. n. 21. & 24.* vel certè Quæstionem de obligatione *Sigilli* malè confundunt cum Quæstione de pœna violantium *Sigillum*. vide etiam Laym. *lib. 5. tr. 6. cap. 14. n. 17. v. secundo.*

Ad vitandam ergo litem nominalem, & tollendam confusionem, nos *Secretum medium* & *Sigillum Confessionis* habemus pro eodem, & quæ de illis ab aliis tradi solent, reducimus ad hæc tria capita.
1. Quo jure sit introducta obligatio *Sigilli*?
2. Cui Confessioni sit annexa?
3. Quàm ea sit stricta?

§. II.

Quo jure introductum sit Sigillum Confessionis?

184. *Sigillum*, ejusque obligatio introdu-

producta est triplici Jure. I. *Naturali*, tam in materia Justitiæ, quàm in materia Religionis. In materia Justitiæ Jus naturale præcipit, ut nemo alterius famam & honorem lædat, manifestando occultum aliquod ejus delictum; item ut nemo contra datam fidem violet justum suum pactum, etiam implicitum; quale censetur quilibet quoque cum altero facere hoc ipso, quod suum arcanum aperiat alicui, tanquam ei, cujus sit consulere, juvare, solari &c. Laym. l. 3. tr. 3. p. 2. cap. 5. n. 1. & tr. 6. cap. 4. n. 9. sicut & pœnitens aperit Confessario. In materia Religionis Jus naturale dicitur, ut sicut alias res sacras, ita & Sacramentum Pœnitentiæ nemo irreverenter tractet; quod fieret, si id Confessarius per revelationem confessi peccati redderet hominibus odiosum, ab ejusque usu absterret. II. *Ecclesiastico*; quia cap. *Omnis utriusque. 12. de pœnit. & remiss.* sub gravissima pœna præcipitur, ut Confessarius caveat omnino, ne verbo, vel signo, aut alio quovis modo aliquatenus prodatur peccatorem, sed si prudentiori consilio indigerit, illud absque ulla expressione personæ cautè requirat. III. *Divino*. Nam Christus Dominus quia Sacramentum Pœnitentiæ per modum Judicii spiritualis instituit; & de causa non plenè cognita nemo bene judicare potest; ideo omnes fideles post Baptismum lapsos obligavit, & sua peccata mortalia, etiam occultissima & gravissima, quorum sibi post diligens examen conscii sunt; omnia & singula confiteantur quoad speciem & numerum, ut ex variis SS. Scripturæ locis definitum est à Trid. *sess. 14.* Etsi ergo Christus per absolutam potentiam &

potestatis plenitudinem potuisset nos obligare ad Confessionem peccatorum publice faciendam; vel Confessariis potestatem dare peccata pœnitentium revelandi, saltem in aliquibus casibus: ipsum tamen Sacramentum, prout cum tanta Confessionis integritate institutum est, videtur ex se & ex sua hac natura exigere; simulque tam humanæ nostræ fragilitati, quàm infinitæ bonitati ac misericordiæ DEI conveniens fuisse non tantum, ut pœnitentibus Confessio publica non præciperetur, sed etiam ut Confessariis quædam obligatio Sigilli imponeretur. Atque ita re ipsa factum esse confirmat perpetuus Ecclesiæ usus & traditio, semper hucusque intentæ, ut sanctissimè servaretur Sigillum Confessionis. Suadet quoque ratio, quia Christus, qui suum jugum suave esse dixit, & tamen Sacramentum pœnitentiæ cum integra omnium peccatorum mortalium Confessione, per se factis difficile & grave, voluit omnibus fidelibus post Baptismum lapsis esse summè necessarium ad salutem, adeoque etiam toti Ecclesiæ summè utile; utique non voluit simul illud ita reddere odiosum & exosum, ut homines ab ejus usu & frequentatione absterrentur, meritoque ab eo possent abhorre. Id enim esset intentioni Christi, ejusque sapientiæ ac bonitati contrarium; cederet quoque ut in magnam Sacramenti irreverentiam, ita & in maximum fidelium, totiusque Ecclesiæ detrimentum: atqui Sacramentum Pœnitentiæ, cum tanta integritate Confessionis obeundum, esset fidelibus prorsus odiosum & exosum, ab eoque absterrentur, & merito abhorrent, nisi ratione illius esset Confessariis

fariis imposita strictissima & universalissima obligatio Sigilli, ergo &c.

Et hoc Jus divinum vult Lugo *Disp.* 23. n. 9. esse naturale, quia supposita institutione Sacramenti Pœnitentiæ cum tanta integritate videtur ipsum lumen rectæ rationis cuius dicitare, quod obligemur, audita in eo servare secreta. Sed an cum tam omnimoda obligatione, quantam sigillum Confessionis habet, est satis dubium. Itaque expeditius est, si cum Laym. *l. 5. tr. 6. cap. 14. n. 2.* Coninch. *de Sacram. Disp. 9. n. 34.* & aliis dicatur, Jus illud divinum esse positivum, naturæ tamen Sacramenti, ejusque institutioni valde conveniens. Laym. *l. c.* vel etiam connaturale. Fagund. *cit. l. 6. cap. 1. n. 7.* & 12. contineturque saltem virtualiter in Præcepto divino, de materiali integritate Confessionis. *Dicast. Disp. 12. n. 11.*

§. III.

Sigillum cui Confessioni sit annexum?

185. Sigillum, ejusque obligatio annexa est soli Confessioni Sacramentali. Palao *de pœnit. Disp. un. p. 19. §. 2. n. 1.* & quidem omni. Coninch. *Disp. 9. n. 4.* *Dicast. Disp. 12. n. 24.* tamen, quæ strictè & propriè est talis, *sup. l. 1. p. 3. n. 25.* descripta; quàm ei, quæ est tantùm quasi talis, & fit ad modum Sacramentalis, *Tolet. lib. 3. cap. 16. n. 7.* ex communi; quia alioquin homines absterrentur adhuc à Sacramento Pœnitentiæ; cum deberent timere, ne ipsorum Confessio haberetur non pro verè, sed tantùm pro quasi Sacramentali, possitque

invitis illis revelari aliis. Quid autem jam sit Confessio Sacramentalis prout est aliquid utrique commune, à variis variè explicatur; & videtur operæ pretium, aliquorum opinionem verbatim referre.

Dicitur ergo I. esse Confessio, quæ fit Sacerdoti, saltem existimato, cum intentione percipiendi absolutionem, Palao *l. c.* Idem ferè est, cum dicitur II. esse accusatio peccatorum, facta Sacerdoti vero, vel probabiliter existimato in ordine ad absolutionem; ut concinnavit Gobat. *tr. 7. n. 9.* III. esse illa sola & omnis, quàm pœnitentiæ, quem bona fide credit esse Sacerdotem, facit in ordine ad absolutionem percipiendam: etiamsi hanc non percipiat, eò quòd sit indispositus; vel quòd Sacerdos eum non possit absolvere, vel ob alias causas; ut exponit Coninch. *de Sacram. Disp. 9. n. 4.* IV. esse illa, in qua manifestantur Sacerdoti peccata per ordinem ad Confessionem, factam animo se accusandi ad obtinendam absolutionem, *Dicast. l. c.* V. esse illa, quæ fit cum intentione se accusandi coram sacerdote (vero vel bona fide existimato) tanquam Judice constituto à Christo, ut ab eo absolvatur, vel juvetur eo modo, quo judicaverit expedire. *Reginald. lib. 3. n. 8.* VI. esse illa, quam pœnitens facit alicui tanquam Judici in foro interno, ut iste judicet de ipsius dispositione, & dirigat eum in ordine ad id, quod adhuc deesse censet, ut possit absolutionem aliquando obtinere; vel VII. esse illa, per quam pœnitens vult facere aliquo modo id, quod Christus præcepit. Utramque hanc definitionem tradit Lugo *de pœnit. Disp. 23. n. 45.* habetque *n. 46.* pro Confessione Sacramentali

tali etiam illam, quam pœnitens facit cum animo se accusandi, absolutionem tamen non tunc, sed alio opportuno tempore recipiendi; & n. 44. illam, quam Confessarius ab initio protestatur, se non velle ullo modo audire; pœnitens tamen nihilominus pergit ita sua peccata enarrare, ut ille adhuc possit, & etiam nolens debeat audire; idque etiam approbat Dian. p. 5. tr. 11. Res. 34. frustra repugnante Dicast. l. c. n. 33. VIII. esse illa, quâ quis peccata sua Sacerdoti revelat animo se accusandi; etiamsi ab eo nolit absolvi, sed tantum consilii causa ad bonum spirituale vel temporale. Sylv. apud Fag. Prac. 2. lib. 6. cap. 4. n. 24. quia si Confessio fiat cum animo se accusandi, vel procurandi bonum proprium ad solatium animæ, est etiam hæc vera Confessio, inquit Fagund. saltem *dispositivè, reductivè, & inchoativè*. IX. esse illa, quam quis facit animo se accusandi, vel implendi præceptum Ecclesiæ. Fag. l. c. n. 26. etsi ob defectum aliquem re ipsa non impleat: & sic n. 25. dicit, ad Sigillum obligare etiam illam Confessionem, quam facit meretrix cum animo tantum implendi præceptum annuæ confessionis, non tamen desistendi à statu malo.

Ex quibus omnibus patet, ad confessionem, ut sigillum ejusque obligationem inducat, sitque vel verè, vel quasi, & lato modo Sacramentalis, sufficere, si à pœnitente fiat explicitè vel implicitè, determinatè vel disjunctivè cum animo se accusandi in foro pœnitentiæ; vel si fiat explicitè aut implicitè, absolutè vel conditionatè, mediatè vel immediatè in or-

R. P. Stoz Trib. Pœnit. Lib. II.

dine ad absolutionem, tunc statim vel postea aliquando licitè vel illicitè, validè vel invalidè impetrandam. Unde non malè etiam cum Laym. l. 5. tr. 6. cap. 14. n. 1. dici potest esse illa, quæ tendit ad Sacramentum pœnitentiæ saltem secundum propositum confitentis; vel cum Tamb. de Confess. l. 5. cap. 1. n. 5. illa, quâ aliquo tandem modo intenditur absolutio.

Vult quidem Coninch. cit. Disp. 9. n. 41. eumque secutus Palao l. c. §. 4. n. 3. & 8. quòd confessio seu manifestatio peccatorum, cui Christus obligationem Sigilli imposuit, sit tantum illa, quæ necessaria est, ut quis possit directè ab iis absolvi, & integrè ea confiteri; atque ita videntur suas supra allatas definitiones velle declarare. Sed quia hoc est contra communem aliorum sensum; & inde contra ipsum Coninch, ac Palao sequitur, quòd ille, cui Confessarius peccatum pœnitentis sine ejus licentia injustè & sacrilegè revelavit, non obligetur Sigillo; cum hujusmodi manifestatio peccati utique non sit necessaria ad directam absolutionem aut integritatem confessionis; ideo meritò non admittitur, & à Lugone cit. Disp. 23. n. 33. reprobatur.

SECTIO II.

De Obligatione Sigilli Confessionis.

Quadruplex hic occurrit Quæstio. 1. Qualis sit Obligatio Sigilli? 2. Quanta sit? 3. Quænam cadant sub Sigillum? 4. An & quomodo cum ipso pœnitente servandum?

P

§. I.

§. I.

Qualis sit Obligatio Sigilli ?

186. Sigillum Confessionis obligat ex duplici præcepto, Justitiæ nimirum & Religionis. Unde frangens Sigillum ordinariè committit duo peccata specie distincta, quorum unum est contra Justitiam, & obligat ad compensationem damni, si quod inde est alicui illatum. Alterum est contra virtutem Religionis, quia ad ejus materiam observatio Sigilli refertur per præceptum Ecclesiasticum & Divinum, ut constat ex *num. preced.*

Dixi *ordinariè*, quia juxta aliquos vel omnino non, vel non graviter peccatur contra Justitiam revelando 1. id, quod extra confessionem non posset obligare ad secretum, ut sunt damnosa Reipublicæ &c. Vasq. apud Lugo *Disp. 23. n. 16.* vel 2. id, quod quis confessus est Sacerdoti invito, & nolenti audire, ut indicat Lugo *l.c. n. 44.* vel 3. quod pœnitenti non est ullo modo damnosum, sed valde utile, ut reveletur, v.g. venefico, cui Judex vitam donare paratus est, si Confessarius testetur, eum cum dolore confessum esse suum veneficium. vel 4. id, quod jam antè est omnibus publicè notum, & maximè si simul etiam sit iis æquè certum. Dicast. *cit. Disp. 12. n. 102. & 105.* vel 5. cum ipso tantùm pœnitente extra confessionem de ejus peccatis agendo.

Quòd autem nihilominus in prædictis casibus juxta communem certò, & in secundo saltè probabiliter per revelationem sine licentia pœnitentis factam, adhuc graviter peccetur contra virtutem Religionis, est hæc Ratio, quia Sigil-

lum, ejusque obligatio est introducta proximè quidem & immediatè in favorem pœnitentis, primariò tamen & principaliter in honorem & reverentiam Sacramenti. Fagund. *Præc. 2. lib. 6. cap. 1. n. 17. & 21.* ergo revelatio in allatis casibus et si sit vel omnino non, vel saltè non graviter injuriosa pœnitenti, est tamen adhuc graviter injuriosa Sacramento; nisi enim fiat cum licentia pœnitentis, semper reddit Sacramentum odiosum, & fidelibus noxium atque horribile.

187. Unde obiter, sed tamen clarè deducitur, quòd nihilominus pœnitens, si sponte suâ velit, liberè possit Confessario licentiam dare, confessæ peccata revelandi, juxta communiorem S. Thomæ & aliorum apud Dian. *p. 5. rr. 11. Res. 10. & Laym. cit. cap. 14. n. 14.* contra multos, & graves DD. alios apud Fagund. *l.c. n. 16.* Ratio, quia per revelationem cum licentia pœnitentis factam non redditur Sacramentum aliis odiosum aut horribile, ergo etiã nihil per eam derogatur honori Sacramenti, bono publico Ecclesiæ, Juris naturalis, aut divini; ergo pœnitens, si velit, potest licentiam dare. Et in hoc est dispar ratio cum Clerico. Nam iste per suam licentiam & consensum facere non potest, ut læsio, quam ipsi contra Jus aut privilegium clericale alii inferunt, non sit adhuc ordini & statui clericali probrosa, & injuriosa. Coninch. *cit. Disp. 9. n. 22.* Reginald. *l. 3. n. 56.* Dicast. *l.c. n. 73.*

§. II.

Sigilli obligatio quanta sit ?

188. Fractio Sigilli quoad malitiam contra Justitiam potest esse peccatum veniale

niale vel mortale; prout leviter vel graviter læditur Jus proximi; quoad malitiam contra Religionem, si deliberatè fiat, & inadvertentia non excuset, semper est mortale; neque datur in eo paritas materiæ. Reginald. *lib. 6. n. 4.* Bonnac. *tom. 1. Disp. 5. q. 6. sect. 5. p. 1. n. 4.* Lug. *Disp. 23. n. 70.* Dicast. *cit. Disp. 12. à n. 19.* quia quælibet fractio Sigilli, etiam per revelationem minimi alicujus peccati venialis in specie, cum reddat Sacramentum Pœnitentiæ odiosum, ab eoque homines absterreat, cedit in gravissimam ejus irreverentiam. Coninch. *Disp. 9. n. 24.* Debet tamen nihilominus fracti Sigilli reus in confessione dicere, an id in re levi, vel gravi, cum, vel sine damno proximi fregerit, ut constet, an & quomodo etiam contra Justitiam peccaverit. Lugo *cit. Disp. 23. n. 18.* vide etiam Tamb. *de Confess. lib. 5. cap. 9.*

189. Sigillum obligat indispensabiliter, ita ut in ejus obligatione non tantum nullus inferior Prælatus, sed ne quidem ipse summus Pontifex possit unquam dispensare. Reginald. *lib. 3. n. 11.* Fagund. *cit. cap. 1. n. 11.* Ratio, quia, si posset in Sigillo dispensari, hoc ipso homines jam abhorrent à Sacramento Pœnitentiæ, & integra confessione; nescirent enim, an non Confessarius jam habeat, vel postea adhuc impetraturus sit potestatem, revelandi peccata confessi; ergo ob quam causam Confessarius est Jure divino (sive jam naturali, sive positivo) imposita obligatio Sigilli, ob eandem etiam, eodèmq; Jure Prælatis Ecclesiæ, & ipsi quoque Pontifici negari debuit, & negata est potestas in ea dispensandi.

190. Sigillum Confessionis ita strictè & universaliter obligat, ut in nullo casu, qui mente fingi potest, adeoque nec pro tuenda fide totius orbis, aut vita Papæ vel Regis, vel pro conservando toto orbe, eoque ab injusta conflagratione liberando infringi possit aut revelari, invito pœnitente, & absque ejus licentia; etiamsi universa quoque Ecclesia, & Fides tota Christiana per impossibile peritura esset; debentque Confessarii atrocissima quæque supplicia, & ipsam mortem potius subire, quam ullo dicto vel facto Sigillum etiam in re minima violare. Ita loquitur Fagund. *cit. cap. 1. n. 5. 7. & 8.* qui in sua illa hypothese impossibili debet Fidem & Ecclesiam Christianam non totaliter, sed partialiter tantum sumere, adeoque non prout in ea ipsa etiam Sacramentum Pœnitentiæ cum suis obligationibus continetur, sed prout istud ab ea separatim ponitur & contradistinguitur; quia alioquin hypothesis non servaret constantiam subjecti, essetque nugatoria. Ejusdem mentis & sententiæ sunt etiam DD. alii unanimiter; ex quibus de Secreto quoque Medio ita sentiunt illi, qui id à Sigillo & Secreto naturali distinctum esse volunt, de quo *sup. n. 183.* ut testatur Tann. *cit. Disp. 6. q. 9. n. 134.* Coninch *cit. Disp. 9. n. 50.*

Ratio est, quia obligatio Sigilli debet esse tanta, ut Sacramentum ex metu revelationis non reddatur odiosum, nec fideles ab eo propterea merito possint abhorrere, & absterreri, ut *sup.* ostendi ex fine & intentione Christi Sacramentum Pœnitentiæ instituentis; atqui obligatio Sigilli non esset tanta, & neutrum præstaret, si in aliquo casu posset revelari, v. g. cum pœ-

nitens est indispositus, aut indignus, vel cum adest magna Reipublicæ aut innocentis necessitas; vel in quocumque alio excogitabili casu. Nam hoc ipso fideles possent, & deberent metuere, ne Confessarius, sive tunc, cum confitentur, sive postea aliquando, illos aut aliquod illorum peccatum putet ex Zelo, vel ex alio affectu, vel ex passione, vel ex ignorantia, vel ex malitia comprehendi sub casu excepto, & revelet. Unde jam Sacramentum est summè ad salutem necessarium, esset hoc ipso odiosum, ab eo & ejususu fideles abhorrerent, ejusque fructu & utilitate careret Ecclesia. Quod majus & gravius damnum ac malum est, quam si permitteretur interire integrum Regnum, vel totus orbis, & universa Ecclesia. Dicast. *l. c. n. 16.* ex communi. Ut ergo talis timor in usu Sacramenti Pœnitentiæ prorsus eximeretur fidelibus, oportuit pro omni casu excogitabili & totaliter revelationem prohiberi. Lug. *l. c. n. 13.* & ne quidem exiguum foramen, aut ostium relinqui apertum. Fagund. *l. c. n. 7.* solâ spontaneâ pœnitentiæ licentiâ excepta.

§. III.

Quenam cadant sub Sigillum?

191. Sigillum Confessionis sic obligat aliquem, ut generatim loquendo omnia & singula in secreto inviolabili servet, quæ ex Confessione Sacramentali cognovit; eamque facerent odiosam, si cum aliqua ipsius pœnitentiæ indicatione revelarentur. Reginald. *lib. 3. cap. 4. in princ.* & *n. 45.* Fagund. *Prac. 2. lib. 6. cap. 4.*

n. 3. Particulatim autem hoc explicando, cadunt sub Sigillum ejusque obligationem. 1. Omnia mortalia sicut in specie, ita etiam in genere sumpta, dicendo v. g. *Cajus est confessus aliquod mortale.* Fagund. *l. c. n. 1. & 4.* 2. Omnia venialia, non tamen in solo genere generalissimo, sed in aliqua specie, quacumque tandem, sumpta, dicendo v. g. *Cajus est confessus verbum otiosum.* Coninch. *Disp. 9. n. 10.* vel: *confessus est multa aut gravia venialia.* Lug. *Disp. 23. n. 50.* Tamb. *de confess. lib. 5. cap. 3. n. 2.* sed de hoc iterum *infra n. 224. & seq.* 3. Omnia, quæ aliquo modo sunt materia seu objectum peccati, uti est v. g. votum castitatis, contra quod conjux confitetur se petivisse debitum. Lug. *l. c. n. 52.* & virtutes, revelationes, aliæque dona supernaturalia, si quis confitetur; se fuisse DEO pro eis ingratum, ut bene distinguit in his Lug. *l. c. n. 48.* 4. Omnes peccatorum circumstantiæ, omnes proprii defectus etiam naturales, & complicitis peccata; si pœnitens tale quid in confessione ideo dicat, quia putat id esse necessarium, vel utile ad sua peccata meliùs declaranda; etsi re ipsa nec necessarium sit, nec utile. Coninch. *l. c. n. 13.* Lugo *l. c. n. 68.* Modò tamen ejusmodi circumstantiarum revelatio etiam aliquam infamiam aut dehonestationem. Palao *de pœnit. Disp. un. p. 19. §. 2. n. 6.* vel verecundiam aut sinistra opinionem, vel aliquid aliud nocuum per se vel per accidens pœnitenti possit afferre. Fagund. *l. c. & cap. 3. n. 1. in fine.* cum aliis. & *cap. 5. n. 18.* vel saltem circumstantia aliqua sit talis, ut eam pœnitens ipse non libenter extra confessionem alicui manifestare. Lug. *n. 57. §. Deni.*

3. Denique omnia, quæ licet peccatum non sint, in alicujus tamen peccati, & simul etiam in ejus, qui ad confessus est, cognitionem possunt aliquando ducere. Fagund. l. c. ut mox dicam. Horum omnium ratio est, quia si liceret aliquid tale revelare, redderetur Sacramentum Pœnitentiæ valde onerosum & odiosum, ab eoque fideles absterrentur.

192. Ad prædicta autem sic obligat Sigillum, ut ex iis nil quidquam directè vel etiam indirectè tantum liceat revelare. Fagund. l. c. Reginald. l. 3. n. 4. Tan. tom. 4. Disp. 6. q. 9. n. 120. Laym. l. 5. tr. 6. cap. 13. n. 1. Palao l. c. §. 3. ubi ait esse receptam omnium sententiam. Arque ita statuit Concilium Generale in cap. Omnis utriusque. 12. de pœnit. & remiss. ut Confessarius caveat omnino, ne verbo aut signo, aut alio quovis modo aliquatenus prædat peccatorem quoad ea, quæ sub Sigillum cadunt.

Directè revelat aliquid sub Sigillo contentum, v. g. peccatum, qui dicto, vel factò suo illud per se & in seipso manifestat. Indirectè autem revelat, qui illud per se & in seipso quidem non manifestat, sed tamen dicto aliquo suo, vel factò dat occasionem, ut alii rationabiliter seu prudenter id judicare vel suspicari possint de pœnitente. Lug. l. c. n. 106. ubi rectè ait, ad Judicia & suspiciones temerarias, quas mali homines ex levibus conjecturis desumunt, non esse hic attendendum, cum evitari non possint: cautè tamen monet, suspicionem in una materia levem posse in alia esse gravem. Debent proinde Confessarii in omnibus suis dictis & factis valdè esse circumspiciti; facillimè enim violatur Sigillum in-

directè, ut Tan. l. c. n. 129. loquitur, & infra ostendetur.

§. IV.

An & Quomodo Sigillum servandum erga ipsum pœnitentem? ubi & quamdiu duret?

193. Obligat Sigillum, ut nemo de iis, quæ ex confessione cognovit, & sub sigillum cadunt, etiam cum ipso pœnitente extra confessionem sine ipsius licentia agat, verbo, signo, vel alio modo aliquid eorum ipsi indicando. Fagund. cit. lib. 6. cap. 3. n. 3. & cap. 4. n. 34. & cap. 5. n. 1. Laym. l. 5. tr. 6. cap. 14. n. 9. Palao cit. §. 3. n. 14. & alii unanimiter, quia cedit in confusionem pœnitentis & pudorem; redderetque Sacramentum fidelibus odiosum; quod tanquam maximum malum necessariò est vitandum, ut loquitur Dicast. cit. Disp. 12. n. 81. In quo obligatio Sigilli multum differt à secreto naturali; quia hoc non violatur, si quis de eo loquatur cum illo, à quo ipsi commissum est. Fagund. cit. n. 34. Unde non potest, etiam occultè, illum monere, ut desistat à susceptione Eucharistiæ, Matrimonii &c. nec urgere, ut desistat à patrando scelere. Fag. cit. cap. 3. n. 6. & 7.

Aliqui apud eundem n. 86. & cap. 5. n. 1. & apud Dian. p. 2. tr. 15. Ref. 12. & p. 5. tr. 11. Ref. 18. in fine concedunt quidem, id esse graviter illicitum; negant tamen esse fractionem Sigilli; quia cum pœnitenti sua confessio non sit velata, utpote jam ante nota, non potest ei revelari. Sed non sunt audiendi; quia alicui quidpiam revelare etsi strictè loquen-

do sit illi ignotum quid patefacere; propriè tamen etiam est velum, quo aliquid tegitur, removere; atqui ea, quæ sub Sigillum cadunt, sunt omnibus, qui ex sola confessione noverunt, velo Sacramentali contexta, ita ut cum nullo, ne quidem cum illo, qui jam antè est eorum conscius, possint de iis loqui; ergo hoc ipso, quòd vel cum solo pœnitente de iis loquantur, jam velum remouent, & velo Sigilli tecta revelant. Fagund. *cit. lib. 6. cap. 4. n. 34. & cap. 5. n. 1. Dian. cit. tr. 11. Ref. 6.*

Unde patet, quòd nec duo Confessarii unius pœnitentis, nec alii possint inter se de illius peccato loqui ex sola confessione licitè vel illicitè cognito. Lugo *l. c. n. 39. Dicast. l. c. n. 92. Fag. cit. lib. 6. cap. 5. n. 1. Ut nec Confessarius, vel alius ex prædictis potest loqui de ejusmodi peccato cum iis, quibus id jam aliunde est plenè, vel etiam publicè notum. Palao l. c. n. 6. & 7. quia frangunt Sigillum, & rem velo Sigilli tectam revelant; & quidem etiam tunc, cum non dicunt, se ex confessione scire. Lug. *l. c. n. 51. nec audientes advertunt, eos loqui ex sola confessione. Bonac. tom. 1. Diss. 6. Sect. 5. p. 1. n. 5. Fagund. cit. lib. 6. cap. 4. n. 6. nec ipse pœnitens scit id fieri. Lug. l. c. n. 70.**

194. Dixi cum pœnitente de rebus sub Sigillum cadentibus non esse licitum agere *extra confessionem*, hoc est, extra Sacramentum Pœnitentiæ seu Judicium Sacramentale. Hoc enim cum essentialiter confessionem & absolutionem, integraliter autem etiam alios actus v. g. puniendi, instruendi &c. involvat, ideo ea, quæ ad tales actus spectant, moraliter non

consentur extra confessionem, seu Sacramentum Pœnitentiæ fieri, si in continenti post datam absolutionem fiant. Lugo *l. c. n. 129.* Et sic Confessarius statim post absolutionem potest adhuc licitè imponere pœnitentiam, juxta dicta *sup. n. 87.* Eodem ergo modo etiam statim & in continenti post absolutionem & pœnitentiam jam datam potest Confessarius adhuc cum pœnitente de peccatis confessis agere, & sine alia ejus licentia interrogare, si antè omisit, de specie, vel numero alicujus peccati confessi, de illius reservatione &c. vel de obligatione restituendi, occasionem proximam vitandi &c. Sicque in continenti errorem fortè antea commissum corrigere. Tan. *cit. Diss. 6. q. 9. n. 132. v. Quod si.* Lugo *l. c. Dicast. l. c. n. 95. Tamb. de Conf. lib. 5. cap. 5. n. 3. & alii,* contra Fagund. *cit. lib. 6. cap. 4. n. 33.* Talia enim quia spectant ad Judicium Sacramentale, hoc ipso quòd in continenti post absolutionem fiant (hoc est pœnitente & confessario adhuc hærente in confessionali) censetur Judicium illud adhuc durare, & ea adhuc fieri non extra, sed intra Sacramentum Confessionis. Quod proinde data absolutione est quidem finitum, ut urget Fag. *sed essentialiter tantum* (unde pœnitens, immediatè post de novo peccato mortali, vel ejus numero se accusans, debet de novo absolvi: sicut in Missa, si immediatè post factam consecrationem nova hostia apponeretur, deberet ad illam consecrandam de nova forma consecrationis proferri) sed nondum est omnino finitum *integraliter.*

Aliqui Suarezium secuti putant, Confessarium posse etiam ex intervallo aliquo agere

agere cum pœnitente, & quidem in vivo, de peccatis confessis, si id Confessarius ad corrigendum aliquem errorem antea commissum iudicet esse necessarium; & prius licentiam petat, sed pœnitens neget. Putant enim, per hoc confessionem antea factam compleri, & perfici, adeoque cum pœnitente etiam adhuc agi intra, non extra confessionem. Idque probabili ratione niti, & non esse improbabile, ait Dicast. l.c. n. 81. Sed merito Dianæ p. 3. tr. 4. Ref. 87. displicet, viros doctos hoc docuisse; & p. 5. tr. 11. Ref. 18. dolet, Suarezium fuisse primum, atque, rectè à Fagund. cit. n. 33. censerì improbabile. Revera enim si post sententiam bene vel malè latam discedat Iudex & colligantes ex loco Iudicij, non amplius ab ullo censetur Iudicium durare, maxime in causa non appellabili; ergo si post absolutionem bene vel malè datam Confessarius & pœnitens ex confessionali discesserint, etiam Iudicium Sacramentale nec physicè nec moraliter, nec essentialiter aut integraliter amplius durat; & quidquid postea Confessarius cum pœnitente agit de peccatis confessis, censetur jam extra confessionem cum illo agere; quod est graviter illicitum & contra Sigillum. Ex hoc autem principio

195. Aliud dubium jam oritur: An & quomodo Confessarius in una confessione possit cum pœnitente agere de peccatis in alia præcedente confessis? Juxta Fagund. cit. cap. 4. n. 36. Dian. p. 5. tr. 11. Ref. 20. & alios, potest Confessarius agere cum pœnitente de illis tantum peccatis priorum confessionum, quæ in posteriori iterum tangit & confitetur; quia hoc ipso pœnitens dat Con-

fessatio expressam licentiam de iis loquendi *inf. n. 197.* non item de aliis sine alia expressa licentia. Cum enim prior confessio ejusque Iudicium jam sit finitum, Confessarius non potest quidquam amplius extra illam de illis, etiam cum ipso pœnitente, sine ejus licentia agere. Sed praxis communis DD. & Confessariorum ostendit, Confessarium posse licitè ex rationabili causa de quibusvis peccatis, in priore confessione cognitis, loqui in posteriore. vide Dian. l.c. & Tamb. de conf. l. 5. cap. 5. n. 4. Nam pœnitens, quia scit Confessarium gerere non tantum officium Iudicis, sed etiam Magistri & Medici, hoc ipso quod illi confiteatur, vult ab eo iudicari, instrui, & juvari modo, quo fieri potest, ad statum & salutem animæ suæ aptissimo; ergo ipso facto dat ei licentiam generalem agendi, & loquendi secum juxta notitiam, non tantum illam, quam ex præsentì confessione tunc accipit, sed etiam juxta quamvis aliam, quam aliunde habet, si ad dictum finem sit necessaria, vel saltem utilis. Habet itaque Confessarius licentiam loquendi, & agendi cum pœnitente in posteriore confessione de peccatis præcedentium confessionum, non tantum aliquibus, ut vult Fagund. sed quibusvis, si ad salutem & directionem necesse sit vel utile: & quidem etiam si ex præcedentibus confessionibus ea cognoverit, non ut Confessarius, sed tantum ut iaterpres, consiliarius, vel alio modo; quia licentia ejusque ratio est univertalis, à qua non video, cur Lug. Disp. 22. n. 128. & Dicast. n. 92. cum illo hanc faciat exceptionem, Ex quibus patet, Confessarium, si in priore confessione erravit, v. g. non iater-

terro-

terrogando de specie vel numero peccatorum mortalium, posse in posteriore, licentiã non petita, de iis interrogare; adeoque, si aliud non obstat, etiam debere, Lug. *Disp.* 22, n. 77. vide *sup.* n. 181.

196. Obligatio Sigilli durat non tantum usque ad mortem pœnitentis, sed etiam post ejus mortem. Coninch. *cit.* *Disp.* 9, n. 20. Laym. *cit.* cap. 14, n. 1. Tan. *cit.* 9, n. 120. & alii unanimiter contra quosdam Canonistas. Ratio, quia Sigillum Confessioni Sacramentali annexum est & in honorem Sacramenti, & in favorem pœnitentis; atqui honor & reverentia debetur Sacramento etiam post mortem pœnitentis; & sicut vivum, ita & mortuum infamare de peccatis est injuriosum. Et verò si pœnitentes scirent, post suam mortem posse sua peccata à Confessariis licitè revelari, horrerent ea in vita confiteri, jamque redderetur viventibus Sacramentum Pœnitentiæ odiosum. Sigillum ergo, quod ad ejusmodi malum evitandum est institutum, ita debet obligare, ut etiam post mortem pœnitentis non possint ejus peccata revelari sine ejusdem licentiã; de qua jam.

SECTIO III.

De Licentiã revelandi Sigillum.

Dicemus hîc 1. Quis & Quo modo eam dare possit, & 2. De obligatione ejus, cui cum licentiã pœnitentis revelatum est hujus peccatum.

§. I.

Quis? & Quo modo dare possit licentiã revelandi Sigillum?

197. Licentiã revelandi Sigillum ne-

mo quidem alius *sup.* n. 189. potest tamen dare ipse pœnitens. *sup.* n. 187. Non sufficit autem hîc licentiã præsumpta tantum, aut tacita, vel virtualiter, aut interpretativè data; qualis est, quando rationabiliter cogitari potest, revelationem hîc & nunc ob magnum pœnitentis commodum non fore ei ingratam. Ratio, quia hîc Sacramentum fieret fidelibus valde odiosum & noxium; cum facili fieri posset, ut Confessarij sibi talem licentiã fingerent invitisimis pœnitentibus, Reginald. *lib.* 3, n. 60. Lug. *Disp.* 23, n. 131.

Debet ergo data licentiã I. esse expressa & formalis, juxta communem omnium apud Fagund. *l. c.* n. 14. Coninch. *l. c.* n. 23, v. *Nota secundo.* Laym. *l. 5, r. 6, cap.* 14, n. 14. & alios, solo Altiſiodorensi excepto. Talis autem censetur, si verbis live ipso facto fiat; ut: si pœnitens de peccatis suis confessis incipiat loqui cum Confessario extra confessionem. Tan. *tom.* 4, *Disp.* 6, 9, n. 132. Dicast. *l. c.* n. 78. vel si moribundus velit per Confessarium moneri hæredes de re aliqua aliena suo Domino restituenda, Fag. *l. c.* n. 15. cum enim monitio ista præbeat indicium sui peccati, & tamen velit eam fieri per Confessarium, hoc ipso dat actualiter & expressè illi licentiã, id eo modo revelandi; vel si aliquis suo Confessario confiteatur, se illi ob talem vel talem actionem fuisse iratum, maledixisse &c. hoc ipso enim pœnitens, nisi expressè aliud dicat, significat, se non tantum dare licentiã, sed etiam velle, ut Confessarius ab illa actione abſtineat; qui proinde licitè ab ea sine alia licentiã potest abſtinere.

II. Debet

II. Debet esse voluntariè & liberè data, unde non sufficit, nec valet, si vi, vel dolo & fraude sit impetrata; imò nec si detur ex metu & quidem etiam reverentiali; qualem Confessarius incute-re potest etiam sola sua auctoritate, absque ullis minis aut exasperatione vultus, verborum &c. quia Confessarios quoad suum officium solemus magis quam parentes aliosque superiores revereri. Fagund. *l.c. n. 21.* vel si impetretur per importunas preces; quæ tunc censentur esse tales, quando aliquis mavult rem petitiã concedere, quam petentis precibus fatigari. Less. *de Justit. l. 2. cap. 10. n. 14.* Unde si pœnitens non ultrò, sed tantum ad petitionem Confessarii det illi licentiam revelandi suum aliquod peccatum, vel agendi cum complice, communiter censeri debet ex metu reverentiali & invalidè data. Dicast. *l.c. n. 66.* Tamb. *de Confess. lib. 3. cap. 3. n. 5.* vel certè periculo invaliditatis esse obnoxia. Dian. *p. 5. rr. 11. Res. 10.* Quodsi conjux conjugem, herus famulum &c. habeat malè suspectum, jubeatque pro sui purgatione confiteri, & confessario dare licentiam revelandi confessionem. tunc ista quoque licentia censetur ex metu & invalidè data. Coninch. *cir. Diss. 9. n. 23.* Lug. *Diss. 23. n. 135.* & quamvis pœnitentes ejusmodi dicant, se libentissimè eam dare, & instantissimè rogent, ut Confessarius eã uti velit, tamen iste non potest, nec debet eã uti, quia hoc modo daretur multis occasio sacrilegè confitendi.

198. Potest III. pœnitens licentiam, quam dat, pro suo arbitrio ampliare, limitare, modificare & qualificare, nempe
R. P. Stoz. *Trib. Pœnit. Lib. II.*

peurilli, qui aliqua ex ipsius confessione cognoverunt, possint vi datæ licentiæ vel omnia, vel tantum aliqua, & hoc vel illud revelare, cum vel sine hac aut illa circumstantia loci, personæ, temporis &c. unitantum vel pluribus, iisque determinatis, vel indeterminatis, ad certum tantum finem & effectum, non ad alium, ad certum tantum tempus, & non ulterius. Fagund. *Præc. 2. lib. 6. cap. 1. n. 18.* Palao *de pœnit. Diss. un. p. 19. §. 1. n. 9.* Lug. *cir. Diss. 23. n. 28. & seqq.* Neque licet terminos & modos à pœnitente præscriptos excedere. Ratiõ, quia tota notitia, quam aliquis ex confessione pœnitentis accepit, est plenè ejusdem potestati & voluntati subiecta, ergo sicut ipse solus potest eam concedere, cui vult; ita etiam potest eo modo concedere, quo vult. Unde etiam,

IV. Potest licentiam, quam semel dedit, iterum pro suo placito revocare. Palao *l.c. §. 1. n. 3.* non tantum si intra confessionem dederit, ut concedit Laym. *l. 5. rr. 6. cap. 14. n. 16.* sed etiam si extra: quod Laym. & Gobat. *rr. 7. n. 333.* cum illo negat. Sed hanc eorum negationem tunc tantum admitto, si pœnitens dederit licentiam extra & independentè à confessione, ut bene indicat Reginald. *lib. 3. n. 61.* de quo paulò post.

V. Si ex revelatione videtur oriri posse quædam pœnitentis infamia, non potest iste licentiam revelandi dare, nisi ex tali causa, ex qua possit licitè seipsum infamare. Reginald. *l.c. n. 58.* Dicast. *l.c. n. 77.*

VI. Sufficit, si licentiam verbotenus, vel alio signo det. Ut autem Confessarius à pœnitente exigat in scripto, non
expe-

licentia

expedit, quia est pœnitenti onerosum, & periculo publicationis expositum. Palao *l.c.n.10.* neque est necessarium ad valorem licentiæ, ut dixi, aut ad defensionem Confessarii; cùm in dubio præsumendum sit pro ipso tanquam Judice, & in favorem Sacramenti pro ejus inviolata reverentia. *Fag. l.c.n.23.*

VII. Denique potest pœnitens Confessario, & aliis, qui ex confessione ipsius peccata licitè vel illicitè audiverunt, prædictam licentiam dare, vel intra vel extra confessionem. Circa quod inter DD. non satis convenit. Sic ergo

§. IX.

De obligatione ejus, cui cum licentia pœnitentis revelatum est hujus peccatum.

199. Gravis controversia est: An notitia peccati, quam quis ex confessione licitè vel illicitè accepit; sed cum licentia pœnitentis, intra vel extra confessionem data, alteri communicat, maneat & sit adhuc Sacramentalis; eumque, cui communicatur, sub sigillo obliget, vel non? Meo Judicio potest utrumque esse pro diversa ratione, quâ pœnitens vult facultatem concedere. Nam hujusmodi notitia non manet Sacramentalis, nec obligat sub sigillo, si pœnitens licentiam intra vel extra confessionem det in hunc vel similem sensum: *permitto, ut notitiâ, quam ex mea confessione habes, perinde utaris, ac si eam à me extra confessionem accepisses.* Idem est, si pœnitens Confessario vel alteri, qui confessionem ipsius audivit, extra illam & independentè ab illa enarrat confessa, sicut solet alias suas

actiones aliis enarrare. Et de hoc non est dubium. Manebit autem notitia Confessionis adhuc Sacramentalis, & omnes, quibus eam Confessarius vel alius cum licentia communicat, obligabit verè sub sigillo, si pœnitens eam, sive intra, sive extra confessionem, det in hunc vel similem sensum: *Nolo quidem tibi de peccatis, que ex mea confessione audivisti, aliam dare notitiâ; permitto tamen, ut illam, quam de iis ex confessione habes, possis alicui alteri, huic vel illi communicare.* Et talimodo semper pœnitentes censendi sunt dare licentiam, & non alio; nisi certò aliud constet, *Lugo cit. Disp. 23. n.29.* In quo casu satis patet, quòd concessio licentiæ sit tantùm conditio, sine qua non est expeditus notitiæ Sacramentalis usus; & quòd posita hac conditione Confessarius v.g. communicet aliis illam eandem notitiâ, quam ipse ex confessione habet, & nullam aliam. Debet proinde iis, quibus hujusmodi notitiâ communicat, simul etiam hunc ipsum datæ sibi licentiæ modum & moderationem indicare, ut illi quoque sciant, se obligari sigillo, idque observent. *Dian. p.5. r.11. Ref. II.*

200. Et hanc sententiam tenent omnes, quot quot dicunt, obligari omnes illos sigillo, ad quos notitia Confessionis *immediate vel mediate, licitè vel illicitè* pervenit. Id autem in specie docet *Tolet. lib.3. cap.16. n.6.* *Fagund. Prac. 2. lib.6. cap.6. n.26.* ubi ait, esse Regulam universalem, eamque approbat *Dian. p.5. r.11. Ref.7. & Ref.11.* ait, sibi maxime displicere sententiam nostrâ contrariam, etsi eam antea *p.2. r.15. Ref.14.* semper judicaverit probabiliorem; *Laym. lib.*

lib. 5. tr. 6. cap. 14. n. 17. § 18. cum multis, imò plerisque aliis apud ipsos, quos sequitur Gobat. tr. 7. n. 861. & in Accusat. Canon. cap. 42. n. 189. sed iisdem non rectè annumerat Palao; quia iste de pœnit. Diss. un. p. 19. §. 4. n. 1. plus non dicit, quàm quòd Regula certissima sit, omnes illos obligari sigillo, qui ex confessione Sacramentali peccata *necessariò justè vel injustè cognoverunt*; & loquens *ibid. n. 8.* de consiliario, variis rationibus probat, eum, qui tantùm mediatè cum licentia pœnitentis cognovit ejus peccata, non teneri sigillo; quod etiam docuit Henric. cum nonnullis aliis apud Dian. l. c. Coninch. Diss. 9. n. 40. qui ipse quoque, multis in utramque partem allatis, in illorum sententiam valde inclinat; tandem tamen n. 50. ait, nostram esse magis receptam, & in praxi communiter observandam. Pro qua meritiò etiam citari possunt omnes, qui docent Consiliarium à Confessario cum licentia pœnitentis interrogatum de rebus confessionis, obligari sigillo; quod Suar. apud Lugo Diss. 23. n. 25. tradit ut certum, & Lugo ait, esse omnino amplectendum.

201. Rationes varias pro nostra sententia afferri solitas vide apud Coninch. n. 38. & Lugo l. c. Ego dupliciter probò. Primò. Omnis notitia peccati, quæ derivatur ex confessione Sacramentali, ab eaque dependet, & est Sacramentalis & obligat sub sigillo; hæc enim est unica ratio, ob quam omnes doceant etiam illum obligari sigillo, cui confessarius v. g. revelavit sacrilegè, & sine licentia peccatum pœnitentis; atqui etiam illa notitia, quæ per confessarium cum licentia, supradictò posteriore modo datâ, com-

municata est alteri, derivatur ex confessione Sacramentali, ab eaque dependet; ergo.

Negant Adversarii hanc Minorem, & dicunt, pœnitentem hoc ipso, quòd det licentiam v. g. Confessario, dare ipsi aliam novam notitiam non Sacramentalem; & ab hac sola, nullo modo autem à Sacramentali derivari & dependere illam, quæ per confessarium communicata est alteri, adeoque nec esse ullo modo Sacramentalem, nec obligare sub sigillo. Ita illi apud Dian. cit. Res. 11. & Coninch. l. c. n. 45. § 49. v. ad quintam.

Sed contra. Tum quia pœnitens, ut ponimus, non vult, vel etiam expressè dicit, se non velle per suam licentiam dare Confessario novam notitiam, sed tantùm ut illam ipsam, quam ex confessione Sacramentali habet, alteri communit. Tum quia dare alicui licentiam utendi notitiâ, quam habet, utique non est ipsi aliam dare novam notitiam. Cùm enim Magister discipulo, aut æger Medico dat licentiam utendi scientiâ, quam habent, nec ille illi, nec iste isti dat aliam novam scientiam; ergo nec pœnitens necessariò per suam licentiam dat Confessario aliam novam peccati confessi notitiâ. Tum quia, si pœnitens, dando licentiam revelandi sua peccata, hoc ipso dat Confessario aliam novam de iis notitiâ, tunc ista vel etiam est Sacramentalis, vel non? si prius; ergo tunc redit & urget propositum Argumentum. Si posterius; ergo Confessarius jam habet de peccatis confessis duplicem notitiâ, unam Sacramentalem, & alteram non Sacramentalem; ergo si vi hujus notitiæ non Sacramentalis loquatur invito

Q 2

pœni-

pœnitente cum aliis quibusvis, non amplius peccabit contra sigillum, sed ad summum tantum contra secretum naturale; sicut alius, qui peccata, quæ quis ipsi confessus est, etiam aliunde novit; atqui hoc illatum est contra ipsos adversarios, & planè falsum; quia Confessarius peccat contra sigillum, quoties modum licentiæ à pœnitente datæ excedit, ut dictum *sup. n. 198.* Atque ita corrumpit præcipuum Adversariorum fundamentum. Neque dicas: si pœnitens per se sua peccata alicui enarret extra confessionem, tunc iste non obligatur sigillo; ergo nec obligatur, cum vult ei dici per confessarium. Distinguo enim consequens, & si vult, ut confessarius dicat independentè à confessione, concedo; si vult, sicut potest velle, ut dicat tantum dependentè ab ea, nego. vide Fagund. *cit. lib. 6. cap. 5. n. 20.*

202. Secundum Argumentum est hoc. Ex contraria sententia sequitur, quòd licentia, quam pœnitens confessario dat tantum limitatè ad revelandum peccatum uni vel alteri, sit illimitata; & limitatio talis sit ferè frustranea. Nam ille, cui confessarius cum licentia revelat, non obligatur sigillo, ut volunt adversarii; ergo sine fractione sigilli, & in multis casibus etiam sine violatione secreti naturalis, potest postea de eo cum quovis alio & cum ipso confessario; iste autem tùm rursus cum aliis atque aliis etiam invito pœnitente agere: quid ergo jam prodest licentiæ limitatio? atqui hanc adeo esse inutilem, est contra communem; *sup. n. 19.*

Quod Adversarii dicunt, obligationem sigilli esse annexam tantum illi peccatorum enarrationi, quæ est necessaria ad in-

tegram eorum confessionem & directam absolutionem, gratis dicunt, & jam *sup. n. 185.* refutatum est *circa finem.*

203. Meritò ergo Fag. *l. c. cap. 6. n. 26.* cum aliis DD. habet pro *universali & certa regula*, quòd omnis notitia, quæ ex confessione Sacramentali immediatè, vel mediatè, tam licitè, quàm illicitè comparata est, maneat, & manere debeat sub sigillo Sacramentali. Limitat quidem hanc regulam, & nostram sententiam Laym. *cit. cap. 14. n. 18.* nisi licentia data sit ex causa aliqua justa vel injusta *ad Confessionem nihil pertinente*, v. g. ad captandam tantum alterius gratiam. Sed non placet; quia etiam in ordine ad talem finem potest pœnitens velle, ut Confessarius adhuc loquatur tantum dependentè à confessione. Multò minùs autem probatur, quòd Gobat *tr. 7. n. 83.* dicat, nec ipsum confessarium, nec alios, qui ab ipso percipiunt, obligari sigillo, cum pœnitens de peccatis confessis ei *extra confessionem* loquitur, nisi id faciat in ordine ad aliam confessionem. Nam pœnitens, si velit, potest de eadem confessione, quam antè fecit, loqui cum Confessario etiam extra eam *manente adhuc sigillo*, quia sæpè nec pœnitentes, nec confessarii possunt satis intra confessionem pertractare confessa; magnum autem foret onus, si deinde pœnitentes deberent iterum novam confessionem instituire, vel hoc ipso obligationem sigilli tollere. Idque satis clarè docet Lug. *Disp. 23. n. 133.* quem ipsum locum allegat quidem Gobat pro se; sed non bene, ut parer ex toto contextu, ubi Lugo dicit, pœnitentem posse extra confessionem non solum de peccatis confessionis loqui, sed etiam

etiam dare licentiam, ut *manente sigillo* Confessarius possit de iisdem loqui; item pœnitentem non dare extra confessionem *ei aliam notitiam*, sed tantum licentiam utendi notitiâ confessionis &c.

204. Ex dictis hætenus de sigillo Confessionis potest jam hæc, supra promissa, plenior ejus concinnari descriptio, & dici, sigillum est obligatio Jure naturali & positivo, tam divino quàm humano introducta, vi cujus aliquis debet omnia, quæ non nisi ex confessione Sacramentali immediatè, vel etiam mediatè tantum, tam licitè, quàm illicitè cognovit, & in aliquod pœnitentis gravamen cedere possunt, ita indispensabiliter recta & velata servare, ut de iis nec extra confessionem cum ipso pœnitente, nec cum ullo alio unquam etiam post mortem ejus sine expressa ejus licentia sit licitum in ullo excogitabili casu directè vel indirectè manifestando agere.

Ut ergo aliquis censeatur violare Sigillum Confessionis, debet revelare I. aliquid, quod cadit sub sigillum; II. ipsam quoque personam pœnitentis vel complicitis; III. sine licentia legitima, & IV. id eo modo, quo ex sola confessione Sacramentali cognitum habet. Tan. *cit.* 9. 9. n. 125.

Neque difficile jam est, ex principiis alatis varias particularium casuum Resolutiones deducere. Sed quia, quod meritò dolendum in re tanti momenti, cui etiam salus totius Mundi posthabenda foret, tanta est Doctorum inter se dissensio, operæ pretium videtur, ut prius, quàm ulterius progrediamur, discutiatur hæc consideratione digna Quæstio.

SECTIO IV.

De Delectu sententiarum circa Obligationem Sigilli.

Resolvenda sunt hîc aliquam multa dubia, & 1. quidem an ex duabus probabilibus semper tenenda sit ea, quæ est sigillo favorabilis. 2. quæ oriuntur de Confessione obligante ad sigillum; uti & 3. circa Materiam sigilli. 4. de indirecta violatione Sigilli.

§. I.

An ex duabus probabilibus semper tenenda sit favorabilis sigillo?

205. Est hæc Quæstio: Quenam ex duabus sententiis, quarum una affirmat, altera negat in hoc vel illo casu violari sigillum, sit in praxi tenenda & amplectenda, quando utraque ab Auctoribus traditur, & admittitur esse probabilis? Resp. in praxi omnino semper esse Affirmativæ inhærendum. Atque ita etiam sentit Dian. *in præm.* p. 5. rr. 11. etsi in aliis materiis semper sit magnus benigniorum sententiarum patronus. Rationes meæ sunt seqq.

I. Quia qui contra alios negant, aliquid esse contra sigillum confessionis, fatentur tamen id communiter esse contra *Secretum medium*, vel saltem contra *Secretum naturale*; atqui *Secretum medium* non differt quoad obligationem à sigillo Confessionis, ut *sup.* n. 183. ostendi, ergo qui concedit aliquid esse contra illud, concedit re ipsa esse etiam contra istud, & tantum nomine tenus negat.

Q 3

Sed

Sed & id, quod contra Secretum naturale agitur, etiam semper (excepto solo casu necessitatis illi præponderantis) est peccatum, nec in praxi licitum. Atque ita ejusmodi Auctoris per suam negativam non tollunt ullo modo peccatum (quod bene notandum) sed tantum minuunt, voluntque illud habere tantum malitiam Injustitiæ & Infidelitatis, non item Sacrilegii. Sed neque hoc præstant, Nam

II. In omnibus ferè casibus id, per quod aliqui contra alios negant violari sigillum, parit tamen, ut illi fatentur, vel periculum illud violandi, vel scandalum, ut homines nimirum, saltem simplices & rudes, putent per id violari sigillum, & irreverentiam fieri Sacramento, ipsique adeo ab eodem absterreantur: ad quod tamen damnum apud simplices æquè atque apud omnes alios cavendum introducta est obligatio sigilli. Suarez apud Fag. *cit. lib. 6. cap. 4. n. 2.* atqui se exponere periculo violandi sigillum, est peccatum contra sigillum, uti & dare scandalum in materia Sigilli, juxta Suar. *l. c.* ergo peccatum illud habet non tantum malitiam Injustitiæ & Infidelitatis, sed etiam Sacrilegii; neque jam superest ulla ratio, ob quam non meritò affirmativa in favorem Sigilli præferatur negativæ.

III. Causa Sigilli est causa pia & plus quam ulla alia favorabilis, quia est in favorem pœnitentis, in bonum publicum totius Ecclesiæ, in honorem & reverentiam Sacramenti post mortalem lapsum summè necessarii, estque semper saluti & bono etiam totius Mundi præferenda; ergo cum quaeritur, an hoc vel illud sit

contra sigillum, & pro utraque parte stat ratio, sed tantum probabilis, tunc in praxi debemus sequi affirmativam sigillo faventem, & nullatenus negativam eidem contrariam; sicut in conflictu probabilium sententiarum semper debemus sequi illam, quæ favet causæ piæ, doti, matrimonio, libertati, similiq; causæ favorabili. Sanch. *l. 3. Matr. Disp. 16. n. 4.* Tamb. *lib. 1. Decal. cap. 3. §. 4. n. 4.* ex com. Neque vim hujus argumenti declinat satis Dicast. *cit. Disp. 12. n. 57.* ubi: Ego, inquit, amo favere sigillo, sed cum sufficienti fundamento. Nam hoc ipso, quòd sententia aliqua stans pro sigillo ejusque obligatione habeatur ab idoneis Auctoribus pro probabili, deesse ei non potest sufficiens fundamentum.

IV. Quando utraque pars contradictionis est quidem secundum se probabilis; nihilominus tamen eam, quæ cedit in damnum alicujus tertii, non possumus in praxi sine illius præscitu & consensu licitè sequi: sic cum probabile est, equum v. g. & esse & non esse meum, non possum alicui licitè vendere, nisi ille consensus hujus rei consentiat. Tamb. *lib. 1. Decal. cap. 3. §. 3. n. 23.* atqui aliquid esse, vel non esse contra sigillum interest plurimum pœnitentis; quia istud in multis casibus est, & illud in nullo est sine ipsius licentia revelabile; ergo cum utrumque est probabile, non possumus licitè sine pœnitentis licentia sequi negativam, & habere id pro revelabili; sed renemur in praxi sequi affirmativam, & habere pro non revelabili.

206. V. Et si in dubio, non tantum negativo, sed etiam positivo de aliis obligationi-

tionibus rectè possit & debeat fieri resolutione pro eo, qui est in possessione libertatis; in dubio tamen, an aliquis v. g. confessarius sit, vel non sit in hoc aut illo casu obligatus sigillo, resolutio debet semper fieri in favorem Sacramenti & Sigilli. Reginald. lib. 3. cap. 5. ubi cum dixisset, audita in confessione posse revelari ex licentia penitentis; uti & si etiam extra confessionem sint aliunde cognita, addit n. 68. ex Graffio, & extra predictos casus, inquit, debet in dubio Confessarius semper inclinare ad servandum secretum sigilli, ut evitet scandalum; testaturque etiam Tamb. de conf. lib. 5. cap. 3. n. 20. possessionem libertatis ad loquendum, quam habet. v. g. Confessarius, vinci in dubio ab obligatione sigilli, ne Sacramentum tam necessarium reddatur odiosum, fideles ab eo absterreantur, vel ab ejus usu impediuntur. Sed & Tan. cit. q. 9. n. 137. In re dubia, inquit, semper judicandum est in favorem confessionis & penitentis; idemque etiam docet. Fag. Prac. 2. lib. 6. cap. 5. n. 16. Bonac. tom. 1. Disp. 5. q. 6. sect. 5. p. 2. n. 4. Dicast. l. 6. n. 61. & alii. Atque ex his Fagund. l. c. expressè & in specie loquitur de dubio positivo. Neque cæterorum videtur esse mens alia, cum loquantur de dubio generaliter. Quidquid autem de hoc sit, etiam à dubio negativo licet ad positivum sic argumentari.

VI. Favor sigilli in dubio negativo, in quo nulla alia probabili ratione adjuvatur, est tantus, ut vincat possessionem, & probabilitatem à possessione desumptam, cæteroqui semper ab omnibus maximi aestimatum. Tamb. l. c. ergo etiam in dubio positivo, ubi insuper probabilem ra-

tionem habet pro sestantem, debet vincere oppositam probabilitatem quamcunque. Inæqualia enim manent talia, si iis addantur æqualia; atqui in dubio negativo pars pro sigillo est major & fortior, quàm pars contra sigillum; ergo cum in dubio positivo accedit utrique ratio aliqua, sed tantum probabilis, pars pro sigillo cum sua ratione manet adhuc major & fortior, quàm pars contra sigillum cum sua, estque adeo adhuc in praxi non ista, sed illa tenenda. Neque juvat, etiam si pars sigillo ejusque obligationi contraria quandoque videatur nisi ratione probabiliore, quam obligatio sigilli; quia summa ratio est, quæ pro Religione facit; & favor sigilli superat ipsam possessionem alterius sibi oppositam, ergo cum possessio superet omnem probabilitatem sibi contrariam, etiam majorem; superat quoque eandem favor sigilli, juxta vulgatum: *si vinco vincentem te, vinco & ego te*: Quod si dicas, non ita esse favendum sigillo, ut aliis fiat injuria aliqua, aut iniquè imponatur obligatio: Verum dicis; sed nego iniquè agi cum illo, qui in dubio censetur potius esse, quàm non esse obligatus sigillo, ut constat ex dictis & cit. DD.

207. Pro confirmatione addo, omne illud obligatione sigilli prohiberi, quod confessionem redderet gravem & odiosam fidelibus. Lug. cit. Disp. 23. n. 97. atqui sententia aliqua, quæ in dato quodam casu obligationem sigilli probabiliter negat, in quo alia probabiliter eandem obligationem affirmat, reddit planè confessionem odiosam & gravem, impediendo scilicet à faciliore saltem ejus usu, ut patebit ex dicendis §. II. ergo &c.

Unde

Unde rectè Gobat dixit, se ejusmodi sententiis in suo Clypeo Clementium Judicum, & sub illo nullum angulum permittere, ut habetur p. 2. *Clypei Decad.* 2. *Docum.* 17. n. 230. edit. *Constant.* 1669. prætermisâ in Quinario ob causas ibi assignatas. Nescio autem quo consilio idem Author, cum in *Exper. Theol.* tr. 7. n. 852. scripsisset juxta aliquos solùm confessarium obligari sigillo propriè dicto; cæteros autem quocunque tandem modo notitiam confessionis acquirant, secreto tantùm naturali: quod quidem alii asserunt esse prorsus in omni casu inviolabile sub reatu sacrilegi: at verò *Vasq. Hurt.* & alii apud *Dian.* p. 5. tr. 11. *Res. u.* censent posse revelari ab iis ad gravissimum malum avertendum, deinde ipse interposito suo iudicio dixerit: plurimum referre ad praxin, utrà sis opinione imbutus; & tandem his verbis subscripserit: non possum negare probabilitatem alterutrius sententiæ; seu non obliganti in extrema necessitate præferim publicam, seu obliganti in illa. Vide eundem etiam n. 888.

Certè in contrarium est imprimis, quia Auctores à *Dian.* l. c. relati loquuntur tantùm de iis, quibus confessarius ex licentia pœnitentis revelat confessionem; non autem ita universaliter de omnibus aliis, sicut Gobat. Deinde si probabile est, & quidem etiam *practicè*, ut Gobat l. c. agnoscit, quòd inter alios illi quoque non teneantur sigillo, sed præcisè tantùm secreto naturali, eoque ex justa causa revelabili, quibus confessarius sine licentia pœnitentis sacrilegè ejus peccatum confessum revelat; ergo hoc ipso jam possunt in foro externo licitè ut testes contra sigillifragum Confessarium à Judi-

ce examinari, & licitè contra eundem testari absque omni alia licentia pœnitentis; cum utique justissima causa sit aperiendi secretum merè naturale, quando ad puniendum crimen toti Ecclesiæ perniciosissimum, avertendumque damnum, ipsâ Mundi totius ruinâ gravius, est ita necessarium. Hæc autem sequela jam ostendit, illum frustra in *Accusar.* *Can.* cap. 42. à n. 199. tam operosè conatum esse demonstrare, nec Judicem, nec testes posse id, quod in sequela dixi, sine licentia pœnitentis agere, ex hoc solo & unico fundamento, quòd & Judex & testes aliquin agerent contra sigillum. Ipse enim, ut vidimus, fateatur, in praxi etiam esse probabile, illos non sigillo, sed tantùm secreto merè naturali, eoque revelabili obligari. Præterea autem quis non videt futurum, ut pœnitentes valde abstergentur à Sacramento Pœnitentiæ, vel multùm in ejus usu impediuntur, si interpretes, internuntius, vel illi, quibus sacrilegè revelatur confessio, vel qui eam casu aut heuquiter audiunt &c. non sigillo, sed tantùm secreto obligentur merè naturali, quod in multis casibus, etiam cum gravissimo pœnitentis damno, aperiiri potest; ergo id hoc ipso est, & esse debet sub obligatione sigilli prohibitum, ut paulò antè ex *Lug.* argumentati sumus.

208. His ita constitutis ostendam nunc porrò, quem usum in praxi habere possint fundamenta huc usque declarata; & ordine illis correspondente subjungam aliquot particularium casuum Resolutiones, allegato pro & contra uno alteròve Authore, apud quem alii videri possunt. Semper autem in omnibus constanter inharbo illis sententiis, quæ
& à

& à DD. censentur probabiles, & insuper etiam favent sigillo ejusque obligationi; quidquid jam sit de contrariis earumque probabilitate, quam si quis dicere vellet, non esse practicè practicum, sed tantum speculativam in sensu, quo Laym. l. i. tr. i. cap. 5. n. 2. loquitur, ei non magno- pere reluctandum esse censerem. Idque apertè tradit Diana in cit. proem. p. 5. tr. ii.

§. II.

Resolutiones de Confessione ad Sigillum obligante.

209. De hac diximus sup. n. 185. omnem illam peccati manifestationem & solam obligare sub sigillo, quam quis facit cum aliquo animo se in foro interno accusandi, vel alterius directioni se subjiciendi aliquo saltem modo in ordine ad absolutionem; ita ut cum Fag. Prac. 2. lib. 6. cap. 6. n. 16. rectè pro Maxima statuatur, quòd obligatio sigilli ob suam favorabilitatem non solum ad ipsam confessionem (strictè sumptam) extendatur, sed etiam ad omnia ea, quæ ordinantur immediatè ad illam, nimirum tanquam instrumenta & media necessaria, vel saltem utilia, sùntque propterea etiam Confessio inchoata & inchoativè. Manifestatio ergo peccati cum prædicto animo facta verè obligat sub sigillo, nec potest sine licentia pœnitentis in ullo excogitabili casu revelari.

210. I. Si Adam confessus est sacrilegè, vel sine debito dolore, aut proposito se emendandi, ignoscendi inimico, restituendi rem alienam, vitandi occasionem proximam, malum suum statum

R. P. Stoz Trib. Pœnit. Lib. II.

v.g. concubinarum deserendi &c. Est communis ex cap. Quod quidam s. de pœnit. & remiss. Tan. tom. 4. Disp. 6. q. 9. n. 138. Lug. Disp. 23. n. 117. etiam si ejusmodi pœnitens sciat, se propterea ante hæc ab isto vel alio confessario non fuisse absolutum, & neque tum magnam spem habeat obtinendi absolutionem. Ratio, quia nihilominus potest adhuc manifestare sua peccata cum animo se de iis accusandi, vel se directioni confessarii subjiciendi. Est contra Coninch. Disp. 9. n. 7. quamvis, n. 8. v. secus, videatur non multum repugnare.

211. II. Si Barnabas veniens ad confessionalem dicat, se ob gravem animi afflictionem non esse satis dispositum, nec cupere absolvi; velle tamen miseriam sui statùs & peccata explicare, ut confessarius possit ipsi ad bonum suum spirituale vel temporale præbere aliquod consilium, solatium vel auxilium. Ratio, quia hæc peccatorum manifestatio est saltem dispositivè, reductivè, & inchoativè confessio. Fag. l. c. cap. 4. n. 24. cum Syl. Videtur enim pœnitens eam facere, ut ab afflictione liberetur, atque ita disponatur ad absolutionem postea aliquando recipendam. Contrarii Doctores loquuntur tantum de illo, qui circa aliquod suum peccatum petit consilium profus imper- tinenter ad confessionem vel absolutionem apud Palao de pœnit. Disp. un. p. 19. §. 2. n. 2.

212. III. Si Cosmas volens confite- ri per interpretem, sive Clericum sive Laicum, manifestet sua peccata illi, etiam in absentia Confessarii; sicut fieri posse dixi sup. n. 99. Interpres autem deinde non exponat Confessario. Ratio, quia

R

mani-

manifestatio peccatorum facta interpreti etiam Laico est inchoata confessio. Lug. *l.c. n. 21*, ex communi, contra Cajet. & Sotum. Idem est si Internuntius peccata, quæ quis per illum confiteri vult, non referat ad confessarium. Unde si quis ex errore putet, se posse per alium confiteri, & absens absolvi, atque propterea aliquod peccatum manifestet, v. g. suo filio, ut iste ejus nomine tanquam Internuntius, id proximè confiteatur, tunc filius obligabitur sigillo; uti & confessarius, cui id filius confitebitur. Neque aliter sentiendum esse puto, si ego, quia non possum confiteri nisi Sacerdoti Italo linguâ latinâ, quam non bene calleo, & interrogem aliquem alium, quomodo hoc vel illud meum peccatum latinè proferre debeam: modò non expressè velim mea peccata tali instructori tanquam amico committere solùm sub secreto naturali. Ratio, quia etiam iste me adjuvat, ut possim confessario loqui ab eoque intelligi, ergo est quasi interpret meus. Neque refert, quòd ipse deinde non immediatè loquatur confessario, ut dicam *n. 214*. Negat tamen Coninch, *cit. Disp. 9. n. 47*.

213. Eodem modo est quasi interpret meus, cui dico me velle confiteri; & propterea illum consulo, an aut quomodo hoc vel illud teneam confiteri; sive jam consulam illum ipsum, cui volo postea confiteri; sive quemvis alium Clericum, vel Laicum. Fagund. *l.c. cap. 6. n. 5. & n. 23*. Dian. *p. 5. tr. 11. Ref. 44*. cum aliis contra Suar. Henriq. & alios apud Fag. *n. 22*. qui tamen apud eundem *n. 24*. consentiente Dicast. *cit. Disp. 12. n. 55*. concedunt, illum ex ejusmodi confi-

liariis obstringi sigillo, cui etiam velim deinde confiteri; quia putant apud hunc tantùm, & non apud alios manifestationem peccati esse confessionem inchoatam. Sed rectius Fagund. ait, apud alios æquè ac apud istum eam fieri à pœnitente in ordine ad absolutionem. Unde juxta dicta *sup. n. 185*. est respectu omnium Confessio saltem inchoata.

214. IV. Si David ob defectum memoriæ, vel aliam causam non possit commouè confiteri, nisi ex scripto; sed quia dexteram vel dextræ usum amisit, dicter sua peccata alicui ad calamum; teneatur quoque ejusmodi scriba ad sigillum, quia manifestantur ipsi peccata in ordine ad confessionem, sicut interpreti; cum David, ut ponitur, non possit nisi per intermediam ipsius operam bene confiteri. Præpos. *de Pœnit. q. 11. dub. 4. n. 34*. Neque refert, quòd scriba ejusque opera esse medium videatur tantùm remotum. Nam est nihil minus ordinatum ad confessionem. Et certè etiam studiosus v. g. per quem germanus sua peccata indicat latinè Italo, & per hunc italicè Gallo, ac denique per istum gallicè confessario Hispano, quem solum habere potest, obligatur unacum aliis sigillo, etsi mediatè tantùm & remotè ad confessionem istam cooperetur.

215. Ipsa quoque scripta scheda Confessionis obligat lectores non tantùm sub Secreto naturali gravissimè, ut concedunt omnes *sup. lib. 1. p. 3. n. 439*. sed etiam sub Sigillo propriè dicto. Fag. *l.c. cap. 5. n. 16*. Dian. *p. 3. tr. 4. Ref. 112. & p. 5. tr. 11. Ref. 27*. Dicast. *l.c. n. 58. & seq.* cum multis aliis contra Palao *cit. p. 19. §. 4. n. 11*. Laym. *cit. cap. 14. n. 19. & mul-*

eos alios. Ratio; Tum quia talis scriptura non tantum continet materiam confessionis seu peccata, ut vulg. Lugo; sed etiam est eorum manifestatio, & quidem juxta intentionem penitentis facta in ordine ad sui accusationem in foro interno, & absolutionem; ergo est confessio inchoata; vel, si sacerdoti jam exhibita & lecta sit, etiam perfecta & absoluta, ut fatetur Laym. Tum quia fatetur Lugo *cit. Disp. 23. n. 47.* scripturam, si per eam liceret absenti confiteri, fore confessionem propriè dictam & sigilliferam; atqui licitum est ex certis causis peccata in scripto mittere absenti confessario, vel presentis tradere legenda, modo penitens deinde coram exprimat, quod se de peccatis in scripto contentis & lectis accuset, ut dixi *sup. cit. p. 3. n. 83.* ergo ejusmodi scriptum est vera confessio saltem inchoata & incompleta; completa autem, cum id penitens vel confessarius actu legit, ut Lug. *n. 48.* concedit de muto per scripturam confitente. Neque refert, quod scriptura non sit aliquid transiens, nec fiat coram confessario, ut urget Palao. Nam etiam manifestatio peccati facta interpreti vel internuntio non est transitoria, sed manet in utriusque memoria, nec fieri debet, aut sit coram sacerdote, & tamen rectè habetur pro confessione ad sigillum obligante. Tum quia juxta Lug. *n. 49.* scriptura, per quam penitens à superiore petit facultatem absolvendi à casu reservato, obligat sub sigillo legentes; ergo etiam scriptura, quam aliquis facit, ut per eam ipsam sua peccata manifestare possit confessario in ordine ad absolutionem.

216. V. Si Fabius confiteatur alicui sa-

cerdoti, quem bona fide credit habere potestatem absolvendi, cum non habeat. Est communis. Item si illi, quem etiam scit carere Ordine vel potestate, confiteatur, eo tamen animo, ut per illum post obtentam potestatem Ordinis vel Jurisdictionis absolvatur. Fag. *l. 6. cap. 6. n. 24.* Lug. *l. c. n. 37. & alii.* Imò et si solum dicat alicui sacerdoti, se velle illi confiteri, simulque roget, ut propter suum peccatum reservatum petat prius à superiore facultatem absolvendi. Lug. *l. c. n. 34.* uti & si ipse penitens adeat superiorem, etiam eum, qui, ut fieri potest, nondum est sacerdos, ab eoque petat licentiam, ut per alium à reservatis possit absolvi. Lug. *n. 36. cum aliis contra Coninch. l. c. n. 44. & alios.* Ratio, quia in omnibus istis casibus manifestatio peccati fit aliquo modo à penitente cum animo se accusandi, & in ordine ad absolutionem, adeoque est vera, vel saltem inchoata confessio Sacramentalis genericè sumpta, & *sup. n. 185.* descripta.

217. VI. Si Guido confiteatur bona fide Clero vel Laico, qui malitiolè fingit se esse legitima potestate præditum, cum non sit. Est communis apud Fag. *l. c. n. 9.* Dian. *p. 5. tr. 11. Res. 15.* Ratio est eadem, quam paulò antè dedi. Quod si Guido sciat aliquem esse Laicum, vel Clericum nondum esse sacerdotem; sed tamen per errorem invincibilem putet illum habere legitimam potestatem absolvendi, & propterea ipsi confiteatur sive jam in casu necessitatis sive extra, negat hanc confessionem obligare ad sigillum Laym. *l. c. n. 19. v. sexto.* Tan. *tom. 4. Disp. 6. q. 9. n. 139.* Coninch. *l. c. n. 6.* Lugo *l. c. n. 42.* Suar. Vasq. & multialii. Affir-

R 2

mat

mat Fag. *cit. cap. 6. n. 5.* cum Nav. & aliis, quibus apud Dicast. mox citandum consentit Præpos. & Hurtadus, quia videtur esse par ratio utriusque hujus casus. Nam in utroque confessio est invalida ex defectu Ministri; in utroque tamen pœnitens facit manifestationem suorum peccatorum in ordine ad absolutionem, putatque valere, etsi in priore ex errore facti, in posteriore ex errore Juris.

Afferit quidem Card. Lug. aliquam disparitatem, quod in priore casu pœnitens apprehendat & intendat absolutionem à legitima potestate tam Ordinis, quam Jurisdictionis dependentem, adeoque veram & à Christo institutam; in posteriore autem tantum dependentem à sola potestate Jurisdictionis, adeoque tantum fictitiam. Idque speculativè loquendo approbat etiam Dicast. *l. c. n. 30.* Sed hæc disparitas non videtur hic multum juvare; cum sufficiat ad sigillum, si manifestatio peccati fiat cum animo se in foro interno accusandi, se directioni alterius subjiciendi &c. neque necesse est, velle, saltem explicitè, absolutionem, ut *sup. n. 185.* dictum ex ipso Lug. Adde, quod possit quoque vera à Christo instituta absolutio intendi abstrahendo, an à Sacerdote, vel Laico debeat conferri. Unde & ipse Dicast. tandem in praxi, inquit, consultius est, sigilli secretum hic agnoscere & servare. Confirmari hæc possunt ex dictis *sup. n. 212. & seq.*

218. VII. Si Haimo instante prælio, naufragio &c. vel in vicinia aliorum, sive ad confessionale adstantium, sive ad ægrum v. g. adjacentium, non possit confessario sua peccata manifestare, ut non etiam alii audiant; obligat hæc confessio

ad sigillum non tantum confessarium, sed etiam omnes alios auditores, ita ut neque inter se, neque cum aliis de ejus materia loqui possint. Fag. *cit. lib. 6. cap. 5. n. 1.* Coninch. *Disp. 9. n. 35.* Palao *cit. p. 19. s. 4. n. 4.* Laym. *l. c. n. 17. v. Terio.* contra Sotum & alios.

Quodsi Haimo sponte sua ad majorem v. g. sui confusionem vel ob aliam causam publicè, vel ita alta voce confiteatur, ut ab aliis audiatur, tunc juxta Coninch. *n. 46.* & Palao *n. 10.* solus Confessarius, non item alii audientes obligantur ad sigillum, quia Confessionem hanc respectu illius tantum & non aliorum ajunt esse Sacramentalem. Sed cum realiter sit respectu omnium una tantum confessio, eaque à parte rei verè Sacramentalis, rectius dicitur, pœnitentem ipso facto dare licentiam, vi cujus sicut audientes, ita & ipse quoque confessarius sit in tantum liber ab obligatione sigilli, in quantum pœnitens vult. Neque enim est ratio, ob quam confessio seu locutio pœnitentis dicatur respectu aliorum esse publica, & respectu solius Confessarii, qui eandem æquè audit, sit occulta & secreta. Lugo *n. 39.*

219. Econtra confessio sub sigillo obligans non est. I. cum quis absque omni animo confitendi dicit alteri, se hoc vel illud suum arcanum ei committere sub sigillo confessionis; etiam si ita dicat alicui sacerdoti, in confessionali, flexis genibus, facta cruce, & dicto confiteor, instar aliorum pœnitentium. Fagund. *lib. 6. cap. 5. n. 3.* Laym. *l. 5. rr. 6. n. 2. v. ex his,* quia hæc omnia, cum non fiant animo se accusandi, nec in ordine ad absolutionem, non sunt confessio, ergo nec pa-

riunt

riunt obligationem sigilli. Neque alter, etiam si promiserit se velle esse obligatum, sicut sigillo, peccat revelando contra sigillum, Dian. p. 5. tr. 11. Res. 54. Dicast. l. c. n. 31. cum aliis; nili fortè ex conscientia erronea & affectivè; quia neque hæc promissio aut volitio est confessio, & sigillum aliunde non potest otiri.

220. Nec II. cum quis unum vel plura peccata sua alicui etiam sacerdoti manifestat consilii vel auxilii petendi causâ, non tamen ad pacandam conscientiam, ut sup. n. 211. sed præcisè tantum ad infamiam, pœnam, aliterius iram, al' uide simile malum evadendum. Palao cit. p. 19. §. 2. n. 2. Vel cum quis in confessionali unum vel plura peccata dicit, sed tantum cum animo illudendi confessario, vel ei damnum aliquod v. g. per furtum inferendi, vel eum ad patrandum aliquod facinus, ejusque societatem adducendi, Fag. cit. lib. 6. cap. 4. n. 18. Dicast. l. c. n. 42. & 43. Vel cum occultus peccator v. g. hæreticus, quia jam etiam, ne prodatur, cum aliis communicare vult, accedit ad confessionale, tantum ut simulet se confiteri; neque de ullo peccato se accuset, sed tantum schedam confessionis petat. Lugo Diss. 23. n. 117. Laym. cit. cap. 14. n. 8. v. Moneo, ubi rectè dicit, confessarium tali simulatori non debere, nec posse dare schedam Confessionis, ne malæ ejus simulationi coöperetur; de quo plura infra n. 235. v. Quod si & sup. l. 1. p. 3. n. 22.

221. Nec III. cum confitentur suis Prædicantibus illi ex Aatholicis, qui non credunt Pœnitentiam esse Sacramentum, & putant in ea non remitti, sed tantum regi peccata; neque Præcones posse re-

mittere peccata, sed tantum denuntiare eorum remissionem. Nam etsi isti sua peccata etiam in specie enarrant coram prædicantibus, tamen id non faciunt cum animo se coram illis accusandi, sed tantum coram DEO; multò minus cum animo absolutionem peccatorum obtinendi ab illis, cum etiam ab ipso DEO non hanc sed tantum tegimen aliquod & pallium sibi dari posse existiment. Aliud sentit Gobat tr. 7. n. 785. & 853. sed ex hypothesis, quæ principiis fidei in incude Aatholicorum fabricatæ non correspondet. Ejusmodi ergo confessariorum operâ nemo hominum, sed diabolus, quæ Germanorum phrasis esse solet, utatur.

§. III.

Resolutiones circa Materiam Sigilli.

Hanc jam sup. n. 191. ita explicavimus, ut facile sit inde multos casus resolvere. Aliquos tamen hic superaddam exempli causa. Itaque

222. Contra sigillum ejusque obligationem ratione materiæ peccat, I. Quicumque peccatum mortale, etiam in genere tantum, vel veniale in specie dicit sibi hanc vel illam determinatam personam confessam esse. sup. l. c. non tantum, si ipsi esset ex sola confessione notum, de quo non est dubium teste Palao cit. p. 19. §. 3. n. 6. sed etiam, cum id esset ipsi ut publicum & notorium per famam, sententiam Judicis &c. vel aliunde extra confessionem notum. Nam dicere, se tale peccatum ex confessione scire, est proptiè revelare confessionem, reddique

eam odiosam, ut dixi *sup.* n. 193. & docet Fag. *cit.* lib. 6. cap. 5. n. 7. cum communi; præterquam quod noticiam peccati faciat communiter etiam multò certiore. Unde de notorio fure, latrone, adultero &c. non licet dicere: *confessus est mihi sua furta, latrocinia* etiam addendo, *cum magno dolore, fletu, &c.* Palao *l. c.* Fag. *l. c.* cap. 4. n. 6. ubi contrariam sententiam censet esse falsam & improbabilem. Tribuitur hæc Medina; sed Fag. n. 7. putat eum ex aliorum potiùs mente, quam suâ ita scripsisse.

Per hoc tamen non est prohibitum, quo minus illi possint de peccato in confessione audito licetè inter se & cum aliis loqui, qui id etiam aliunde ante vel post confessionem cognoverunt. S. Thomas & cum eo omnes ad unum teste Nav. apud Reginald. *l. 3. n. 63.* Adeoque potest aliquis famulum vel alium propter furtum. v. g. domo expellere, aut civiliter apud Judicem accusare, si id ex confessione, & insuper etiam aliunde, sive ante, sive post, cognovit. Laym. *cit.* cap. 14. n. 3. Sed observatis his cautelis, 1. ut ad evitandum scandalum indicet modum, quo delictum illud extra confessionem cognovit. 2. ne ulla ratione significet, se id etiam ex confessione scire Reginald. *l. c.* & n. 64. 3. ut ne quidem noticiâ confessionis ullatenus utatur; adeoque nihil aliud quoad substantiam, modum, locum, aliâsque circumstantias, neque quidquam certius dicat, quam præcisè sicut extra confessionem cognovit. Coninch. *Disp.* 9. n. 9. Dicast. *cit.* *Disp.* 12. n. 49. 4. ut in primo statim accessu ad alium confessarium dirigat pœnitentem, si ejus delictum jam ante con-

fessionem scit, & propterea aliquid contra illum extra eam movere statuit. Laym. *l. c.*

223. II. Quodsi quis de aliquo notorio v. g. latrone dicat tantùm in genere; *Confessus est mihi animo valde contrito sua peccata*, existimat Palao *cit.* n. 6. Laym. *cit.* cap. 14. n. 21. & alii id non esse contra sigillum, cùm cedat in laudem pœnitentis, nec ullum ejus peccatum in specie, nec mortale in genere reveletur. Et ut Laym. *l. c.* ait ex Coninch. *Disp.* 9. n. 53. per prædicta verba significatur quidem confessio peccatorum; nullo modo tamen per ea significatur, quod peccata illa fuerint latrocinia, sed hoc est audientibus jam aliunde notum. Verùm hæc opinio non caret difficultate, eamque rejicit Dian. *p. 5. tr. 11. Res.* 42. v. *Notandum.* Nam memoratis verbis est non per se, tamen in istis saltem circumstantiis verè significantur latrocinia. Deinde tali suo dicto Confessarius revelat indirectè publica pœnitentis peccata; quod juxta hos ipsos Auctores & omnes alios est contra sigillum. Probatur autem id ex dictis *sup.* n. 192. Nam quilibet potest prudenter & sine temeritate sic concludere: Cajus Latro, vi dicti à confessario, est bene confessus sua peccata; atqui Caji peccata sunt etiam latrocinia, uti est notorium, ergo, vi dicti à Confessario, Cajus est confessus etiam latrocinia. Idem esset, si confessarius de occulto peccatore ita loqueretur alicui, cui jam antè aliunde est notum ejus peccatum.

Meo itaque Judicio opus est hîc aliqua distinctione. Nam si constat reum à tempore commissi notorii delicti esse

tunc

tunc prima vice confessum, violabitur omnino indirectè sigillum per ejusmodi dictum; non item, si non constet. Ratio disparitatis est, quia ex illo dicto rectè inferitur confessio ipsius notorii delicti in priore casu, ut vidimus; non item in posteriore: in quo, quia notorium delictum potuit jam antè in alia confessione fuisse ritè expiatum, non potest ulla ratione prudenter inferri; quod inter peccata, de quibus in genere dicitur reus esse hïc & nunc confessus, illud ipsum fuerit etiam repetitum. Reginald. l. 3. n. 44. Et quia de reis, qui supplicio afficiuntur, communiter non constat, quòd post commissà sua delicta, tunc notoria, nullam adhuc aliam confessionem antea fecerint, ideo juxta communissimam sententiam Confessarii sine omni scrupulo liberè & licitè dicere possunt, reum esse bene confessum sua peccata. Fag. cit. lib. 6. cap. 5. n. 6. & n. 17. Optimum autem est, ut à publicis peccatoribus petat confessarius licentiam dicendi de eorum notoriis peccatis, quæ ad ipsorum honorem & aliorum ædificationem spectant. Reginald. l. c.

224. III. Qui dicit v.g. *Cajus est mihi confessus*; *Cajum absolvi*, aut aliud æquivalens ordinariè (de quo *infr. n. 241.*) non frangit sigillum; quia etiam illi possunt dici confiteri juxta dicta *sup. n. 185.* qui tantùm dicunt, se ab ultima confessione non esse sibi conscios peccati mortalis, voluisse tamen se sistere judicio Confessarii, ut admittantur ad Sacram Communionem. Item qui manifestant Confessario aliqua cum animo se de iis accusandi, & in ordine ad absolutionem; sed tantùm talia, in quibus confessarius

deinde agnoscit, eos nihil deliquisse. Tamb. *de conf. l. 5. c. 3. n. 10.* ut sæpe fit, & fieri potest à parvulis, simplicibus, frequenter confiteri solitis, vel perfectioni deditis, quorum aliqui apud Nicol. Lancium *tom. 1. opus 6. n. 32.* per quinqueñium, alii per triginta annos, aliqui totà suà vità nunquam ullum veniale cum plena deliberatione commississe perhibentur. Sic etiam rectè dicere potest Judex, se absolvisse illum, quem in facto, de quo accusatus est, pronuntiavit nihil deliquisse. Quamvis autem hujusmodi confessio & absolutio multùm differat ab ea, quæ est constitutiva Sacramenti Pœnitentiæ, est tamen nihilominus adhuc Judicialis, quia fit coram Judice & à Judice in tribunali sedente.

Quod si quis addat & dicat: *Cajus est mihi confessus sua peccata*; vel *confessus est venialia*; communissima & certè sententia habet, sigillum etiam non lædi, ut ait Fag. cit. lib. 6. cap. 5. n. 18. Ratio dari solet à DD. hæc, quia hoc ipso, quòd aliquis confiteatur, supponitur confiteri peccata saltem venialia; ergo sicut salvo sigillo aliquis dici potest esse confessus, ita etiam dici potest esse confessus peccata, esse confessus venialia. Lug. l. c. n. 50. Dicast. l. c. n. 50. Reginald. l. 3. n. 43. Addit iste *ibid.* etiam hanc rationem, quia omnibus notorium est, quòd non sit homo, qui non peccet 3. Reg. 8. & 1. Joan. 1. quòdque nemo confiteri debeat, nisi peccata; ergo de confesso dicere, *illum esse confessum peccata*, vel *esse confessum venialia*, nec illum infamar, nec reddit confessionem odiosam, ergo non est contra sigillum.

Sed

Sed hæc rationes non satisfaciunt. Nam confiteri aut absolvi, ut paulò antè dixi, non necessariò, nec semper supponit aliquem confiteri peccata, ab iisque absolvi. Deinde etsi sit notorium, aliquem peccasse mortaliter, Confessarius tamen non potest dicere, id eum sibi esse confessum. *sup. n. 222. Et seq.* ergo etiam cum est notorium aliquem peccasse, vel peccasse venialiter, non potest confessarius dicere, id eum sibi esse confessum. Esto enim, quòd id non infamet pœnitentè, & aliis omnibus constet illum confiteri peccata; tamen dicere, se hoc ipsum scire de eo ex ejus confessione, est revelare confessionem, eamque potest odiosam reddere. Alia argumenta affert *Fag. l.c.* & propterea censet sententiam, quæ ait predictis modis loquendi sigillum frangi, non esse improbabilem, sed piam & defendi posse.

Ego hîc distinguo; & de pœnitentibus, de quibus notorium omnibus est, quòd soleant peccare venialiter, censeo non fore contra sigillum, si confessarius dicat esse confessos peccata, vel esse confessos venialia. Ratio autem est hæc sola, quòd tales pœnitentes ipso facto, cum palàm confitentur, dent ut cuivis, sic etiam confessariis licentiam ita loquendi: de aliis autem pœnitentibus supra indicatis ita loqui, si quandoque confiteantur verum peccatum, erit omnino contra sigillum. Nam etsi communiter urgere soleant Confessarii, ut etiam isti se iterùm accusent de aliquo peccato jam antè semel confessò, & ritè expiato, ut Sacramentum ad conferendam gratiam perfici possit; tamen ad id nemo tenetur, & ab aliquibus etiam nequit obtine-

ri. Quidquid autem de his sit, consultum omnino est, plus non dicere de aliquo, quàm quòd *confessus sit*; non addendo, *peccata*, aut *venialia*; cum nulla sit, nec esse possit hujuscemodi additionis necessitas; & univèrsim per omnes istos loquendi modos sæpe indirectè frangi possit sigillum, ut dicam *infra cit. n. 241.*

225. IV. Qui dicit: *Tutus in confitendis minutissimis suis peccatis mihi molestus est*, non frangit sigillum juxta communem apud Dian. p. 5. tr. II. *Ref. 50.* & teste *Fag. cit. cap. 5. n. 17.* concedunt omnes. Sed frangi sigillum affirmat Palao *cit. p. 19. §. 3. n. 9.* uti & *Granado* apud Dian. idque non immeritò. Nam præter paulò antè dicta sunt etiam hæc rationes. Tum quia parva & magna venialia sunt etiam aliquo modo species venialium; atqui venialia in specie revelare est contra sigillum *sup. n. 191.* ergo sicut dicere, hunc vel illum esse confessum venialia gravia; ita & dicere, illum esse confessum parva & minuta, est contra sigillum; cum neutrum ex eo solo, quòd confiteatur, determinatè constet. Tum quia minutia venialium, Confessario molestæ, sunt circumstantia eorum, & quidem talis, quam pœnitens non libenter aliis extra confessionem manifestaret, indèque pateretur aliquam confusionem, ergo jam cadunt sub sigillum. *sup. cit. n. 191.* Et verò *Dian. l.c.* consultat confessariis, ut ab hujusmodi locutionibus abstineant; imò *Coninch. cit. Diss. 9. n. 11.* ait eos malè & periculosè ita loqui, frangerèque sigillum indirectè; cui consentit *Laym. cit. cap. 14. n. 6. v. simile.* de quo *infra.*

Ex dictis patet, quod etiam contra sigillum sit dicere de aliquo frequenter confitente: *Jam confessus est nova venialia*, contra Card. Lugo *cit. Diss. 23. n. 90.* Quæ ergo *sup. cit. n. 191.* tradita sunt de venialibus tanquam de materia sigilli, debent juxta hunc & præcedentem numerum intelligi.

226. Qui aliis dicit, se peccatum v.g. furti, homicidii &c. in confessione audivisse; personam tamen pœnitentis non expressa, & in iis circumstantiis, ut moraliter nullum quoque sit periculum, quod vi hujus dicti ullus ex audientibus sit unquam perventurus in noticiam illius, non frangit quidem sigillum; Fag. *cit. lib. 6. cap. 4. n. 1. & cap. 5. n. 11.* Reginald. *lib. 3. n. 45.* Laym. *cit. cap. 14. n. 10. v. octavo.* Palao *cit. p. 19. §. 3. n. 10.* contra Panormit. apud Fag. *cit. cap. 5. n. 12.* tamen sine fructu id dicere juxta Reginald. est peccatum veniale, utpote verbum otiosum; cum scandalo autem aliorum, putantium ita violari sigillum, est mortale. Rarò quoque abest periculum frangendi sigillum, nisi quis loquatur abstractissimè ab omnibus qualitatibus & circumstantiis personæ, loci, temporis &c. Si enim post confessiones annis aliquot auditas tandem dicas, primum tuum pœnitentem fuisse v.g. magnum; vel si una vice dicas, tali & tali die aliquem esse tibi confessum adulterium; alia vice dicas, te eo die habuisse tantum unum pœnitentem; & post aliquod tempus immemor priorum verborum iterum dicas, illo die fuisse tibi confessum Cajum; & quod facile fieri potest, aliquis ex iis, quibus ita loqueris, viderit & adhuc meminerit, quis fuerit primus tuus pœnitens; vel meminerit,

R. P. Stoz Trib. Panit. Lib. II.

quæ diversis vicibus dixisti; planè ei jam revelasti & peccatum & personam pœnitentis, sigillo sacrilegè violato. Imò potest hujusmodi periculum esse, etiam cum abstractissimè dicis, tibi aliquem esse confessum v.g. homicidium: si nimirum ille, qui complexus fuit; vel ille, cui pœnitens tanquam amico id antè aperuit, hoc ex te audiat, & sciat eum tibi esse confessum, & alios tuos pœnitentes nihil simile patrare. vide *Diss. 23. n. 63.* Tan. *tom. 4. Diss. 6. q. 9. n. 129.* Violat autem sigillum, seu contra illud peccat, qui se committit periculo violandi illud, nisi faciat ob causam magnæ utilitatis. Laym. *l.c.* imò necessitatis, cum magna cautela & apud viros doctos. Fag. *cit. n. 11.*

Omnes itaque DD. unanimiter docent, consultissimum esse, ut si de peccatis mentio incidat, nemo facile dicat, sibi hoc vel illud in confessione fuisse manifestatum; quia rarissimum est, ut necessitas aut utilitas aliqua, etiam cum petendum est ab alio aliquod v.g. consilium, id requirat; & quia vix abest periculum vel scandalum, maximè si quid tale dicatur coram multis; vel coram paucis quidem, sed tamen in eodem loco & urbe, ubi confessio fuit audita; vel post breve tempus ab ea audita. Fag. *cit. c. 4.* qui cum aliis *ibid.* Confessarios per viscera Misericordiæ Christi Domini rogat, ne faciles sint ad ita, etiam generatim tantum, loquendum. Sed & Reginald. *l.c. n. 46.* ait, etsi speculativè post aliquando esse licitum, ut aliquis ita genericè loquatur, in praxi tamen contrarium esse servandum. Maximè autem hinc attendere debent Parochi & alii

S

in

in suis concionibus, ne contra hanc doctrinam graviter impingant.

227. Qui ex confessionibus in aliquo v.g. pago, urbe, Monasterio &c. auditis dicit, in illa communitate committi multa adulteria, usuras, veneficia &c. certum est, quod peccet contra Justitiam, infamando injuriosè communitatem, nisi ejusmodi delicta sint publica & notoria; vel nisi communitas sit talis & tam magna, ut prudenter omnes judicare possint, eam non carere ejusmodi zizaniis. *Fag. cit. lib. 6. cap. 4. n. 2.* Sæpè etiam peccat contra charitatem, hac ratione scandalizando audientes, maxime si sint simplices; peccat quoque contra ipsum confessionis sigillum, Suarez, Vasq. & alii contra Navarr. Henriq. & alios apud *Fag. l. c. cap. 4. n. 2.* & *Dian. p. 2. rr. 15. Res. 13.* quia magnum est periculum, ne iis, qui talia audiunt, ipsæ personæ pœnitentium innotescant, maxime si locus, aut cœtus Regularium, vel Clericorum secularium non sit amplus & numerosus. Nam illi, quos ex tali numero constat esse solutioris vitæ, sinistrae famæ &c. redduntur valdè suspecti de ejusmodi peccatis, & sic est magnum periculum, ne omnino deprehendantur. *Coninch. cit. Disp. 9. n. 16.* *Bonac. tom. 1. Disp. 5. q. 6. sect. 5. p. 4. n. 3.* *Palao cit. p. 19. §. 3. n. 11.* Addit *Dicast. cit. Disp. 12. n. 64.* hoc ex eo quoque esse contra sigillum, quia confessionem planè reddit odiosam. Unde apparet, non satis cautos vel tutos esse; qui scribunt sive in libris sive in litteris, in hoc vel illo loco tot & tot confessiones sacrilegè factas fuisse correctas, tot & tot à concubinato vel adulteriis abstractos, & similia. Nam et-

si apud alios nullum sit; apud eos tamen, qui in eodem loco sunt vel fuerunt, magnum est periculum violandi sigilli.

228. Confessarius, vi sigilli, non potest revelare peccatum, quod quis nondum commisit, sed vult adhuc committere, v.g. cædem innocentis, prodicionem Reipubl. &c. si quidem reus malam hanc voluntatem ei verè cum animo se de ea accusandi manifestet; sicut potest facere non minus, quàm alius de peccato jam commissò potest verè se accusare, etsi non velit ab eo desistere. *Fag. l. c. cap. 4. n. 23. §. 26.* *Tan. tom. 4. Disp. 6. q. 9. n. 138.* cum *S. Thoma. Laym. cit. c. 14. n. 5.* *Lug. Dicast. & alii* communiter contra alios non paucos; quorum tamen sententiam *Fag. cit. n. 23.* & *Tan. l. c.* dicit esse erroneam. Ratio, quia peccatum futurum, etsi secundum se non sit materia confessionis, est tamen objectum peccati confessi, nimirum voluntatis seu intentionis malæ, & quidem tale, ut ex illius cognitione cognoscatur etiam ea ipsa mala voluntas, quam reus antè habuit & adhuc habet, eamque nunc cum animo se accusandi manifestat, & confitetur; ergo confessarius, quàm parum potest peccatum confessum, tam parum potest tale ejus objectum, sive bonum sive malum sit, sine licentia pœnitentis revelare. *sup. n. 191.*

229. Quid ergo hic agendum Confessario? Inprimis debet totis viribus eniti, ut pœnitentem permoveat ad desistendum à patrando peccato, & si complices habeat, ad eosdem ab eo deterrendos & impediendos; vel ut à pœnitente impetret, quàm per se sub gravi peccato

P. St. e.

Tribu
Pœnitentia
E. M. M.
S. J. B.

peccato tenetur tunc dare, licentiam utendi illâ notitiâ ad id per se, vel per alios impediendum. Si neutrum ab obstinato peccatore possit obtinere, tunc nec debet, nec potest eum absolvere, utpote in statu peccati mortalis constitutum. Deberet autem tunc confessarius monere eos, quorum interest, si sine periculo cognoscendi reum vel complices fieri posset. Verum quia communiter magnum periculum hîc subest, ne reus aut complices innotescant; & ad id evitandum opus est maximâ cautelâ ac circumspectione, ut Coninch. *Disp. 9. n. 18.* Laym. *cit. cap. 14. n. 11.* Palao *l. c. n. 13.* & omnes alii agnoscunt, ideo communiter vi sigilli teneretur Confessarius post alia omnia frustra tentata tacere, & rem totam divinæ Providentiæ committere.

Neque propterea Respubl. vel ullus alius merito potest conqueri; cum idem prorsus incommodum subire & pati deberent, si Sacramentum Pœnitentiæ ejusque sigillum à Christo institutum non fuisset; vel si pœnitens omninò confessus non fuisset. Quin imò cum ejusmodi malefactorum sæpè per operam & efficaces confessariorum dehortationes absterceantur à pessimis suis machinationibus, patet clarè, Sacramentum hoc ita in bonum pœnitentis ex institutione Christi cedere, ut simul etiam sapissimè in omnium aliorum commodum atque utilitatem publicam & privatam redundet; prorsus autem nemini unquam damnosum sit; ut imprudenter æquè ac impie calumniantur aliqui ex A catholicis.

Dixi. *sup. n. 228.* Si reus voluntatem malam manifestet cum animo verè se accusandi. Nam si certò constet, quòd ma-

nifestet tantum cum animo confessarium trahendi in societatem criminis, tunc manifestatio hæc non est confessio Sacramentalis, nec obligat sub sigillo. *sup. n. 185.* potestque confessarius & debet tunc reum prodere; sicut posset & deberet, cum aliunde cognovisset, ut tradunt cit. DD. ex communi.

230. VIII. Si pœnitens complicem nominet in confessione, quia putat (sive verè, sive falsò) ad explicanda sua peccata id esse necessarium, vel utile; de quo *sup. l. 1. p. 3. n. 44. & seq.* tunc confessarius, qui complicem istum ejusque peccatum sine licentiâ pœnitentis revelat, frangit sigillum. *sup. n. 191.* Est communis & vera sententia apud Lug. *l. c. n. 68.* contra Joan. de la Cruz. quia alioqui confessio redderetur odiosa; & pœnitens conjiceretur in periculum, ne deinde ipsius peccatum etiam publicetur à complice. *Dicast. l. c. n. 65.*

Imò ut Confessarius sine læsione sigilli possit revelare complicem ejusque peccatum, docet Valq. *q. 93. art. 4. dub. 5.* non sufficere solum pœnitentis, sed requiri etiam ipsius complicis licentiam; idque ut probabilius & Sacramento favorabilius amplectitur Tan. *cit. q. 9. n. 146. cum seq.* Tamb. *de conf. lib. 5. cap. 3. §. 4. n. 7.* cum aliis contra Lug. *l. c. n. 138.* *Dicast. n. 80.* Suarez & alios, sed paucos, ut ait Tan. Ratio, tum quia pœnitens debet sua tantum & non aliorum peccata confiteri, nec horum potest, nisi quandoque per accidens, cum id vel est, vel videtur esse utile ad sua bene exprimenda: in quo tamen casu sicut illius, ita & aliorum peccata cadunt sub sigillum, ut paulò antè dictum; atqui ex

peccatis sub sigillo contentis potest quilibet pœnitens dare licentiam sua tantum revelandi, non aliorum *sup. n. 197.* ergo &c. Tum quia etsi hoc modo confessio non fiat pœnitenti odiosa (quod solum adversarii considerant) sit tamen aliis odiosa, ita ut & ipsi ab ea abhorreant, & alios ab eadem impediunt, v. g. Domini fervos, mariti uxores, & complex complicem, si sciant in confessione posse sua occulta delicta ab aliis pro suo arbitrio revelari. Tum quia, ut fatentur adversarii, pœnitens non potest dare, nec confessarius acceptare, vel usurpare licentiam, complicem monendi, corrigendi &c. vel aliis, qui corrigant, manifestandi, nisi tantum, cum id ordo in correctione fraterna servandus permittit, atqui ad hunc finem pœnitens potest complicem ejusque delictum manifestare extra confessionem, neque deinde confessarius opus habet ullâ ejus licentiâ.

Imò si pœnitens, qui complicem ejusque peccatum (sive bene, sive male) detegit in confessione ad sua peccata melius exprimenda, simul etiam in eadem petat, ut confessarius per se, vel per alios corrigat complicem; tunc ista petitio utpote impertinens ad confessionem ejusque prorsus extranea, non cadit sub sigillum; ergo etiam si in confessione & inter confitendum fiat, potest confessarius perinde atque si extra facta fuisset, complicitis peccatum ipsi vel aliis revelare, & per se vel alios corrigere. Et neque hâc licentia pœnitentis necessaria est, nisi fortè tantum ided, quia in correctione complicitis involvitur aliquod periculum relevandi etiam peccatum pœniten-

tis. Atque hoc solum videntur velle adversarii, & nemo negat.

Quia tamen communiter gravia scandala aliâque incommoda oriuntur, & raro fructus aliquis sequitur, si complex agnoscat, vel suspicetur occultum suum delictum confessario, vel per confessarium aliis: qui ipsum corrigunt, innotuisse tantum dependenter ab ipso complice ejusque confessione; ided omnes monent, confessarium etiam cum pœnitens instanter rogat, non debere facile in se suscipere hoc onus. Tamb. *l. c.* multò minus tutum esse, si ipse ultro à pœnitente petat licentiam; quia timendum est, ne illa tantum ex metu reverentiali adeoque invalidè concedatur. *sup. n. 197. v. Debet esse. Dicat. l. c.* Vide *Dian. p. 5. tr. 11. Res. 39.* optimè pro nostra sententia dissentientem.

231. IX. Frangit sigillum, qui circumstantias, personam pœnitentis concernentes ex ejus confessione cognovit, & sine ejus licentia revelat, dicendo v. g. eum esse Principem, Comitem, Sacerdotem, Religiosum, Prætorem, Mercatorem, Opificem, Conjugatum, Militem &c. & multò magis dicendo, eam habere tales & tales defectus, sive jam naturales, ut est morbus, debilitas &c. sive civiles, ut est esse servum, illegitimum, ignobilem, pauperem, gradu literario carentem &c. sive morales, ut est esse agrestem, asperum, tenacem sui Judicii &c. sed cum hac duplici limitatione; si pœnitens tale quid in ordine ad sua peccata melius explicanda manifestavit; & cum non sit palam notum, nolit ab aliis sciri, sive absolutè, sive hoc

tem-

tempore, loco &c. sicut præsumitur nol-
le ex prædictis sciri ea, quæ sunt postero-
ris generis seu defectus; sæpe etiam ea,
quæ sunt prioris generis, quia illius in-
terest, ne ab aliis, saltem jam vel hinc
agnoscantur. Quodsi autem prædicta
sint alicubi palam nota, neque pœnitens
agrè ferat etiam hinc ab aliis sciri, & con-
fessario indicet, ut, si fortè adhuc eum la-
terent, etiam ipse resciret; tunc ea reve-
lare non est contra sigillum. Et talia com-
muniter censentur illa, quæ sunt prioris
generis, Lug. cit. *Disp.* 23. à n. 54. Tamb.
de conf. lib. 5. cap. 3. à n. 11.

232. X. Quodsi prædictos vel similes
defectus pœnitens non confiteatur, sed
tamen in ipsa confessione exerceat & com-
mittat, docet Lug. n. 60. eumque sequi-
tur Gobat, *tr.* 7. n. 792. nullo modo illos
cadere sub sigillum, quia confessarius il-
los non audit, sed videt, nec sunt ma-
teria confessionis. Sed Tamb. *de Conf.*
lib. 5. cap. 3. §. 10. n. 18. negat hoc esse pro-
babile; & rectè docet, etiam hinc atten-
dendum esse, an defectus sint aliis pa-
lam noti, vel non; & an pœnitens agrè
vel non agrè ferat patefieri. Nam sicut
ea, quæ pœnitens dicit in ordine ad sua
peccata explicanda; ita & ea, quæ inter
confitendum agit & facit, vel alio mo-
do detegit, sed ideo tantum, quia sine iis
ob aliquam corporis vel animæ indispo-
sitionem, consuetudinem &c. aliter non
potest commodè peccata enarrare, pos-
sunt, si sine ejus licentia revelentur, Sa-
cramentum Pœnitentiæ facere odiosum;
atque omne id, quod Sacramentum Pœ-
nitentiæ potest facere odiosum ratione
revelationis, & est ex sola confessione
notum, cadit sub sigillum; ergo potest

confessarius frangere sigillum, dicendo
v.g. Cajum esse indoctum, indocilem,
sui capitis, animi perplexi, anxii &c. non
bene gnarum linguæ latinæ, Mysteriorum
fidei &c. si hæc ex sola confessione no-
vit, aliis autem non sint palam nota, &
pœnitens quoque nolit aliis patere; sicut
præsumendus est nolle.

Dixi autem: *quia ideo agit, quia sine iis
non potest* &c. Nam si pœnitens inter
confitendum deliberatè & malitiosè sol-
licitet v. g. Confessarium ad turpia, mi-
netur ei mortem &c. tunc ea non cadunt
sub sigillum, potestque confessarius hac
notitia liberè, & licitè uti ad ejusmodi pœ-
nitentem fugiendum, denuntiandum &c.
ut rectè docet Lug. n. 116. & nos liben-
ter ei etiam concedimus, notitiam illo-
rum non esse ex confessione acceptam;
cùm non sint talia; quæ pœnitens inter
confitendum ideo facit, quia sine iis non
potest hinc & nuncaliter sua peccata com-
modè enarrare. Debet ergo hæc dispa-
ritas inter ista & illa bene observari. Vide
infra n. 259.

233. Idem ferè est de materia, seu
objecto, circa quod pœnitens confitetur
se deliquisse, dicendo: 1. Invidi Cajo
mercatori magnum lucrum in nundinis
factum. 2. Gavissus sum, Titium meum
hostem esse occisum. 3. Maledixi Ma-
vio Domino meo propter ejus asperita-
tem. 4. Iratus fui Sempronio ob com-
missum ejus adulterium. 5. Habui com-
placentiam de furto, vulnere &c. quod
olim feci Mutio. 6. Pro hac & hac spe-
ciali gratiâ DEI fui ingratus; ex recor-
datione talis & talis mihi factæ revela-
tionis aut apparitionis, elicitus actus heroi-
ci &c. habui vanam gloriam &c. Si e-
nina

nim pœnitens ob metum alicujus incommodi, confusionis, vel aliam causam nolit revelari, Cajum fecisse in nundinis lucrum, Titium esse occisum, Mævium esse hominem asperum, Sempronium esse adulterum, vel Mutium fuisse aliquando furto vel vulnere læsum, se habere tales gratias divinas, virtutes &c. tunc confessarius, qui id advertit, & tamen aliquid horum ex sola confessione sibi notum patefacit aliis, verè frangit sigillum. *sup. n. 191.* Si autem advertat pœnitentis nihil interesse, nec ab eo curari ejusmodi patefactionem, tunc sigillum quidem non frangit, potest tamen adhuc peccare contra Justitiam, si occulta aliorum delicta manifestet, v. g. Mævii asperitatem, Sempronii adulterium &c.

Quodsi pœnitens virtutes suas, & gratias divinas in confessione explicet non ratione alicujus peccati circa illas commissi, sed tantum ut status animæ suæ sit confessario melius perspectus, tunc nullo modo cadunt sub sigillum, sed tantum sub secretum naturale; quod quandoque ex justa causa etiam sine licentia pœnitentis potest revelari. Et sic intelligenda sunt dicta *sup. cit. n. 191.*

§. IV.

Resolutiones de indirecta violatione sigilli.

234. Indirectè violat sigillum, qui extra confessionem aliquid dicit, vel facit positivè aut negativè, vel aliud signum edit, unde alius certæ personæ peccatum, vel simile quid, quod sub sigillum cadit, & ipse ex sola confessione novit, potest agnoscere, aut prudenter colligere, vel saltem

suspiciari *sup. n. 192.* adeoque sigillum indirectè frangit

I. Qui simpliciter dicit, *Cajum v. g. sibi confessum esse, sed non absolvisse.* Ratio, quia etsi ob multas alias causas fieri possit, ut confessarius aliquem non absolvat; apud omnes tamen ex hoc dicto ita simpliciter prolato oritur suspicio, id factum esse ob aliquem gravem defectum pœnitentis. *Fag. Præc. 2. lib. 6. cap. 5. n. 9. Coninch. cit. Diss. 9. n. 14. Laym. lib. 5. tr. 6. cap. 14. n. 8. Lug. Diss. 23. n. 84. & alii sup. n. 182. contra Cajet. Armill. Henriquez.* Debet ergo necessariò adjungi semper causa aliqua, quæ in nullo pœnitentis gravamen cedat, v. g. *ex mea oblivione, occupatione &c.* Unde nec licet dicere: *non absolvi Cajum ob interveniens impedimentum:* contra Palao *de pœnit. p. 19. §. 3. n. 3.* vel *ob defectum materia:* contra Lugo. *l. c.* nisi constet impedimentum illud non fuisse aliquam culpam pœnitentis, sed ipsius vel confessarii v. g. infirmitatem corporalem, occupationem celebrandi, concionandi &c. & nisi constet defectum materiæ provenisse tantum ex innocentia pœnitentis, non ex ejus imperitia, impœnitentia, neglectu examinis &c. *Fag. cit. n. 9. in fine. & Dian. p. 5. tr. 11. Res. 42. Dicast. l. c. n. 112.* & fortè etiam hoc solum vult Palao & Lugo.

Interrogatus proinde an eum, quem non absolvit, absolverit, non potest respondere affirmativè, quia mentiretur; nec negativè, quia indirectè frangeret sigillum: solum ergo hoc dicere potest: *illum esse confessum, & se fecisse suum officium.* *Reginald. lib. 3. n. 48. Lugo n. 85.* ubi etiam addit, si pœnitens ipse se non fuisse

fuisse absolutum fateatur, confessarium non posse respondere: *ipse ita dicit*: quia hoc modo dictum penitentis videretur approbare, & eo ipso significare, quod eum non absolverit. Sed hoc ita limitandum censeo, nisi penitens coram ipso confessario id diceret; quia tunc ipso facto daret confessario licentiam, id etiam revelandi. *sup. n. 197.* Si publicus peccator confessus, sed non absolutus, petat postea à confessario Evcharistiam & dicat, se fuisse ab eo absolutum, non potest confessarius ullo modo falsitatis eum arguere; potest tamen & debet ei Evcharistiam publicè petenti negare, dicendo de absolutione hinc jam non agitur; sed tu, cum sis publicus peccator, debes ante communionem publicam etiam publicè ostendere, te mutasse tuum malum statum. *Reginald. l.c. n. 51. Lug. l.c. n. 88.* Quid agendum, si iste privatim, vel si occultus tantum peccator petat, dicam *inf. n. 251.*

Ex quibus constat, quod Parochi & alii, cum alicui moribundo Sacrum viaticum vel extremam unctionem dare debent, non rectè interrogent confessarium: an illum absolverit; quia si fortè non absolvit, conjiciunt confessarium in periculum frangendi sigilli, cum apertè respondere non possit. Hoc solum ergo interrogent: an æger sit confessus. *Reginald. cit. n. 51.*

235. II. Qui schedam factæ confessionis testem, quam passim aliis dat, negat illi, qui, postquam sua peccata, saltem aliqua, verè cum animo se de iis accusandi manifestavit, sed ob aliquam sui indispositionem absolvi non potest, eam petit; maximè si debeat aliis exhibere.

*Fagund. Prac. 2. lib. 6. cap. 4. n. 40. Coninch. l.c. Laym. cit. cap. 14. n. 8. Dian. p. 5. tr. 11. Res. 22. cum multis aliis contra Bonac. tom. 1. Diss. 5. q. 6. sect. 5. p. 4. n. 7. Lug. l.c. n. 87. Dicast. l.c. n. 119. & alios, quorum aliqui, uti & Henriquez apud Fag. putant, esse in optione Confessarii pe itam schedam dare vel non dare. Sed ratio nostræ assertionis est clara. Nam omnes, qui sciunt confessarium passim suis penitentibus dare ejusmodi schedam, & simul sciunt, Cajum v.g. ipsi etiam esse confessum, schedamque petisse, sed confessarium ei negasse, ex ipsa ista negatione in his circumstantiis factâ sufficienter agnoscunt, vel certè meritò suspicantur, Cajum ob gravem suam culpam fuisse judicatum schedâ indignum, & non esse absolutum; atqui contra sigillum est non tantum si quid tale verbo (ut videretur velle Lugo) sed etiam si factò aliòve signo prodatur. *cap. omnis utriusque. 13. de penit. & remiss.* Et verè Confessarius tenetur tali penitenti, si petat, Evcharistiam dare; cur non & schedam?*

Dando autem schedam Confessarius non approbat Confessionem, ut putat Lugo; sed tantum testatur, eum esse confessum; quod verum est. Unde nec mentitur; & si penitentem debite dehortetur ab omni abusu schedæ; non censetur cooperari ulli ejus malo: imò confessarius potest & debet dare schedam publico quoque peccatori, etiam perseveranti in suo malo statu, si tamen iste dicto modo confessus sit; quia per schedam testatur de confessione tantum, non de emendatione.

Quod si

Quod si quis simul et tantum se confiteri, tunc & potest & deberi negari petita scheda. *sup. n. 220.* potestque Confessarius, sicut de quovis alio, ita & de illo (cavendo tamen ejus infamiam) dicere: *Iste non est mihi confessus*; quia hoc non novit, nec dicit ex ejus confessione, cum nullam fecerit, sed tantum simulaverit se facere. *Tamb. de Conf. lib. 5. cap. 3. §. 9. n. 16.*

236. III. Qui, cum ex sola Confessione Titii intellexit, ab ipso esse occisum Mævium; deinde dicit, Titium adfuisse, vel: non longè abfuisse, cum occideretur Mævius. *Coninch. l. c. n. 14.* Reddit enim Titium suspectum de homicidio & exponit illum periculo, ne à Magistratu ut conscius vocetur ad Examen, in eoque delictum ipsius manifestetur.

237. IV. Qui pœnitentiam à se personæ determinatæ impositam revelat, si quidem sit gravis. *Lug. cit. Disp. 23. n. 89.* Nam omnes, qui audiunt, statim inde colligunt pœnitentem graviter peccasse; quia pœnitentia gravis non solet nisi pro gravi culpa imponi. Et hinc *Dian. p. 5. r. 11. Ref. 31.* meritò pro violatore sigilli habuit, qui dixit de aliquo certo homine, se illi pro pœnitentia injunxisse recitationem Coronæ B. V. Idem est, si Confessarius injungat alicui pœnitentiam gravem, quam non aliter quàm coram aliis peragere potest: nisi pœnitens expresso, & libero consensu acceptet. *Fag. cit. lib. 6. cap. 5. n. 14.*

Quod si pœnitentia, quam quis dicit se illi vel illi imposuisse, sit tantum levis, qualis ordinariè pro solis venialibus solet injungi, v. g. *Psalmus brevis*, vel unum *Pater & Ave*; Imò juxta *Dian.* etiam

unum *Miserere*, aut *quinque Pater & Ave*, tunc sigillum non frangi censent DD. communiter. Sed quia hoc æquivalente est idem ac dicere: *iste vel iste est confessus venialia*, ut ait *Lugo*; ideo sicut istud, ita & illud potest quandoque esse contra sigillum, de quo *sup. n. 224.* Et quia dicere, se alicui injunxisse *Miserere*, vel *quinque Pater & Ave*: semper indicat, eum saltem venialia, quæ sint vel multa vel gravis, commisisse, semper id erit contra sigillum, ut etiam dictum *sup. n. 191.* & observavit *Dicastillo n. 122.* Ad quod fortè *Dian.* se non reflexit.

238. V. Qui de suo pœnitente dicit, illum hoc vel istud peccatum, quod fecisse constat, vel constare poterit, non esse confessum. *Laym. cit. cap. 14. n. 6. v. simile. Palaode pœnit. Disp. un. p. 19. §. 3. n. 2.* quia reddit pœnitentem suspectum de Confessione non integrè, adeoque malè facta. Et hinc cum ex duobus pœnitentibus ille, qui prius confitetur, se non accusavit de peccato, quod posterior fatetur se cum illo commisisse, franget Confessarius sigillum, si verbo vel factò ostendat, priorem id non fuisse confessum. *Fag. cit. lib. 6. cap. 4. n. 37. in fine.* ubi monet, hoc esse pro praxi valde bene notandum Confessariis. Sic & cum de delictis magnatum, officialium, mercatorum, conjugum &c. fiat quandoque mentio coram eorundem Confessariis, facilè accedere potest, ut isti tunc prorumpant & dicant, eostalia non confiteri, non esse confessos, &c. agantque hoc modo contra sigillum.

239. VI. Qui coram aliis dicit: *Hodie mulier, miles, parochus, &c. confessus est tale & tale peccatum*; quia etiam non

non nominet personam pœnitentis, exprimendo tamen ejus qualitatem, & circumstantiam temporis, jam dicit & facit aliquid, unde persona pœnitentis possit vel verè agnosci, vel in suspensionem venire. Fag. l.c. cap. 5. n. 13. ergo exponit se periculo frangendi sigilli sine justa causa, & hoc ipso peccat contra sigillum. vide *sup. n. 205. & 226.*

240. VII. Qui, cum de duobus vel pluribus suis pœnitentibus vel ipse ultrò loquitur, vel de iis alii loquuntur, unum vel unam valde laudat, & commendat ab innocentia, nullum adhuc commississe peccatum mortale, habere adhuc inviolatam castitatem, fugere omnia ejus pericula, quoad loca, personas &c. istam matronam esse optimam, virtuosissimam, istam ancillam fidissimam, piissimam &c. de aliis autem suis pœnitentibus, de quibus eadem tunc est loquendi occasio, nihil dicit, sed tacet. Reginald. l. 3. n. 50. Fag. cit. lib. 6. cap. 5. n. 5. Laym. cit. cap. 14. n. 7. Palao cit. p. 19. §. 3. n. 2. quia Confessarius hoc ipso modo loquendi de uno, & tacendi de aliis præbet audientibus & videntibus occasionem suspicandi, quòd ceteri ejus pœnitentes amiserint innocentiam, peccaverint mortaliter, violaverint castitatem &c. Et quamvis non omnis ille, qui de pluribus loquens dicit, hunc esse optimum, virtuosissimum &c. censetur propterea indicare, alios esse malos, vitiosos &c. communiter tamen censetur id indicare Confessarius, si ita loquatur de pluribus suis pœnitentibus; sive jam simul, & eodem tempore, ut vult Fag. l.c. sive etiam diverso, & hodie de uno, cras & aliis diebus de alio atque alio; cum etiam sic videatur lo-

R. P. Szoz Trib. Pœnit. Lib. II.

qui de uno comparative & respectivè ad alios.

Debent proinde Confessarii omnino valde cavere, ne de suis pœnitentibus tam inæquali modo loquendi utantur: nisi, ut Palao limitat, specialis aliqua ratio subsit; qualis v.g. esse potest, si de aliis quidem etiam mentio fiat, sed aliquis singulariter de illius tantum, quem promovere cogitat, laude interroget, & Confessarius propterea illum solum laudet; sed absolute, non comparative. Nam dicendo ex sola Confessionis notitia, illum esse aliis meliorem, esset contra sigillum. Vel nisi, ut Dicast. cit. Disp. 12. n. 98. limitat, excessus bonitatis in uno præ aliis sit tantus, ut cuius, qui cum illo agit, statim pateat, & propterea aliis nihil deroget.

Et sic excusari potest Confessarius, qui cum unius valde pii ex suis pœnitentibus vita scribenda est, dicit Historico, eum nunquam peccasse mortaliter. Si autem, cum postea alterius quoque vita ex ejus pœnitentibus suscipitur describenda, rursus de testimonio conveniatur, & simile non det, aut tergiversetur dare, non video, quomodo indirectam sigilli violationem satis evitet.

241. VIII. Qui dicit, Cajum sibi esse confessum, vel se illum absolvisse, etsi ordinariè non frangat sigillum, ut dictum *sup. n. 224.* potest tamen sæpe fieri, ut violet Secretum naturale; imò & ut sigillum quoque frangat indirectè. Reginald. lib. 3. n. 54. Dian. p. 5. tr. 11. Res. 47. Si enim Cajus v.g. clam, & in occulto alicui alteri, quam suo ordinario confiteatur, simulque vel expressis verbis roget, vel ipso clanculario suo accessu in-

T

dicet

dicet se velle, ut nemini id pateat; tunc Confessarius manifestans aliis, sibi illum esse confessum, peccat contra Secretum naturale; & frangit simul etiam indirectè Sigillum, quia sic ingerit aliis suspicionem de gravi aliquo peccato Caji; cum communiter pœnitentes cenſentur propterea ita clam subterfugere suos ordinarios, si de nulla alia causa constet. Et verò vel maximè frangit ille, qui cum non sit ordinarius Confessarius Regularium, dicit tamen sibi confessum esse hunc vel hunc Religiosum, si de isto constet, quòd ordinario, cui semper solet, etiam tunc potuerit confiteri, nec alteri possit sine speciali licentia superioris. Audientes enim statim concipiunt suspicionem, id factum esse ob aliquem catum reservatum. Lugo cit. *Disp. 23. n. 65.* Quod si quis aliquando, ordinario suo Confessario præterito, confiteatur alteri, sed palam coram aliis, vel in loco publico, tunc neque illi qui vident, neque Confessarius quidquam agit contra sigillum, si aliis id etiam manifestent, quia hoc ipso, quòd præsentibus aliis, vel in publico confiteatur, dat omnibus videntibus licentiam id manifestandi. Unde

242. IX. Qui dicit de aliquo suo pœnitente, Confessionem illius fuisse valde longam, durasse tot, & tot horis, diebus &c. frangit indirectè sigillum, si pœnitens clam & in loco secreto fuit confessus, nolitque id ab aliis resciri; quia hoc ipso Confessarius occasionem præbet suspicandi ipsum multa peccata habuisse. At verò si pœnitens in loco publico v. g. templo, Sacristiâ, vel alio passim pervio faciat suam Confessionem, tunc ipso facto dat & Confessario, & aliis eum in con-

fessionalibus videntibus licentiam liberè de eius durtinitate loquendi. Nemo enim vult ea servari in secreto, quæ ipse scienter & voluntariè dicit, vel agit in publico. Vide Gobat *tr. 7. n. 927.*

Plures alios casus, qui huc pertinent, involvit illa non minùs celebris, quàm ob varias DD. valde inter se discordantium opiniones intricata Quæstio.

SECTIO V.

De usu notitiæ Confessionis.

243. Tota difficultas, & opinionum varietas inde videtur promanare, quòd multi, quæ de servando sigillo unacum aliis tradiderunt universaliter, hinc variis limitationibus putent alteranda vel immutanda. Omnia enim satis plana erunt, si firma fixaque maneant, ut omnino manere debent, jam supra posita fundamenta, quæ hinc amplius confirmare expedit.

§. I.

Generalia Principia de usu notitiæ Confessionis.

I. Nunquam licet aliquid, quod ex sola Confessione cognitum est, & sub sigillum cadit, v. g. peccatum unacum persona pœnitentis sine ejus licentia directè vel indirectè revelare aliis *sup. n. 192.*

II. Nunquam etiam licet ulli, ut verbo vel facto, directè vel indirectè præbeat ipsi pœnitenti extra Confessionem sine ejus licentia indicium, aut occasionem prudenter suspicandi, se illius peccatum, vel aliud, quod sub sigillum cadit, & ex sola Confessione notum est, scire; sive

sive jam dicamus, hoc esse revelationem & contra sigillum, sive non. *sup. n. 193.* vide etiam *Dicast. cit. Disp. 12. n. 143.*

244. III. Cùm sigillum ejusque obligatio sit à Christo Domino Confessione Sacramentali unice ob hunc finem annexa, ut Sacramentum Pœnitentiæ fidelibus non esset nimis onerosum & odiosum; *sup. n. 184.* indèque omnes rectè deducant, sub sigillum cadere, & vi illius prohiberi, ne ullo modo directè vel indirectè sine licentia pœnitentis reveletur quidquam eorum, quæ ex sola illius Confessione sunt nota; & illum, si revelarentur, afficerent aliquo quocunque incommodo, pudore aut molestia. *sup. n. 191.* Clarum sanè est, apertèque constat, vi sigilli etiam prohiberi, ne quis propter ea, quæ ex sola Confessione Sacramentali novit, quidquam extra eam etiam seculâ omni revelatione agat vel omittat sine licentia pœnitentis, quod illum quocunque incommodo sive justo, sive injusto afficere potest. *Sanch. de Matr. lib. 3. Disp. 16. n. 3. & 4. Coninch. Disp. 9. n. 64. Fag. Prac. 2. lib. 6. cap. 3. n. 1.* ubi ait, hanc sententiam esse hoc tempore communiorem. *Laym. l. 5. tr. 6. cap. 14. n. 23. v. Atque. Lug. l. c. n. 102. Dicast. l. c. n. 146. Palao de pœnit. Disp. un. p. 19. §. 3. n. 20. Tamb. de conf. lib. 5. cap. 6. §. 2. n. 7.* & multi alii, quos refert *Fag. l. c. v. Et hanc.* contra plurimos alios à *Fag. l. c. cap. 2. n. 2.* & *Sanch. l. c.* re-
latos.

Probatio desumitur non tam à paritate, quàm ab identitate rationis inter utrumque; sicut & ab illa, quâ ostendimus sigillum esse annexum Confessione non tantùm strictè & propriè, sed etiam la-

tè & quasi Sacramentali. *sup. n. 183.* Nam revelatio eorum, quæ ex sola Confessione sunt nota, si sine licentia pœnitentis fiat cum aliquo ejus incommodo, est ideo vi sigilli prohibita, quia reddit Sacramentum fidelibus odiosum; atqui usus notitiæ ex sola Confessione acceptæ si extra eam fiat cum aliquo pœnitentis incommodo sine ejus licentia (quamvis etiam fiat absque omni revelatione Confessionis, & ita clam vel sub tali prætextu, ut nec pœnitens, nec alii advertant; modò sciatur illum licitè posse fieri) reddit Sacramentum fidelibus valde odiosum, ab eoque vehementer absterret. Quis enim non horreat, & non meritè omittat confiteri occultum suum peccatum alteri, si sciat, se propter illud posse deinde licitè ab altero privari suo officio, beneficio, vel secreto quodam suffragio ad assecutionem alicujus v.g. dignitatis necessariò, amoveri loco, expelli domo, excludi à consortio, impediri à susceptione Ordinis, vel alterius Sacramenti, à promotione ad aliquem gradum, officium &c. Certè omnes mallent, & æquius ferrent revelari quodvis aliud suum peccatum confessum, quàm propter hoc vel illud talibus incommodis esse expositi.

Unde etiam tertium hoc Fundamentum optimè confirmatur. Nam ex contraria sententia sequitur, Reservationem caluam, quæ magnopere ad populi Christiani disciplinam pertinet. *Trid. sess. 14. cap. 7.* esse ferè frustraneam; quia habens casum reservatum non tenetur sistere superiori, si prudenter possit inde sibi timere grave damnum ipsi Confessione extrinsecum. *Reginald. lib. 8. n. 43.*

Coninch, de Sacram. Disp. 8. n. 108. Lugo de pœnit. Disp. 20. n. 235. ex communi consensu omnium: atqui vel nunquam vel rarissimum erit, ut pœnitens non possit sibi prudenter timere tale damnum, si etiam cum ejus incommodo possit superior licitè uti notitiâ ex Confessione accepta.

245. Et verò Clemens VIII. in Decreto de Casuum reservatione edito 1593. 26. Maji S. 4. (ut habetur in Bullario novo tom. 4. & inter Bullas Urbani VIII. est 28. 1. ferrurque à Laym. Tan. Palao. Dian. & aliis passim, alium tamen editionis annum & diem assignantibus) ferrò mandavit, ut tam superiores pro tempore existentes, quàm Confessarii, qui postea ad superioris gradum fuerint promoti, diligentissimè caveant, ne eâ notitiâ, quam de aliorum peccatis in Confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur. Et licet hoc Decretum loquatur tantùm de superioribus Regularium, & externâ gubernatione, inde tamen rectè deducitur, idem etiam esse de omnibus aliis Confessariis, & aliis externis actionibus sentiendum, ut *num. seq. dicam.*

Certè Claudius Aquaviva Generalis Societatis JESU jam An. 1590. adeoque ante Clem. VIII. severè statuit in *Instr. 5. & Ordinat. com. cap. 21.* ut omnes Superiores diligenter caveant, ne vel ipsi vel nostrorum aliquis doctrinam, (quòd liceat uti notitiâ Confessionis) uspiam introducant, neque illam publicè aut privatim doceant, neque eâ utantur ullo modo. Rationes sui statuti dedit istas: 1. quia hæc doctrina requirit tantam circumspèctionem, quam servare sit per-

difficile; 2. quia impedit libertatem & fiduciam sinceræ Confessionis; & 3. quia rerum humanarum regimen nullatenus debet à Sacramento pœnitentiæ dependere.

Ait quidem Tan. tom. 4. Disp. 6. q. 9. n. 143. v. *Quâ ratione.* se reperisse Reipontum ab eodem Generali postea An. 1603. in Germaniam missum, in quo ille declaraverit, mentem suam fuisse, in prædicto Statuto ulum notitiæ ex Confessione in iis tantùm prohibere, quæ pertinent ad Regimen & Gubernationem. Sed cùm de hac declaratione alii DD. qui post Tan. scripserunt, nihil meminissent; neque ea satis cohæreat cum rationibus in Statuto expressis; neque congruat verbis illis: *ne vel ipsi* (superiores) *vel nostrorum aliquis* (non superior) *eâ utatur ullo modo;* ideo aliorum Judicio relinquo, quid de ea sentiendum sit. Certè Dicast. & Dian. qui Tannerum n. 140. legerunt, adhuc mirantur, eum à tenore Statuti recessisse. Non potuerant autem apud eundem n. 143. ubi de declaratione illa meminit, non legisse; cùm proximè sequatur; & Regula, per quas Tannerus mentem suam explicat, ab uno loco usque ad alterum continuata se extendant.

246. Verum quidem est, sententiam prædicto tertio Fundamento contrariam fuisse olim communissimam inter Theologos & Canonistas, secutos S. Thomam & Scotum, quibus eum etiam Tan. tom. 4. Disp. 6. q. 9. n. 140. & seqq. docet, Confessarium posse licitè uti notitiâ Confessionis ad proprium suum bonum, vel pœnitentis, vel alterius privati hominis, vel etiam communitatis, si quidem id faciat

R. Sto

Tribu
Pœnitentia
Eius
1. 1. 1.

faciat 1. ita clam vel sub tali prætextu, ut neque directè neque indirectè reveletur sigillum, nec sit periculum revelandi; 2. sine omni, sed injusto tantùm, pœnitentis gravamine; 3. ex gravi causa seu utilitate; & 4. non sit talis usus ei specialiter Jure vel præcepto aliquo humano prohibitus. Alii aliter hanc sententiam declarant, & in deductis inde Resolutionibus multùm discordant.

Sed Dicast. *Disp. 12. n. 140.* asserit, sententiam istam jam non amplius posse sustineri post Decretum Clem. VIII. quia Pontifex, cùm in §. 4. illius Decreti superioribus Regularium usum notitiæ, ex Confessione acceptæ, prohibeat ad externam gubernationem, & quidem *illimitatè*, ut faretur Tan. *l. c. n. 143. v. Regula III.* unacum aliis adversariis, adeoque in omni casu; omnino supponit, ejusmodi usum debuisse jam antè à Jure naturali & divino fuisse prohibitum; cùm nullum Jus aut Præceptum humanum etiam Pontificis se solo possit obligare in omni casu. Si autem Jure naturali & divino prohibitum est superioribus, uti notitiæ Confessionis ad externam gubernationem, tunc eodem Jure videtur etiam prohibitum esse omnibus aliis illâ uti ad alias externas actiones pœnitenti ingratas & molestas; cùm respectu omnium sit eadem ratio, idèmq; periculum mali; sicut jam antè Dicast. bene obtinuit etiam Card. Lug. *Disp. 23. n. 94. & 95.*

Rationes quoque quibus eadem sententia innitur, non urgent. In primis enim dicunt, sigillo nihil prohiberi nisi revelationem. Sed contrarium ostensum est *num. 244.* Deinde ajunt, neminem per audicionem Confessionis priva-

ri Jure suo. Et neque nos hoc negamus. Cùm autem subsument: atqui Confessarius ante auditam Confessionem habuit Jus & obligationem negandi v. g. indigno suffragium occultum in Electione ad Prælaturam &c. ergo habet etiam post auditam Confessionem. Respondetur cum dist. Antè habuit Jus negandi suffragium indigno, si indignitatem illius aliunde novit, concedo; si ex sola Confessione novit, nego; ergo idem Jus, quod antè habuit, & non habuit, habet, & non habet etiam postea. Et hæc nostra distinctio adhibetur à multis ex ipsis adversariis quoad obligationem negandi suffragium indigno, ajuntque Confessarium, sicut antè, ita etiam post esse obligatum negare suffragium indigno, si aliunde; non enim si ex sola Confessione noverit esse talem. Tan. *l. c. n. 143.*

247. Ex quibus omnibus meritò statuitur hic fundamentalis & universalis ista Regula: Licitum est uti notitiâ Confessionis, si & sine omni periculo revelandi sigillum, & sine omni pœnitentis incommodo fieri possit; illicitum autem est, si alterutrum interveniat. Unde jam sunt seqq.

§. II.

Resolutiones particulares de licito usu notitiæ ex Confessione.

248. I. Licitum est uti notitiâ Confessionis ad hoc 1. ut quis oret DEUM pro suo pœnitente. 2. ut de auditis in Confessione consulat libros aut homines doctos ad proprium profectum in scientia. 3. ut discat alios meliùs juvare & dirigere, 4. ut ipse vitet loca, pericula,

personas, ludos, cibum, potum &c. quæ ex Confessione novit fuisse pœnitenti occasionem peccati, aut damni in bonis corporis, fortunæ &c. 5. ut moribus & genio hominum ex Confessione notis se accommodet &c. Coninch. *Disp.* 9. n. 58. Lug. n. 101. quia ejusmodi usus nec involvit ullum periculum revelationis, ut pono; nec pœnitenti ullum affert incommodum, adeoque etiamsi usus iste notitiæ Confessionis sciatur esse licitus, Sacramentum tamen Pœnitentiæ nemini reddit odiosum aut difficilius, quàm per se sit.

249. II. Licitum est ulterius etiam uti notitiâ Confessionis ad hoc. 1. ut quis de peccatis ex sola Confessione cognitis concionetur; modò non dicat, sibi ex Confessione esse nota, propter scandalum & periculum revelationis. *Fag. Præc.* 2. lib. 6. cap. 2. n. 4. vel cœtus, coram quo concionatur, non sit valde parvus. v. g. Novitiorum, Monialium &c. *Dian. p. 5. tr. 11. Res.* 36. *Et sup.* n. 227. 2. ut, cum audit homicidam v. g. esse captum, interroget ideo, quis ille sit, quia Cajus non pridem ipsi confessus est homicidium: modò tamen ita cautè interroget, ut Cajum non reddat suspectum, vel aliter incommodando lædat. Vide Gobat *tr. 7. q. n.* 920. 3. Ut pœnitentem interroget de peccato ex sola complicitis Confessione noto: modò illi de hujus Confessione nullam suspensionem moveat. *Palao de pœnit.* p. 19. §. 3. n. 18. de quo nos *sup.* n. 104. *Et* 230. Ratio horum est, quia etiam iste usus notitiæ Confessionis nec revelat sigillum, nec pœnitenti est incommodo. 4. ut Confessarius vel Superior remittat rigorem, cor-

rigat parsimoniam, vel modum suum agendi, quem pœnitenti vel subdito ex sola ejus Confessione novit esse ingratum, etiamsi ille advertat propter confessâ suâ peccata id fieri. *Lug. l. c.* Sed ego hunc usum idèò solum concedo esse licitum, quia pœnitens ipso facto dat licentiam illius. *sup.* n. 197. 5. ut signa majoris amoris exhibeat pœnitenti ob ejus innocentiam, ut familiaritè agat cum illo ob illius erga se confidentiam, vel ob spiritualem ejus indigentiam ex sola Confessione notam. *Lugo n.* 102. *Tamb. de Conf.* lib. 5. cap. 6. §. 2. n. 2. & sequitur Gobat. Sed neque hæc admitto, nisi pœnitens verbo aliquo vel facto ostendat se consentire: quia per hæc Confessarius indicat extra Confessionem se nôsse, quæ in ea pœnitens manifestavit, & sub sigillum cadunt; ergo non sunt tantum *locutio indirecta*, ut vult *Lug. n.* 103. sed etiam sunt aliqua revelatio sigilli, nec possunt fieri sine licentiâ pœnitentis. Non sufficit autem præsumpta, sed debet esse verbo vel facto expressa. *sup.* n. 197. Certè experienciâ constat, non omnes, qui confidenter alicui Confessario gravia sua peccata vel innocentiam manifestant, etiam semper externam ejus benevolentiam vel familiaritatem habere acceptam. Univerſim autem

§. III.

De usu notitiæ ex Confessione illicito ob revelationem sigilli.

250. III. Illicitum est, ut Superior v. g. ob peccatum pœnitentis ex sola ejus Confessione notum fores, per quas iste noctu egrediebatur, obstruat; ut locum,

R. Sto

Tribu
Pœnitentiæ
Eius
S. I. I.

cum, in quo peccabat, sæpius visiter; ut arcam vel cellam, ex qua furabatur, melius custodiat &c. & quidem non tantum, si hæc faciat Superior eo modo, ut alii advertant, vel rationabiliter suspicentur, propter peccatum confessum fieri, quia sic omnes fatentur revelari sigillum; sed etiam, si faciat eo modo, ut vel solus pœnitens id advertere, aut rationabiliter suspicari possit. Sicut enim aliis, ita etiam ipsi pœnitenti sine ejus licentia non possumus ejus peccatum ex sola Confessione notum extra eam ullo verbo aut facto indicare. Lug. *an. 95.* Dicast. *n. 143.* & nos *sup. n. 193.* sive jam talem indicationem vocemus Revelationem sigilli, sive non: quod ad quæstionem nominis pertinere potest.

Mirum proinde est, quomodo Palao, Tamb. & Coninch mox citandi, alique plures, qui hoc ipsum fundamentum nobiscum tenent, fuerint hinc in contrarium abrepti. Certè nil quidquam juvat, quod talis actio Superioris cedat in commodum & salutem spiritualem pœnitentis, ut putat Palao *cit. p. 19. §. 3. n. 18. v. Neque.* vel quod non exerceatur singulariter circa ejus personam; vel quod pœnitenti, seriò volenti se emendare, non sit ingrata, ut ait Tamb. *de Conf. lib. 5. cap. 6. §. 2. n. 7.* vel quod sit tantum impedimentum peccati, & nullius alterius commodi à peccato distincti, ut ait Coninch, *Disp. 9. n. 68. & 69.* Nam nihilominus adhuc per eam indicatur pœnitenti suum peccatum ex sola ejus Confessione notum, quod sine ejus expressa licentia non est extra Confessionem licitum. Quod autem Tamb. *l.c.* & Coninch. *cit. n. 69. v. Adde.* dicant, Supe-

riorem tale quid agendo uti jure suo, jam *sup. n. 246.* ostendi falsum esse.

Porrò sic discuro. Ejusmodi occasio vel est pœnitenti adhuc periculosa, vel non? si posterius; tunc non est necesse eam remove. Si prius; tunc pœnitens, qui periculum agnoscit, & seriò vult se emendare, libenter & ultrò dabit licentiam removendi eam, quia ad hoc tenetur: cur ergo Superior non petat? Ille autem, qui periculum non agnoscit, vel non seriò vult se emendare, agerrimè ferret removei occasionem se invito, ergo id ex sola ejus Confessione facere non licet, atque ipse Coninch. *l.c.* consultum esse, in hoc casu petere pœnitentis consensum. Quod si tamen quandoque alia quædam justa causa interveniat, quæ per se sola sufficienter moveri possit ad talem mutationem faciendam, tunc eam ita independentem à Confessione facere non est superiori prohibitum. Expediit autem ad vitandum scandalum, ut illa ipsa causa mutationis pœnitenti quoque innotescat.

251. IV. Ulteriùs ex eodem fundamento illicitum quoque est 1. ei, quem ex sola Confessione scio indispositum, negare Sacramentum nisi privatim tantum, & à me suo confessorio, nemine alio præsentem, petat v. g. Evcharistiam, Ordines, Assistentiam Matrimonii. Bonac. *tom. 1. Disp. 5. q. 6. sect. 5. p. 4. n. 17.* 2. non ire, cum vocor ad audiendum Confessionem illius, qui verè quædam & non tantum fictè confiteri mihi solitus est; sed scio, illum nolle, v. g. vitare occasionem proximam peccandi &c. Lug. *Disp. 23. n. 117.* contra Tamb. *l.c. cap. 7. §. 3. n. 15.* 3. ab officio, vel loco,

loco, etiam ad nutum auferibili, amovere illum, quem scio, in eo malè agere. Bonac. *l.c. n. 14.* 4. asperiores in vultu aut verbis, vel minus gratum me exhibere illi, quem scio esse improbæ vitæ. Lug. *n. 120.* 5. non ampliùs confiteri illi, quem scio non esse Sacerdotem. Lug. *n. 105.* 6. non ampliùs legere Missam in Ecclesia, quam scio esse pollutam. Bonac. *l.c. p. 23.* Lug. *n. 124.* contra Tamb. *l.c. §. 4. n. 17.* 7. Famulum, quem scio esse furacem, dimittere ex servitio; 8. negare alicui suum gladium vel alia arma apud me deposita, quibus scio, quòd me vel alium sit graviter læsurus, &c. si quidem hæc sciam (NB.) ex sola pœnitentis Confessione, & sine ejus licentia aliquid tale agam & omittam eo modo, ut vel alii, vel saltem ille solus advertat, aut rationabiliter suspicari possit, id à me fieri vel omitti tantum propter ipsius peccatum mihi confessum. Ratio est, quia etsi pœnitenti hinc nullum injustum damnum aut incommodum inferatur, revelatur tamen indirectè sigillum, ut dictum *sup. 193.*

Neque evaderet Confessarius culpam revelationis, si furacem suum famulum juberet sibi in ipso confessionali, & nondum absoluta Confessione clavem reddere, vel luxuriosum domo excedere &c. Nam justio hæc est actus Confessionis profuse extraneus, cum non sit pœnitentia, aut correctio ad forum internum spectans. Lug. *n. 123.* ergo censetur Confessionem interrumpere, & extra eam fieri: adeoque jam etiam extra eam pœnitenti suum peccatum inculcatur; quod est contra sigillum. Quod si tamen famulus ad vitandam occasionem v.g. lu-

xuriam jam per se obligatus esset domo migrare; tunc Confessarius posset illum de hac obligatione monere in Confessione, quia monitio ista spectat ad forum internum, & ad absolutionem dignè percipiendam: postea autem si famulus omittat obligationi suæ & monitioni satisfacere, non potest Confessarius eum extra Confessionem ulterius urgere sine licentia priùs obtenta.

252. Rectè verò Lugo *cit. n. 105.* pro casu metaphysico habet, quòd putativus aliquis Confessarius mihi confiteatur, se non esse sacerdotem, & nolit mihi dare licentiam alteri confitendi; uti & quòd ille, qui seriò vult me spoliare, & occidere; vel qui vinum, à me intra vel extra Missam lumentum, infecit veneno &c. hoc ipsum mihi verè, hoc est, cum animo se accusandi confiteatur; vel certè non simul etiam malam voluntatem eousque saltem remittat, ut potestatem faciat, mihi necessariis modis & mediis à malo cavendi. Faciliùs fieri potest, ut ex pluribus, de mea cæde vel spoliatione conjuratis, unus pœnitenti ductus id mihi verè, & cum dolore confiteatur; licentiam autem utendi hæc notitià non det, nec dare velit, aut possit, nisi eatenus, ut complices ne à longe quidem advertere queant, se ab ipso esse proditos, cum alioqui sit certò ab illis occidendus.

Dato ergo aliquo tali casu, si ve jam moraliter possibili, si ve impossibili, tunc omnino tenetur Confessarius omnia potius pericula, & mille mortes subire, quam sine licentia pœnitentis ullo verbo vel facto extra Confessionem facere ipsi, vel aliis indicium aliquod peccati, ex sola ejus
Con-

Confessione noti. Lugo, n. 110. Dicast. n. 157. Dian. p. 5. tr. 11. Ref. 46. cum Suar. Richard. Navar. Soto. Ledesma & aliis apud ipsos, & apud Fag. *Prac. 2. lib. 6. cap. 2. n. 5. v. contrarium*, quia nullum est tam grave malum temporale vel spirituale, quod præponderet fractioni sigilli, teste Bonac. *l.c. n. 18.* & aliis *sup. n. 190.* Et verò quid facturus esset, vel fuisset Confessarius, si Sacramentum Pœnitentiæ non fuisset à Christo institutum? si homo iste non accessisset illum pro Confessione? vel in confessione malum illud suum propositum reticuisset? Sicut ergo tunc omnium ignarus non potuisset sibi ipse cavere, sed debuisset se, suæque Providentiæ divinæ permittere; ita & nunc sub protectione DEI Cæli commoretur; *Pf. 90.* sine cuius nutu ne unus quidem ex duobus passeribus, qui uno asse vœneunt, cadet super terram; *Matth. 10. v. 29.* Quique ad nos contra omnia adversa roborandos: Nolite timere, inquit *ibid. v. 31.* multis passeribus meliores estis vos; & *Luc. 21. v. 18.* capillus (quos omnes in numerato habet) non peribit de capite vestro.

Quod si Confessarius sit eo tempore in statu peccati mortalis, neque habeat copiam alteri confitendi; tunc eliciat, vel conetur elicere perfectam contritionem, & certò credat, vel DEUM ad futurum auxilio, vel si pro observantia sigilli Sacramentalis à DEO præcepti mori contingat, se moriturum in charitate & gratia DEI; cum majorem dilectionem nemo habeat, quam ut animam suam ponat pro amicis suis. *Joan. 15. v. 13.* Sacramentum quoque Eucharistiæ, si fortè tunc in Missa sumendum sit, facere

R. P. Stoz Trib. Pœnit. Lib. II.

possit ex attrito contritum. Dian. *cit. Ref. 46.*

253. Aliter quoad prædicta n. 251. & seq. sentit Coninch. *Disp. 9. à n. 33.* Bonac. *l.c. à n. 27.* Laym. *lib. 5. tr. 6. cap. 14. n. 21.* Palao *cit. §. 3. n. 18.* Tamb. *de conf. lib. 5. cap. 6. §. 1. n. 4.* cum multis aliis apud Fagund. *l.c. cap. 2. n. 2.* usque etiam ipse *ibid. & cap. 3. n. 1.* adhæret, quamvis cæteroque sit rigidus sigilli propugnator. Isti ergo docent, Confessarium licitè posse in memoratis casibus non ampliùs confiteri fictitio sacerdoti, posse non exire domo, posse aliam viam inire, sibi associare defensores, omittere celebrationem Missæ, posse fugere, &c. quæ sito tamen aliquo colore, prætextà alià curâ, &c. Negant enim talem Confessarii actionem, vel omissionem esse directam vel indirectam revelationem peccati, eò quòd 1. Confessarius utatur hîc jure suo. 2. quòd ejusmodi ejus actio vel ommissio per se & secundum se non sit revelativa peccati confessi, sed sit indifferens, possitque fieri ex variis aliis causis. Fag. *cit. n. 5.* adeoque 3. quòd alii complices per talem Confessarii actionem tantum cognoscant pœnitentis Confessionem, non item ejus peccatum, cum hoc jam antè aliunde sciant. Coninch. *l.c.* & 4. quòd inde nullus pudor, confusio, damnum, aut Sacramenti horror inferatur pœnitenti; cum omnia sub alio prætextu & causa agantur.

Sed hæc planè non videntur magni momenti, Ad primum patet responso ex n. 246. v. *Rationes.* Ad secundum Resp. actionem Confessarii esse quidem secundum se indifferentem; hîc & nunc tamen in istis circumstantiis indicare satè

U

pec-

peccatum confessum; atque hoc sufficere ad indirectam revelationem constat ex dictis *sup. n. 192.* Ad tertium Resp. quod ex fuga Confessarii latrones immediatè cognoscant, eam fieri propter suam machinationem mortis; & quia vident eam non potuisse ipsi aliunde innotuisse, colligunt aliquem ex complicibus in Confessione indicasse; ergo per fugam vel aliam similem actionem Confessarii non tantùm indicatur latronibus, Confessionem esse factam à complice; sed etiam & præcipuè ipsum peccatum, ab eo & illis commissum per voluntatem occidendi. *Lug. l.c. n. 113.* Ad quartum Resp. Pœnitentem utique graviter pudesceri, si sua peccata ipsi, vel aliis extra Confessionem sine expressa ejus licentia aliquo modo indicentur; in ultimo autem casu etiam periculum vitæ illi imminere. Neque color, prætextus, aut causa aliqua quæsitâ juvare potest, si adhuc vel pœnitens, vel alii rationabiliter suspicari possint, causam esse tantùm propter peccatum, ex sola Confessione notum, quæsitam. Vide *inf. n. 255.*

§. IV.

De usu notitiæ ex Confessione illicito ob gubernationem.

254. V. Illicitum est, ut superior regularis ob peccata subditorum, ex sola eorum Confessione nota, statuatur novas aliquas leges & regulas, aut faciat novum aliquem casum reservatum, etiam secluso omni revelationis periculo. Negant hoc quidem aliqui apud *Fag. cit. lib. 6. cap. 2. n. 3.* & ipse illis consentit *cap. 3. n. 1.* Sed est contra Decretum Cle-

mentis VIII. *sup. n. 245.* relatum, quo prohibetur, ne superiores notitiâ, quam de aliorum peccatis in Confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur. Leges autem dispositivas & reservativas condere est actus gubernationis externæ.

Unde etiam, seclusa omni revelatione adhuc illicitum puto, ut superior regularis ob peccatum subditi, ex sola Confessione notum, sine ejus licentia jubeat fores obstrui, sæpiùs visitet locum delicti, vel alia similia faciat, de quibus *sup. n. 250.* quia talia ad gubernationem externam spectant. Neque dicas cum *Tamb. de conf. lib. 5. cap. 6. §. 2. n. 9.* Decretum Clementinum intelligi tantùm de gubernatione *personarum*, & quidem *singularum*, adeoque non de dispositione *rerum*, nec de gubernatione *communitatis* per leges. Nam *Suar. Tan. Lugo. Dicast. &* alii unanimiter volunt, Decretum Pontificis, quia generaliter loquitur, esse etiam generaliter, & sine ulla limitatione intelligendum.

255. VI. Itaque universim illicitum est propter peccatum ex sola Confessione notum facere aut agere quidquam, quod pœnitenti incommodum aliquod aut molestiam creare potest; quamvis cum tali colore & prætextu fiant, ut nullo subitè revelandi sigilli periculum, & ita clam atque occultè, ut nemo advertere possit. Ratio constat ex dictis *sup. n. 244. & seq.* quia si fideles sciant, in ipsorum incommodum posse Confessarium aliquando licitè uti notitiâ Confessionis extra eam, redditur hoc ipso Sacramentum Pœnitentiæ ipsis odiosum ab eoque valde absterrentur, ergo sigillum, quod

quod prohibet hoc consequens, prohibet etiam illud antecedens, hoc est, usum notitiæ Confessionis extra eam in aliquod incommodum pœnitentis sine ejus licentia, etiamsi nulla profus interveniat Revelatio sigilli.

Quapropter etiam illicitum est, ut Confessarius de aliqua re, quam simulat se aliunde scire, verè tamen ex sola notitiâ Confessionis habet, moneat Superiorem, Episcopum, vel quemvis alium, eumque moveat ad agendum vel omittendum aliquid in damnum vel incommodum quoddam pœnitentis. *Dicast. n. 164.*

Neque quidquam valet, quòd pœnitenti non fiat injuria, si id, quod ex notitiâ Confessionis fit, sit gratuitum & profus liberalis voluntatis; vel ille ad id ob suam indignitatem nullum habeat Jus. Nam resolutio nostra non fundatur in sola injuria pœnitentis, sed in injuria, seu irreverentia Sacramenti, quod redderetur fidelibus odiosum, si cum eorum incommodo licitè possent Confessarii ex sola Confessionis notitiâ aliquid agere aut omittere. *Fag. cit. lib. 6. cap. 3. n. 12.*

§. V.

De parvitate materiæ in usu notitiæ ex Confessione.

256. Quæres. An in illicito usu notitiæ Confessionis detur parvitas materiæ, ob quam possit quandoque esse tantum peccatum veniale? *Resp.* in usu, qui fit cum directa vel indirecta sigilli revelatione, non dari parvitatem materiæ, ut constat ex dictis *sup. n. 188.* In illo autem usu, qui fit tantum cum incommodo ali-

quo pœnitentis, vult Gobat *tr. 7. n. 884.* dari parvitatem materiæ; idque probat imprimis ex suppositione aliquarum sententiarum. Sed cum eas & ipse & alii communiter improbent, nihil ex iis solidè deducitur. Deinde putat usum illicitum notitiæ non semper repugnare graviter fini legis, hoc est, non semper reddere Sacramentum fidelibus graviter odiosum & onerosum; quia potest Confessarius quandoque uti notitiâ Confessionis cum incommodo quidem pœnitentis, sed tam levi, ut propterea nec pœnitens, nec ullus alius absterreatur à Confessione. Sed hoc argumentandi modo probari etiam posset, dari in sigillo, ejusque obligatione parvitatem materiæ, ut confidenti patebit.

Judico itaque, illum etiam illicitum notitiæ Confessionis usum, qui fit sine omni revelatione sigilli, continere duplicem malitiam; quarum una sit contra Justitiam, Charitatem vel saltem Fidelitatem, quia pœnitentem damno, incommodo, vel molestia afficit; altera autem sit contra Religionem & reverentiam Sacramenti, quia reddit illud fidelibus odiosum, sicut *sup. n. 186.* dixi de violatione sigilli. Quoad priorem malitiam dari in usu, de quo agimus, parvitatem materiæ, concedo; idque patet ex obviis exemplis. Quoad posteriorem autem nego. Cum enim confessarii, sicut alii, vel ex simplicitate, vel ex ignorantia, passione &c. facillimè possint habere pro levi incommodo pœnitentis, quod tamen revera est ipsi valde grave, hoc ipso jam usus notitiæ cum levi incommodo est admodum periculosus; ergo jam est aptus & sufficiens, ut fideles valde absterreat à Sa-

cramento Pœnitentiæ, illudque iis reddat valde odiosum; ergo hoc ipso iam etiam cedit in gravem irreverentiam Sacramenti; neque datur in tali usu quoad hoc, sive quoad malitiam suam contra Religionem parvitas materiæ. Atque ita corrumpit argumentum paulò antè in contrarium allatum.

Unde ulteriùs addo, nunquam posse aliquem licitè uti noticia confessionis in dubio de molestia pœnitentis, sed debere esse moraliter certum, quòd nulla intercedat; & quidem non præsumptam, sed expressam. Ut proinde sigillum habeat hoc solàm peculiare, quòd id neque tunc aperiri possit, quando moraliter certum est, pœnitenti non fore id incommodo, sed etiam in eo casu necessaria sit ejus expressa licentia.

257. Ex prædictis omnibus patet, in quo sensu verum sit illud S. Bernardi: *Nihil minus scio, quàm quod ex confessione scio; vel illud aliorum DD. Confessarius ita se gerere debet extra confessionem, ac si nihil unquam audivisset in confessione.* Nil enim hujusmodi dicta aliud volunt, quàm quòd confessarius ex auditis in confessione, & sub sigillum cadentibus, adeo nihil possit aliis, vel etiam ipsi pœnitentis vel complicitis incommodum agere vel omittere, extra confessionem, & sine ejus licentia, ac si ex iis nihil prorsus sciret, nihil unquam totâ suâ vitâ audivisset, ut habet Regula *sup.*

n. 247. tradita.

**
*

SECTIO VI

De Personis ad sigillum obligatis.

258. Omnes illi obligantur sigillo, qui notitiam alicujus peccati vel alterius rei, ad sigilli materiam spectantis, ex confessione Sacramentali acquisiverunt, mediatè vel immediatè, licitè vel illicitè, ut habent DD. relati *sup.* n. 200. èstque universalis & certa Regula teste Fag. *sup.* n. 203. Juxta quam possumus omnes obligatione sigilli constrictos ad quatuor classes revocare.

S. I.

De iis, qui notitiam ex Confessione acceperunt immediatè & licitè, vel illicitè.

I. Classis est eorum, qui notitiam v. g. peccati ex confessione Sacramentali acceperunt immediatè & licitè. Horum I. & præcipuus est confessarius legitimus. Fag. *Prac.* 2. lib. 6. cap. 6. n. 1. ex communi, sub quo comprehendimus etiam illos, de quibus diximus *sup.* n. 216. II. Sacerdos, cui invito, & ab initio statim contra protestanti, aliquis nihilominus adhuc sua peccata ita confitetur, ut exaudiat. *sup.* n. 185. ex Lug. & Diana contra Fag. *Prac.* 2. lib. 6. cap. 6. n. 11. III. Interpres; & IV. internuntius *sup.* n. 212. V. omnes, qui audiunt peccata aliorum, ex necessitate instantis naufragii, prælii, ruinæ &c. publicè confitentium; uti & VI. qui alterius peccata casu aliquo, & præter vel contra voluntatem suam audit, dum fortè præterit, vel necesse habet viciniùs ad stare, aut

accidit.

accumbere. *sup. n. 218.* Huc etiam revocantur VII. illi, quos poenitens ante confessionem consulit de aliquo suo actu, an teneatur illum confiteri? quomodo quoad substantiam, circumstantias: &c. quibus verbis in lingua non satis nota? v. g. latina, italica &c. *sup. n. 212. & 213.* VIII. qui scribit peccata alterius, ideo ea dictantis, quia tunc ipse scribere non potest, nec confiteri nisi ex scripto *sup. n. 214.*

259. IX. Qui videt aliquem extraordinario cuidam confessario clam & in loco occulto confitentem; contra *Lug. Disp. 23. n. 67.* dissentientem ex principio jam *sup. n. 232.* refutato. Etsi enim ille, de quo agimus, nullum ex peccatis confessis audiat; ex ipsa tamen hac clancularia confessione, ejusque aspectu accipit notitiam quandam alicujus reservati, vel alterius gravis peccati: sicut si aliquis videret gestus, per quos confitetur mutus, indeque conciperet notitiam aliquam de ejus peccatis. Confirmatur; Confessarius, qui audivit confitentem, non potest sibi confessum. *sup. n. 241.* ergo nec ille, qui vidit confitentem. X. Superior, à quo subditus per seipsum petit facultatem pro absolutione alicujus sui casus reservati, ab alia obtinenda. *Lug. cit. Disp. 23. n. 35. Dian. p. 5. 1r. n. Ref. 12.* & multi alii apud ipsum contra *Coninch Disp. 9. n. 47.* & alios, quia subditus hoc ipso accusat se de reservato suo peccato apud superiorem, & quidem in ordine ad absolutionem Sacramentalem, ergo hoc ipso facit superiori confessionem talem, quæ obliget ad sigillum. *sup. n. 185.* sicut etiam est illa, in qua superior reserva-

tum tantum peccatum subditi audit, & solam reservationem tollit; pro absolutione autem Sacramentali illius, uti & cæterorum peccatorum, si quæ habet, remittit ad alium. Neque obstat, quod subditus tunc, cum petit facultatem, non habeat dolorem de peccato, nec propositum emendationis, nec animum impetrandi absolutionem à superiore, sed ab alio; Nihil enim horum est necessarium requisitum ad confessionem sigilliferam. *sup. cit. n. 185. & 210.*

260. II. Classis est eorum, qui ex confessione Sacramentali notitiam v. g. peccati acceperunt immediate, sed illicitè. Horum I. est Laicus, aut Clericus, qui malitiosè fingit se esse confessarium legitimum, cum non sit. *sup. n. 117.* II. Laicus, cui quis scienter confitetur, ratus id hic & nunc valere, *ibid.* III. qui dedit operâ facit, ut peccata, de quibus se poenitens coram Confessario accusat, etiam ipse furtivè percipiat. *Bonac. tom. 1. Disp. 5. q. 6. sect. 5. p. 3. n. 6.* & alii communiter. Ad hos etiam reducuntur. IV. illi, qui scriptam alterius confessionem legunt, *sup. n. 215.*

§. II.

De iis, qui notitiam ex Confessione acceperunt mediatè, & licitè vel illicitè.

261. III. Classis est eorum, qui ex confessione Sacramentali notitiam, v. g. peccati acquisiverunt mediatè tantum, sed licitè. Sunt autem I. illi, quibus confessarius vel alii audita in confessione Sacramentali revelant cum legitima licentia poenitentis, de quibus *sup. à n. 199.* II.

U 3

illi,

illi, quos confessarius cum licentia pœnitentis de auditis in ejus confessione consulit, iisque simul etiam de persona pœnitentis indicium præber, sed inculpabiliter, quia id facit prorsus ex indeliberato vel inopinato; vel ex licentia pœnitentis, eò quòd sine notitia personæ non possit bene dare consilium. Bonac. *l. c. n. 4.* Fagund. *Præc. 1. lib. 6. cap. 6. à n. 21.* Laym. *lib. 5. tr. 6. cap. 14. n. 18. in fine.* Lug. *l. c. n. 25.* Dicast. *n. 54.* & alii communiter contra Palao *cit. p. 19. §. 4. n. 8.* Vafq. & alios apud ipsum. Rationes vide *sup. n. 201. & seq.* quibus addè cum Dicast. quòd ejusmodi Consiliarius sit interpret Juris, ergò non minùs, quàm alius, qui est interpret facti, seu peccatorum commissorum, obligatur sigillo. III. Superior, cui confessarius, cum facultatem absolvendi pœnitentem à Casu reservato petit, simul etiam personam pœnitentis manifestat; sive jam ex inculpabili inadvertentiâ; sive cum licentia pœnitentis, uti fit, si alioquin superior justè negaturus sit facultatem. Reginald. *l. 3. n. 26.* Bonac. *l. c. n. 2.* Lug. *n. 34.* Dicast. *n. 41.* & alii contra Palao *l. c. n. 10.* & alios. Ratio, quia notitia, quam superior à Confessario hîc accipit de peccato & persona pœnitentis, dependet à prævia confessione Sacramentali, ergo est Sacramentalis & subjecta sigillo. IV. Superior, à quo Confessarius petit facultatem absolvendi à reservatis, prorsus rectâ tam persona pœnitentis, quàm peccati specie. Superior enim frangit sigillum, qui aliis dicit, in sua domo petitam esse, aut peti facultatem talem. Dian. *p. 5. tr. 11. Ref. 45.* vide etiam *sup. n. 227.* Unde V. Ille etiam Superior obligatur sigillo, qui

postquam dedit Confessario facultatem absolvendi à reservatis pœnitentem, pro quo recto ejus nomine & personâ petebatur, casu deinde intervenit, cum v. g. Cajus illi confessario confiretur; ut constat ex dictis *sup. n. 259.* Imò quia hic superior notitiam de peccato reservato Caji non habet tantùm ex illius confessione, quam videt; sed simul etiam ex priùs petita & data facultate absolvendi à reservatis; ideo ratione hujus teneretur adhuc ad sigillum, etiamsi deprehendisset, Cajum confiteri eidem confessario in publico. Vide de his Fag. *l. c. n. 2.* & Tamb. *de conf. lib. 5. cap. 4. §. 2. & seqq.*

262. IV. Classis est eorum, qui ex Sacramentali confessione notitiam v. g. peccati acceperunt etiam tantùm mediâtè, sed illicitè. Et sunt I. illi omnes, quibus confessarius, vel quivis alius peccatum pœnitentis, ex sola ejus confessione sibi notum, sine ejus licentia revelavit directè vel indirectè, deliberatè vel indeliberatè v. g. in ebrietate, amentia &c. II. omnes alii, ad quos à prædictis successivè per quamcunque longam seriem notitia peccati dimanat. Fag. *Præc. 2. lib. 6. cap. 5. n. 20.* & *cap. 6. n. 28.* Dian. *l. c. Ref. 7.* & alii omnes præter Medinam teste Lugone *n. 38.* Ratio, quia omnis hæc notitia ratione primæ suæ originis est, & semper manet Sacramentalis. III. itaque etiam Judices, si ad eos tandem etiam ex illicita Sacramentalis confessionis revelatione perveniat notitia delicti. Fag. *l. c. cap. 4. à n. 28.* & est communis DD. sententia teste Dicast. *n. 57.* Unde si Judex videat notitiam delicti, ad se delati, ortam esse ex malè revelata confessione, vel etiam tantùm ex læta scheda scriptæ

scriptæ confessionis, tunc non potest de tali delicto ullam inquisitionem aut processum instituere; & si fortè bonâ fide, vel ex ignorantia tam vitiosi ortûs jam instituit, tenetur, quamprimum advertit, abrumpere; omnia acta pro infectis habere, ipsam quoque sententiam damnationis, si fortè jam tulit, tanquam nullam & irritam retractare, reumque liberum dimittere; quia forum internum, & notitia delicti, ad illud forum pertinens, non habet, nec habere potest ullum commercium cum foro externo. Reginald. l. 3. à n. 29. Dian. p. 5. tr. II. Res. 27. v. unde.

263. Tanta porò est obligatio Confessarii, & aliorum, de quibus diximus, ad sigillum, ut si quando illorum aliquis non pessit proprium suum peccatum confiteri sine revelatione sigilli de alieno peccato (ut fieri potest, si quandoque Confessarius debet suo pœnitenti, vel ei, cui pœnitens est valde notus, confiteri) tunc potest & tenetur illud proprium suum peccatum reticere, etiam in articulo mortis. Lug. Disp. 23. n. 144. Tamb. de conf. l. 5. c. 2. n. 5. Fag. l. c. n. 9. & seq. Bonac. tom. 1. Disp. 5. q. 6. sect. 5. n. 21. & alii communiter contra Gabr. & Sorum, quorum sententiam non esse probabilem censet Suar. eamque esse temerariam docet Fag. Ratio, quia obligatio sigilli est major quàm obligatio faciendæ confessionem cum integritate materiali; ut patet ex eo, quòd in multis casibus licitissimè possimus confiteri tantùm cum integritate formali, sup. l. 1. p. 3. à n. 56. sigillum autem aperire in nullo casu licitum sit, nisi tantùm ex ultronea pœnitentis licentiâ, sup. n. 190.

IV §. III.

De ipso Pœnitente.

264. Ipse tamen pœnitens non obligatur sigillo ad tacenda ea, quæ in Confessione ipse vel Confessarius dixit, aut egit. Est communis apud Coninch. Disp. 9. n. 37. Tamb. l. v. cap. 4. §. 1. n. 1. Dicast. cit. Disp. 12. n. 173. quia obligatio sigilli imposta est Confessario, & aliis in favorem pœnitentis, & reverentiam Sacramenti; atqui pœnitens potest liberè, & sine omni irreverentia Sacramenti cedere suo favori. sup. n. 187. aliisque obligationem sigilli remittere, ergo cum hanc habeat à sua libera voluntate pendentem, non potest ipse eâ obstringi. Deinde pœnitens non agnoscit commissos tunc à Confessario defectus ex ejus confessione, ergo nec sub sigillo; cum hoc non nisi ex confessione oriatur, Dicast. l. c.

Nihilominus tamen pœnitens obligatur vi naturalis secreti ad ea occukanda, quæ à Confessario tunc fortè imprudenter & malè acta vel dicta fuerint; ita ut etiam mortaliter peccet prodendo aliquid, ex quo Confessarii fama aut honor notabiliter læditur: Nisi vel lex Charitatis, vel Jus commune ob bonum publicum jubeat manifestare aliquod Confessarii delictum in excipiendis confessionibus perpetratum, uti est sollicitatio ad venerea, machinatio mali contra Rempubl. vel etiam tertium. &c. Tan. tom. 4. Disp. 6.

q. 9. n. 135.

**

*

SE-

SECTIO VII.

Quomodo obligati sigillo possint, aut debeant interroganti de ejus materia respondere?

Obligati sigillo possunt variè interrogari, nimirum 1. ex malicia à tyranno, vel alio impio homine. 2. ex inscitia, vel simplicitate ab aliis. 3. an pœnitens sit confessus hoc vel illud peccatum suum notorium; vel occultum? 4. simpliciter, an non id sciant, vel audiverint? vel 5. expressè, an non sciant ex confessione? an non in ea audiverint? Quid in tali casu quisque possit, aut debeat dicere, hîc explicandum est.

§. I.

Quomodo de notoriis; & ad interrogationem simplicem?

265. Itaque I. Confessarius, si interrogetur, an pœnitens peccatum, quod est notorium, vel saltem interroganti notum, sit confessus, non potest id negare; quia redderet pœnitentem suspectum de confessione non integrè facta. Sed neque etiam potest id affirmare, quia esset contra sigillum. *sup. n. 222. cum seq. & infr. n. 284.* Debet ergo dicere, se functum esse suo officio. *Palao cit. p. 19. §. 23. n. 13. Dian. p. 5. tr. 11. Res. 43. v. Non definam.* vel pœnitentem fecisse, quod judicavit sibi esse faciendum. Potest etiam interrogantem ad ipsum pœnitentem remittere, vel cum æquivocatione aliqua aliud quid respondere. *Dicast. n. 114.* Expedit quoque, ut interrogans, etsi sit superior aut Judex, maximè cum ex sim-

plicitate, vel incogitantia & bonâ fide interrogatio provenit, objurgetur, quòd talia audeat quærere, quæ etsi Confessarius sciret, deberet tamen potius mortem subire, quàm edicere. *Coninch. Diss. 9. n. 25. Laym. l. 5. tr. 6. cap. 14. n. 12. Palao & Dian. ll. cc.*

Interpres & Internuntius rectè faciunt, si hîc eodem modo se gerant, sicut Confessarius. Si tamen peccatum pœnitentis esset soli interroganti notum, possent etiam juxta dicenda infra simpliciter negare, eum id esse confessum; quia pœnitens in tali casu non est obligatus confiteri cum materiali integritate juxta *Laym. l. 5. tr. 6. cap. 6. n. 5. Fag. Prac. 2. lib. 2. cap. 6. n. 6. Dian. p. 3. tr. 4. Res. 129.* vide *Lugo Diss. 35. à n. 62.*

266. II. Si Confessarius interrogetur simpliciter: an non hoc vel illud occultum peccatum sciat, vel audiverit fuisse commissum à pœnitente, qui verè id ipsi est confessus; tunc potest liberrimè, & si silendo vel objurgando pœnitentem, vel dicendo se functum suo officio, advertit se daturum ansam suspicioni de peccato commisso, etiam tenetur rotundè dicere, *¶ se nihil scire;* uti & *se nihil de illo audivisse*, quia in uno non est major difficultas, quàm in altero, ut malè putavit Sotus. Potest insuper, & debet, si necesse sit, ita dicere etiam cum juramento solemnissimo, licèt antè cum simili aut alia quacunque solemnitate juraverit, se veritatem ad interrogata dicturum. *Fag. lib. 6. cap. 4. n. 30. Tan. tom. 4. Diss. 6. q. 9. n. 133. Laym. l. c. cap. 14. n. 12. Reginald. l. 3. n. 22. Bonac. tom. 1. Diss. 5. q. 6. sect. 5. p. 4. n. 31. Barb.*

Barb. in Collectan. ad cap. omnis utriusq. 13. de remiss. & pœnit. n. 18. Dian. cit. Ref. 43. cum S. Thoma. & omnibus aliis teste Lug. n. 73. contra Altiſiodorenſem & Gabriel. quorum ſententia cenſetur erronea. Ratio, quia ultimata intentio ita ſimpliciter interrogantis, uti debet eſſe, ſic ſemper præſumitur eſſe tantum de ſcientia & auditione humana, ſpectante ad commercium humanum, communicabili aliis &c. non de Divina, extra commercium hominum poſitâ, incommunicabili &c. atqui cum & ad intentionem interrogantis, & ad noſtram mentem conformiter reſpondemus, non poſſumus ullo modo argui alicujus mendacii aut perjurii. Tan. tom. 3. Diſp. 5. q. 2. n. 29. ergo nec hic Confefſarius.

Deinde verba hæc: ſcio, audivi, nihil ſcio, nihil audivi, ſunt æquivoca, & ex vi ſuæ impoſitionis ſignificant plura inter ſe diverſa, ut modo indicavi, atqui ex juſta cauſa licitum eſt alicui reſpondere per verba æquivoca, accipiendo illa in eo ſenſu, qui verus eſt, etſi interrogans putet per ſuum errorem, illa accipi in alio, & eo, qui hic & nunc falſus eſſet. Laym. l. 4. tr. 3. cap. 13. n. 5. Azor. p. 1. lib. 11. cap. 4. q. 5. Tan. tom. 3. Diſp. 6. q. 2. n. 23. & alii. vide ſup. lib. 1. p. 3. n. 219. & ſeq. ergo Confefſarius ſi ſimpliciter tantum interrogetur, rectiſſimè dicit, vel etiam jurat, ſe de peccato pœnitentis nihil ſcire, nihil audiviſſe, hoc eſt, ſcientiâ humanâ, communicabili aliis &c. etſi interrogans putet, eum loqui etiam de ſcientia Divina, Sacramentali &c. Atque hæc quoad interrogationem ſimpliciter factam.

R. P. Stoz. Trib. Pœnit. Lib. II,

Quomodo ad Interrogationem expreſſam de Confeſſione?

267. Sed quid & quomodo Confefſarius loqui poteſt, aut debet, cum interrogans expreſſè vult & querit, an non ex confeſſione Sacramentali ſciat? an non in ea audiverit, pœnitentem hoc vel illud peccâſſe? Vel cum à verbis, quæ ex ſua impoſitione, vel ſaltem ex circumſtantiis aliquibus temporis, loci, modi, perſonæ, &c. æquivoca forent, per ſuam interrogationem omnes alios ſenſus excludit, & tantum ad unum conſtringit; ſicut etiam hîc fieri poſſe putat Laym. Reginald. Bonnac. Azor. l. cc. Dicat. n. 132. & alii cum Soto, ut ſi querat v. g. an non peccatum pœnitentis ſciat ſcientiâ etiam Divinâ, Sacramentali? an non aliquo quocunque tandem modo audiverit? &c.

Et verò in iſto Caſu Autores citati præter Dicat. exiſtimant, Confefſario nihil aliud ſuper-eſſe, quàm ut objurget tam ſacrilegè interrogantem; vel dicat, nefas eſſe ad tam ſcleratam interrogationem reſpondere. Verùm quia hujusmodi tergiverſatio planè n. agnam facit ſuſpicionem de notiâ peccati à pœnitente comiſſi & confeſſi; cum alioqui confefſarii licitè poſſint, & communiter ſtatim ſoleant expreſſè negare: ideo omnes alii docent, Confefſarium neque per iſtam, neque per ullam aliam interrogationis formam poſſe unquam ita conſtringi, ut non adhuc ſemper liberè & rotundè licitiſſimè que dicere poſſit, & debeat, etiam cum Juramento, & poſt Juramentum de dicen-

da veritate factum; *se nihil scire, etiam ex confessione, etiam scientiã Divina, ut ministrum DEI &c. se nihil in confessione audivisse de illo peccato; se nullo, quocunque tandem modo scire, vel audivisse &c.* Hoc autem ut melius intelligatur, quo modo & sensu fieri possit, lucem dabunt sequentia. Nam

268. Certum est I. quòd in nullo casu liceat mentiri, cum mendacium sit intrinsecè malum. Laym. *lib. 4. tit. 3. cap. 13. n. 8. & sup. p. 3. n. 216.*

Certum est II. quòd itidem in nullo casu liceat sigillum confessionis sine expressa pœnitentis licentia revelare. *sup. n. 190.*

Certum est III. quòd necessarium sit ad humanum commercium, ita sincerè & fideliter unum cum altero loqui & agere, ut nemo licitè possit alterum per se & directè velle decipere; deceptio enim (sive verbo, sive facto fiat) etiam est aliquod malum, quod neque sibi, neque alteri directè inferre licet. Tan. *tom. 3. Disp. 6. q. 2. n. 24.* quamvis ex justa causa licitè aliquis permittere possit, sicut aliud malum proximi, ita & hoc, ut ille vel à se ipso per errorem suum, vel ab alio decipiatur, maxime si quis id sine proprio suo vel tertii damno impedire nequeat. Laym. *l. c. n. 10. v. confirmatur.*

Certum est IV. Quòd æquè necessarium sit ad commercium humanum & Reipubl. bonum, ut detur aliquis modus, quo quilibet sua secreta possit ita tegere, & recondita servare, ut ipsi invito nemo possit per ullam injustam interrogationem extorquere. Tan. *l. c. n. 34. v. absurdum.* Si enim licet cuilibet quævis

alia sua bona contra violentos aggressores tueri, cur non & sua arcana? sanè in utroque foro tam à Jurisperitis, quàm à Theologis receptum est, legitimo quoq; Judici, si non legitimè, sub quacunque tandem arctissima forma interroget, posse adhuc licito quodam modo & sine mendacio celari veritatem. Aliquos ergo tales modos hic subjungo, & ad propositam sigilli materiam applico.

§. III.

De Responsione per Reservationem mentalem.

269. Primus & valde communis est per Reservationem mentalem; si nimirum Confessarius dicat exterius; *non scio ex confessione; non audivi nullo modo &c.* reservans in mente; *ut ullo modo possim, vel teneam sine licentia pœnitentis tibi revelare.* Id enim quod exterius dicit, & id quod in mente reservat, si simul sumantur, faciunt unam integram propositionem, quæ vocatur à Tan. *l. c.* Mixta, nempe ex vocali & ex mentali; & est ut sic verissima. Quod si quis ulterius urgeat, annon ita sciam, ut nullo modo possim ipsi revelare; vel ut non possim ipsi licitè, possim tamen illicitè revelare; tunc itidem possum, & debeo dicere inepto quæsitore; *neque hoc modo scio;* reservans iterum & cogitans in mente; *ut tibi dicam.* Etenim hoc modo putat Card. de Lugo *n. 74.* nullam esse difficultatem, si solum possit ostendi, quòd sit immunis à mendacio.

Sed mihi imprimis non videtur sufficiens. Si enim denique cogar meam ne-

sciam

P. Sto

Tribu
Pœnitentia
E
S

scientiam profiteri his vel similibus verbis: *Non scio, etiam scientiâ Divinâ, & ex confessione peccatum penitentis v. g. homicidium, & me id non scire hoc modo, dico sine omni prorsus quacunq; etiam licita reservatione mentali.* Nam si adhuc reservationem aliquam mentalem adhibeo, mentior; contra Dicast. n. 126. quia dico, me nullam adhibere, cum tamen adhibeam; si nullam adhibeo, iterum mentior, quia dico me nescire ex confessione, quod verè ex illa scio. Mentiri autem nunquam licet, ergo alius modus est adhuc excogitandus.

Deinde externas illas locutiones alteri factas, quæ per se plenum & perfectum sensum efficiunt, sed falsum, & non nisi cum addita reservatione aliqua mentali, verum, negat esse licitas Sotus, Cajet. Aragonius, Azor cit. q. 5. v. Meo iudicio, Laym. cit. cap. 13. n. 6. & 7, Lugo n. 75. & alii, quia non possunt satis excusari à mendacio. Nam perfecta propositio vocalis, hoc est, quæ per sola sua verba exteriorius prolata plenum & perfectum sensum jam ingenerat, si per eam alteri aliquid significare volumus, ut non sit mendacium, debet secundum se & suorum verborum sensum esse conformis menti loquentis; atqui cum Confessarius alteri dicit, v. g. *nihil scio ex confessione, aut scientiâ Sacramentali de hoc peccato penitentis*; propositio ista vocalis est quoad verba exteriorius prolata in se perfecta, sensumque ingenerat plenum & perfectum, neque tamen est conformis menti loquentis; quia verè novit se scire id ex confessione; ergo &c. Et verò quia alteri loquendo profert scienter orationem perfectam, sed secundum se falsam, vult

hoc ipso alteri falsum, & contra quam ipse in mente sentit, significare, ergo hoc ipso mentitur, ut argumentatur non male Laym. l. c. vide lib. 1. sup. p. 3. n. 221. & seqq.

270. Objicies. In mente loquentis est hæc propositio mentalis: *nihil scio ex confessione, ut ullo modo sine licentia revelem*; ergo cum priorem ejus partem propositio vocalis (*nihil scio ex confessione*) significet, eaque sit indifferens ad admittendam etiam posteriorem, adhuc in mente retentam, jam est menti loquentis ejusque mentali propositioni inadæquatè conformis, adeoque adhuc vera & libera ab omni mendacio. Sic etiam pars in imagine Petri est, & esse potest inadæquatè similis, seu conformis Petro, etsi omnes aliæ partes maneat contextæ. Ita sentit Dicast. n. 128.

Sed non satisfacit. Nam in primis propositio vocalis, de qua agimus, non significat priorem partem propositionis mentalis; quia illa dicit *absolutè*, me nihil scire ex confessione; ista non dicit hoc *absolutè*, sed cum aliquo addito. Deinde sicut quævis alia locutio alteri facta, quæ per se & sua verba exteriorius prolata sensum perfectum efficit, ita etiam hæc (*nihil scio ex confessione*) consistit quoad suam significationem in indivisibili, instar numeri v. g. ternarii, eique tam parùm, ac numero potest aliquid addi, vel demi sine ejus destructione; ergo ad id, quod tantùm in mente habetur, etiam non est indifferens *indifferentiâ formali*, seu quoad significationem; sed ad summum tantùm *indifferentiâ aliquâ materiali*, seu quoad sola sua verba, quibuscum adhuc alia quidem grammaticaliter

construi possunt, sed non manente eadem priore significatione, ut immediate ante ostendi. Denique ad hoc, ut locutio externa, per se perfectum sensum constituens, sit immunis à mendacio, non sufficit, eam esse menti loquentis, ejusque mentali propositioni conformem tantum inadæquatè; quia alioqui jam nullum, vel ferè nullum mendacium amplius foret mendacium; cum nullum non habeat, aut habere possit inadæquatam aliquam conformitatem cum mente loquentis, ut cuius consideranti facile patet.

Exemplum à pictura petitum est manifestè contra ipsos adversarios. Nam nulla pars in imagine Petri, ne quidem inadæquatè est, vel dici potest similis Petro, si nulli ejus parti sit similis, nisi sumpta cum lineamentis illis, quæ pictor in tabula non expressit, sed in sola mente reservavit.

Quid autem multis? Locutiones externas, quæ per se perfectum sensum habent, & ad aliquid significandum fiunt, maxime alicui alteri, si non sint veræ nisi cum eo, quod in sola mente reservatur, esse mendacium, patet ex Bulla S. D. N. Innoc. XI, 1679. 2. Martii edita, in qua inter sexaginta Propositiones prohibitas, est hæc 26. *si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte: sive recreationis causa, sive quocunque alio sine juret, se non fecisse aliquid, quod revera fecit; intelligendo intra se aliud, quod non fecit, vel alià viâ ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum; revera non mentiur, nec est perjurus: &* in 27. prohibet etiam illam sententiam; quæ docet, *justam causam utendi reserva-*

tione mentali esse, quoties necessarium aut utile est ad salutem corporis, honorem, ac res familiares tuendas, vel quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censetur tunc expediens & studiosa.

§. IV.

Per Æquivocationem.

271. Secundus modus sua secreta, & sigillum tuendi contra injustos scrutatores est assignatus à Cardinali de Lug. Diss. 23. à n. 76. ubi ait, verba & propositiones vocales præter rem significare semper etiam conceptum loquentis, ita, ut cum quis dicit v. g. *Petrus currit*, idem sit, ac si diceret: *scio, vel judico Petrum currere*; & cum dicit: *scio Petrum currere*; idem est, ac si reflexè diceret: *scio, me scire Petrum currere*; vel cum dicit: *nescio, non scio*, est iste sensus in idem reflexus: *scio me non scire, &c.* Quia autem verbum *scio* est æquivocum, & significat tam scientiam utilem, quam scientiam inutilem ad dicendum, ideo cum Confessarius interrogatur 1. an sciat hoc penitentis peccatum ex ejus confessione? an id in ea audiverit? &c. vel 2. an sciat, illum non esse confessum, se non audivisse in confessione? &c. rectè etiam juratus dicit cum æquivocatione. Ad primum, non scio, hoc est, scio scientia utili ad dicendum, me non scire ex confessione, in ea non audivisse &c. Ad secundum, rectè cum eadem æquivocatione dicit: *scio*, hoc est, scio scientia utili ad dicendum, illum non esse confessum, me non audivisse &c. vel scio scientia utili ad dicendum, me scire, quod illud non sit confessus, quod non audiverim,

P. Sto

Tribu in
Poenite
E
S

verim, &c. Hoc ipso enim scio, me scire, quòd inimicum non oderim, si scio me non habere scientiam, aut memoriam talis odii; ergo si scientia utili ad dicendum scio, me non habere notitiam aut memoriam, quòd aliquis sit mihi hoc vel illud peccatum confessus; hoc ipso jam verè dico: scio me scire, quòd id mihi non sit confessus. Interrogatus denique 3. an non id sciat scientia confessionis? iterum respondere potest & debet, se non scire, in eodem sensu, quo respondet ad primam interrogationem.

Unde pater, quòd juxta hunc modum æquivoca significatio verbi *scio* (quod respondens semper toti interrogationi superaddit) non possit unquam ullo modo tolli, contra DD. *sup. n. 267.* relatos. Ratio, quia interrogans illa tantum verba, quibus interrogat, potest restringere; non autem id, quod illis primùm respondens debet semper superaddere.

Ea, quæ contrà assert. Dicast. à n. 129. credo Card. Lugonem jam prævidisse; sed, quòd hinc tacitus prætermiserit, judicasse suæ opinioni non multum obstare; maximè cum sint tantum petita ex principiis Logicis, de quibus insuper adhuc etiam sub Judice lis est.

§. V.

Per immutationem significationis in verbis.

272. Tertius modus colligi potest ex Val. tom. 3. *Disp. 5. q. 13. p. 2. v. Quid quid. circa finem.* ubi: *si quis*, inquit, *iniquè interrogetur, ei non minus licet usurpare verba ad significandum sensum, quem vult; quam si a nullo prorsus de ul-*

*la re determinata interrogaretur: sicut cum quis à nemine interrogatus secum ipse solus loquitur, potest, quod vult, per quæcunque verba sine mendacio intelligere, & per vocem Homo v. g. velle significare Equum; & per vocem Equus Hominem &c. sine ulla Reipubl. turbatione, sine ulla cuiusquam injuria. Non minus, quam cuiquam licitum est in ordine ad seipsum solum, computare obolum pro ducato seu aureo, & adreum pro obolo. Unde Azor cum *cit. p. lib. 11. cap. 4. Reg. 5.* simpliciter & absolute: *is mentitur*, inquit, *qui verba aliter accipit, atque ipsa significant*; intelligi debet tantum pro calu, quo loquens est aliquo modo obligatus ad verba sua in communi significatione usurpanda. Ratio enim doctrinæ ex Val. relatæ est, quia, ut ipse ait, *iniqua interrogatio ad nihil prorsus obligat interrogatum*; qui proinde non tenetur interroganti loqui, multò minus ad ejus mentem respondere, adeoque nec voces, quibus utitur, in significatione illis publice impostâ, & communiter usitatâ accipere. Injustè enim interrogans nullum habet Jus exigendi, ut quis ipsi & alio modo respondeat. Quòd autem ille putet, sibi respondere loquentem, & quidem etiam ad suam mentem, ac juxta usitatam vocum significationem, atque ita seipsum decipiat, sibi & non loquenti imputare debet.*

Utitur quidem Val. hoc fundamento ad externas locutiones, quæ cum mentali reservatione fiunt, à mendacio excusandas; sed usus iste est à summo Pontifice *sup. n. 270. v. Quid multis?* prohibitus. Ipsum tamen fundamentum si firmissimum est, uti planè videtur, tunc Confessa-

fessarius jam potest sine omni reservatio-
 ne ad quamcunque injustam interrogatio-
 nem de peccatis confessis, vel aliâ simi-
 li materia respondere; *nihil scio ex confes-
 sione; nihil in ea audivi* &c. quia potest
 per hujusmodi verba (quibus, sicut hîc
 ei licitum est, pro suo arbitrio aliam vim
 attribuit) nihil aliud velle significare,
 quàm quòd v. g. *Turca non sit Christianus;
 Tenebra non sint lux; tria non sint
 quatuor*; vel quidvis aliud, quod verum
 est, idque etiam, ut Val. rectè addit, ju-
 ramento confirmare, si necesse sit. Non
 enim, ut dixi, tenetur Confessarius aut
 alius tam injustè & sacrilegè interroganti
 respondere ad ipsius mentem; nec verba,
 quæ profert, tenetur ad ipsum dirigere;
 nec ea in communi & usitatâ suâ significa-
 tione accipere. Neque tunc, si jurat,
 falsò jurat, aut Nomen Domini in vanum
 assumit.

Modus autem iste nullatenus contraria-
 tur citatæ Pontificiæ prohibitioni. Nam
 loquens, sicut hîc juxta dicta potest, de-
 trahit verbis usitatam vim significandi, &
 aliam pro suo libitu imponit. Unde jam
 verba exterius ab ipso prolata non ideo
 vera sunt, quòd *intelligat intra se aliud*,
 quàm ipsa verba significant; sicut fit in
 locutionibus cum reservatione mentali
 factis; sed idèò vera sunt, quia id, quod
 ex privata loquentis impositione signi-
 ficant, integrè & plenè dicunt esse, sicut
 est & in se, & in mente loquentis. Non
 involvit ergo iste modus ullam reserva-
 tionem; sed consistit in hoc solo, quòd
 loquens usitatam vim significandi à ver-
 bis tollat, & aliam attribuat, cum in ta-
 li casu non sit obligatus ad utendum ver-
 bis in usitata communi significatione;

& ipsa etiam Respubl. videatur hanc po-
 testatem cuius, in ejusmodi necessitate
 secretum suum contra injustum aggressò-
 rem tuendi, concedere juxta *supposit. 4.
 sup. n. 268.*

§. VI.

*Per prolationem tantum materi-
 lem verborum.*

273. Quartus modus insinuatur à Tan-
 tom. 3. Diss. 6. q. 2. n. 34. Nam, ubi,
 inquit, nulla loquendi vel respondendi ob-
 ligatio urget, potest quis suo arbitrato ver-
 ba solè materialiter proferre; & qui-
 dem etiam si alioqui (formaliter & quoad
 significationem suam communem sum-
 pra) *planè falsa sint*. Vult quidem Tan-
 ex hoc principio inferre, quòd licitè sint
 in casu tali locutiones externæ cum men-
 tali reservatione factæ; sed rectius dicitur,
 quòd, supposito illo principio ut ve-
 ro, nulla profus sit necessitas ullius re-
 servationis. Et in nostro quidem pro-
 posito cum Confessarius vel tunc ma-
 ximè nullam habeat loquendi vel respon-
 dendi obligationem, quando injustè &
 impiè interrogatur de peccatis pœnitenti-
 um, ex sola eorum confessione Sacra-
 mentali cognitis, potest ille semper abs-
 que omni reservatione mentali, loco re-
 sponsonis, materialiter hæc, aut similia
 verba proferre: *nihil ex confessione de pec-
 cato hoc vel illo scio; nihil in ea de illo au-
 divi*, &c. quamvis arctissimè, & quod
 nunquam fieri potest, etiam ita strictè
 interrogaretur, ut si eadem verba forma-
 liter seu enuntiativè diceret, verum non
 diceret. Quod si ulterius urgeretur ad
 suam nescientiam contestandam his ver-
 bis;

P. Sto

Tribu

Poenite

E

S

bis : In sensu formali & enuntiativè loquendo nihil scio ex Confessione &c. potest hoc ipsum totum, & quidvis aliud adhuc tantum materialiter proferre ob prædictam causam.

Sed in hoc & priore modo sigillum vel aliud secretum tuendi, ut omnis abusus evitetur, bene observandum est, perleges Fidelitatis ad bonum commune & humanum commercium necessaria neutrum esse licitum, nisi cum his duobus requisitis. 1. ut constet, interrogationem esse injustam; maximè si competens Judex aut legitimus superior interroget; cum pro his eorumque Justitia semper, etiam in dubio, præsumi debeat. Azor. l.c. Reg. 4. 2. ut aliqua quoque necessitas cogat, & nullum aliud super sit medium, quo quis commodè possit suum secretum alienæ notitiæ, & se gravi damno subducere. Sic etiam Laym. lib. 4. tit. 3. cap. 13. n. 11. ad licitum usum æquivocationis requirit causam justæ necessitatis. His ergo observatis, si quis verba proferat vel in aliena significatione, vel in omnino nulla; tunc neque interrogantem injuriâ, neque Rempubl. vitâque socialem damno afficiet majore, quam si prædoni, bona ejus invadere volenti, exponat arcem plumbæ onustam, vel omninò vacuum, eamque prædo arripiat, cum illâque discedat, ratus esse auro vel aliis rebus pretiosis refertam.

§. VII.

Per consignificationem.

274. Quintus denique modus sigillum vel aliud secretum servandi contra eos, qui injustis interrogationibus suis id extorquere conantur, delimitur ex Laym.

lib. 4. tit. 3. cap. 13. n. 7. v. Interim. & Tan. l. c. n. 28. qui ex communi docent, verba sæpe eo modo, & in iis circumstantiis proferri, ut ratione illarum præter id, quod ex vi primæ suæ institutionis & expressè significant, simul etiam significant, & *consignificant* saltem implicite aliquid aliud, ita ut audiens, inquit Laym. cit. n. 7. saltem generatim & confusè id facillè hinc & nunc advertere possit; & ab eodem, juxta Tan. etiam rationabiliter deberet tunc apprehendi & cognosci; maximè cum usus & consuetudo ita fert, ut homines per talia verba in talibus circumstantiis prolata communiter velint plus aliquid significare, quam alioquin ex sua impositione significarent. Jam autem quòd licitè, aliquis loqui possit alteri, si id, quod dicit, verum sit accipiendo verba non inordinaria, quam secundum se habent; sed in adventitia illa significatione, quam tantum ex circumstantiis acquirunt, probat Tannerus inde, quia verba rectè & sine mendacio usurpantur in eo sensu (verò) quem audiens ipse percipere potest & debet. Quod si non percipiat, tunc propriâ insentiâ decipitur, inquit Laym, quod justè permittitur, si causa necessitatis postulet.

Jam ergo si Conf. sarius interrogetur de peccatis ex confessione cognitis, potest semper, sive sciat, sive non sciat, liberè, licitèque respondere etiam cum juramento: *nihil scio ex confessione; nihil in ea audiui, &c.* Si enim re ipsa sciat, tunc verum dicit accipiendo verba illa etiam in significatione, quam secundum se habent. Si autem re ipsa sciat, tunc itidem verum dicit, quia eadem verba in his circumstantiis præter significationem

fictionem, quam secundum se habent, simul etiam significant, seu consignant implicite hoc: *ut teneat tibi dicere*. Ratio, qui omnibus jam constat, quod communiter omnes possint, & soleant tale additamentum habere in mente conceptum, quando injustè interrogati de aliquo secreto, quod sine gravi peccato vel damno aperire non possunt, nec etiam aliter occultare, id simpliciter negant; ergo verba, quæ secundum se simplicem negationem significant, hoc ipso jam in talibus circumstantiis, ex usu & consuetudine loquentium, simul etiam illum adjectivum conceptum ita sufficienter significant, ut injustè interrogans posset, & rationabiliter deberet intelligere: imò communiter re ipsa & actu bene intelligit, & propterea variis viis conatur ab ejusmodi verbis consignificatum illud excludere; sed frustra. Est itaque talis negatio Confessarii v.g. omnino vera, non quidem per reservationem mentalem jam supra rejectam, sed ideo, quia illa verba hoc ipsum, quod in mente loquentis superest, & verba prolata secundum se non significant, in istis circumstantiis, ex usu quoque & consuetudine loquentium, simul significant, seu *consignant*. Et hoc in re non multum abtuli hinc quoque optimè observavit P. Richard. Archdekin in tripart. Theol. p. 3. tr. 3. cap. 4. n. 10.

Quod si aliquis non minùs ineptè quàm impiè ulterius urgeat Confessarium: *an non ita sciat peccatum pœnitentis, ut non teneatur, aut ut non licitè possit dicere; tunc itidem potest, & debet rotundè negare, quia cum in hac quoque quæstione & quavis alia simili maneat adhuc*

eadem circumstantiæ, verba etiam simplicis negationis eodem modo consignant priorem appendicem: *ut teneat dicere*. Et interrogans, quàm parùm verbis vim significandi ab impositione ortam, tam parùm potest illis vim consignant à circumstantiis proventientem adimere; unde etiam nunquam potest injustam suam interrogationem ita formare, ut non semper adhuc Confessarius possit liberè licitè que rotundè negare.

275. Volui suprâ dictos modos legitime secreta sua contra injustos & violentos Inquisitores tuendi referre, ut & interrogati videant, quàm apertam planamque viam evadendi habeant; & interrogantes agnoscant, quàm irritò conatu tam injustam Inquisitionem instituunt, eamque porrò instituere omittant, memores tandem, quòd nemo ulla ratione & modo cogi possit ad id dicendum aut faciendum, quo sine peccato ipse dicere aut facere; vel alius sine gravi ipsius injuria exigere non potest; cum neque Juramentum, neque ulla lex naturalis, divina aut humana, neque ullum præceptum Superioris possit esse vinculum iniquitatis.

Addo autem hinc, nullatenus esse necessarium, ut Confessarius cum injustè interrogatus dicat: *nihil scio ex confessione de peccato pœnitentis; non est illud mihi confessus, scio mihi id non esse confessum &c.* simul expressè & signatè cogitet de uno vel altero ex relatatis modis, sed sufficit, si animum habeat non mentiendi, & aliquid horum velit dicere in eo sensu, in quo juxta Ecclesiæ usum & DD. mentem cum veritate dici potest.

Omnibus prædictis loquendi modis
ut

P. Sto

Tribu in
Poenite m
E m
S. J.

uti quoque potest pœnitens, cum injustè de suis peccatis confessis interrogatur, si-
ve jam à Confessario, si-ve à quovis alio.
Reginald. lib. 3. n. 24. Bonac. tom. 1.
Disp. 5. q. 6. sect. 5. p. 4. n. 32. & alii. Idem
possunt & ceteri omnes, quos sup. à n. 258.
dixi esse ad sigillum obligatos.

SECTIO VIII.

De Pœna violantium Sigillum, &
Modo procedendi contra illos.

276. Jacobus I. Aragoniæ Rex jussit
cuidam Episcopo, Regis Confessionem
revelanti, linguam sacrilegam à tergo ex-
trahi, ut ex Aldrete refert Fag. Prac. 2.
lib. 6. cap. 7. n. 1. atque fuisse quidem
tanto crimine pœnam condignam, sed
non à legitimo Judice inflictam; intel-
lige nisi fortè reus fuerit antè legitimè
degradatus, & Curia laicali traditus; si-
cut de Rege Christiano præsumi potest
esse factum, quod de Jure faciendum
fuerat.

§. I.

De pœna violantium Sigillum.

In Jure Canonico statutum olim fuit,
ut sacerdos peccata sui pœnitentis malè
revelans deponeretur, & omnibus die-
bus vitæ suæ ignominiosus peregrinaretur.
can. sacerdos. 2. Dist. 6. de Pœnit. Quia
autem tam misera circumvagatio videba-
tur esse dedecori statui Ecclesiastico,
ideo, abrogatâ partim hac pœnâ, decre-
tum est Jure novo cap. Omnis utriusque.
13. de pœnit. & remiss. ut Sacerdos, qui
peccatum in pœnitentia Judicio sibi de-
tectum præsumpserit revelare, non so-
R. P. Stoz. Trib. Pœnit. Lib. II.

lùm à sacerdotali officio deponatur, ve-
rùm etiam ad agendam perpetuam pœni-
tentiam in arctum Monasterium detru-
datur. Sed cum utique etiam Monaste-
riis non admodum sit commodum, tam
impios hospites admittere, ideo pro arcto
Monasterio satius esse viderur, ut substi-
tuatur alius pœnitentiæ locus in arcta
quadam custodia.

Pœna Depositionis & Detractionis est
utraque sententiæ non latæ, sed tantùm
ferendæ, adeoque non incurritur ipso fa-
cto, sed tantùm per sententiam Judicis.
Fag. l. c. n. 2. Lug. n. 147. Dian. p. 5. r. 11.
Ref. 51. Judex autem competens non
est Magistratus laicalis, sed tantùm Ecce-
siasticus, & quidem ille, cui tanquam
suo Ordinario subjectus est accusatus sa-
cerdos. Bonac. tom. 1. Disp. 5. q. 6. sect. 5. p. 1.
n. 6. Palao cit. p. 19. §. 1. n. 14. & alii. In-
quisitores ubi sunt, nunquam suscipiunt
cognitionem seu discussionem causæ de
revelatione sigilli mera, sed tantùm de ea,
quæ est mixta cum hæresi; ut: si quis
revelat sigillum, quia negat Pœnitentiam
esse Sacramentum; vel negat Sacramen-
to Pœnitentiæ esse annexum sigillum, &c.
Dian. p. 4. r. 8. Ref. 95. Bonac. Palao &
alii.

Nonnulli volunt, Confessarium sigilli-
fragum esse etiam irregularem; sed rectè
ex communi negat Fag. l. c. n. 3. dicit-
que Barb. in Collect. ad cit. cap. Omnis
utriusque. id esse improbabile. Bene
quoque negat Fag. n. 9. cum aliis contra
alios, ejusmodi confessarium esse inhabi-
lem ad testimonium dandum in Judicio;
nisi quoad peccatum ex sola confessione
notum.

277. Cum autem in pœnis benignior
sit

fit interpretatio facienda. *Reg. 49. in 6.* exque mollienda potius sint, quam exasperanda. *l. Interpretatione. 42. ff. de pœnis.* ideo etiam par est, textum *cap. Omnis utriusque. preced. num. relatum*, ejusque verba juxta strictam significationem suam ita interpretari, ut pœna sigillifragis statuta in Canone juxta eundem ritè percipiatur.

Ad incurrendam ergo pœnam Depositionis & Detractionis in Monasterium propter fractum sigillum requiritur I. ut frangens sit *Sacerdos*; de hoc enim solo loquitur textus.

II. Ut id, quod revelat, sit *peccatum*; sicut itidem habent verba textus; adeoque ut revelet vel veniale in aliqua certa specie v.g. Mendacium jocosum, Verbum otiosum, Furtum materiæ parvæ &c. vel Mortale, saltem in genere, sive jam ipsius Pœnitentis, sive Complicis. *sup. n. 230.* Unde revelans alia, quæ sub sigillum cadunt. *sup. n. 191.* vel tantum dicens, aliquem sibi confessum esse venialia, multa, gravia, nova, minutissima &c. peccat quidem contra sigillum *sup. n. 224. & seq.* potestque puniri, non tamen prædictâ pœnâ ordinariâ, sed aliâ extraordinariâ & mitiore. *Dian. cit. p. 5. tr. II. Res. 51.* cum *Granado.* Imò *Bern. Diaz. in pract. crim. cap. 109. n. 2.* non putat, pœnâ ordinariâ puniendum, qui dicit: *Petrus, qui mihi confessus est, non absolvi;* vel: *Petrus est mihi confessus peccata, à quibus non possum absolvere.* Nam etsi Petrus hoc modo reddatur suspectus de peccato aliquo mortali & gravi contra sigillum; tamen quia etiam ob multas alias causas alicui absolutio dari non potest. *sup. n. 234.* ideo nondum in

ordine ad pœnam à lege statutam censetur Petri peccatum sufficienter esse hoc modo revelatum. Non apparet ergo, cur hanc sententiam sibi non placere dicat *Fag. cit. lib. 6. cap. 7. n. 11.*

III. Ut peccatum patefaciat *revelando*; præsumperit *revelare*, inquit textus. Revelatio autem strictè sumpta est illa, quæ secretum alicujus certæ personæ manifestatur alteri, cui non jam antè est notum. *sup. n. 193.* Undereus quidem violati sigilli, non tamen prædictæ ordinariæ pœnæ est, qui extra confessionem soli pœnitenti de confesso ejus peccato loquitur. *Dicast. n. 89.* *Hurt. de Sacram. Pœnit. Diss. 12. Diff. 11.* vide *D. an. p. 5. tr. II. Res. 6.* vel qui dicit de aliquo, illum sibi esse confessum v.g. adulterium, quod vel est notorium, vel saltem illis jam antè est notum, quibus id dicit. *Medina apud Dian. l. c. contra alios;* vel qui, cum dicit, se hoc vel illud peccatum in confessione audivisse, non exprimit ullam certam personam; vel exprimit tantum locum aut communitatem, ubi id audivit. *Nugnus & Onuphrius apud Dian. p. 2. tr. 15. Res. 13. v. sed quoad.* quia nullus ex istis strictè revelat peccatum; cum priores duo id tantum dicant illis, quibus jam antè est notum; & tertius personam pœnitentis, saltem determinatè, non exprimat. Eodem modo à pœna ordinariâ immunis est, qui tantum utitur notitiâ confessionis, sed absque omni revelatione; de quo *sup. à n. 252.*

IV. Ut peccatum revelet *presumptuosè*; quia textus ait: *qui presumpserit revelare*, hoc est, qui scienter & voluntariè cum plena deliberatione revelaverit peccatum, sive jam in seipso & directè, sive

sive in aliquo alio facto aut signo; quo modo diximus *sup. n. 192.* revelari indirectè. Unde pœnam ordinariam non incurrit, qui peccatum pœnitentis revelat, sed ex ignorantia, vel inadvertentia, vel in somno, amentia, ebrietate &c. quamvis se inebriasset cum prævisione periculi de revelatione tunc facienda; vel cum expressa quoque intentione, eam tunc faciendi. Ratio, quia ebrii proferunt verba merè materialiter, & non ad ullum mentis suæ conceptum per ea exprimendum; cum nullatenus advertere possint, ea esse ad id apta media. Nihilominus tamen ejusmodi incurri, & præsertim ebriosi homines alia gravi pœnâ coercendi sunt; quia proximum adhuc graviter lædunt, & Sacramentum magnâ irreverentiâ afficiunt.

V. Ut sacerdos peccatum, quod revelare præsumit, ex Sacramentali alicujus confessione cognoverit tanquam *Confessarius*; sibi nimirum (tanquam *Judici*) in *Sacramentali* *Judicio* (non inchoative aut consecutive, sed formaliter, hoc est, pro ipsa formali confessione Sacramentali sumpto) *detectum*; ut habet textus. Unde apparet, quod solus Confessarius sacerdos propter sacrilegam peccati revelationem sit subiectus pœnæ, in *cit. cap. Omnis utriusque.* statutæ; & nullus alius ex omnibus, quos *sup. à n. 258.* recensuimus, sive jam peccati notitiam ex confessione acceperint immediatè, vel mediatè, licitè vel illicitè; atque adeo nec Sacerdos, qui peccatum, quod revelat, cognovit tantum ut interpret, internuntius, consiliarius, superior &c.

278. Clericus, qui, cum nondum sit sacerdos, fingit se esse, & non ex joco,

sed seriò audit aliquem Sacramentaliter confitentem, tanquam Confessarius, est propter hoc solum improbum facinus, etiamsi nihil revelet, abjiciendus de Ecclesia, sive (ut *Fag. cit. lib. 6. cap. 7. n. 4.* putat) excommunicandus, & sit irregularis; sicut omnes alii Clerici, qui actum Ordinis, quem non habent, exercent solemniter, vel ex officio. *cap. si quis. 1. de Cler. non ord. ministr.* hoc est, exercent actum quendam Ordinis eo modo, quo non potest licitè nisi ab habente ipsum Ordinem exerceri. *Barb. ibid. n. 6. quin. 7. uti & Dian. p. 5. tr. 11. Res. 53.* cum Henric. Sayro & aliis rectè docet, laicum, qui se fingit esse sacerdotem, & confessionem audit, non esse propterea irregularem: quidquid in contrarium nitatur *Fag. l. c.* Nam irregularitas nunquam incurritur, nisi sit in Jure clarè expressa. *cap. is qui. 18. de sent. excom. in 6.*

At verò Clemens VIII. in Bulla *Esse aliàs.* 18. An. 1601. 1. Decemb. edita statuit insuper, ut quicumque non promotus ad presbyteratum Missam celebrasse, vel Confessionem Sacramentalem audivisse repertus fuerit, ab Inquisitoribus vel locorum Ordinariis tanquam misericordiâ indignus à foro Ecclesiastico abjiciatur, & ab Ordinibus Ecclesiasticis, si quos habet, ritè degradatus, statim curiæ seculari tradatur, per Judices seculares debitis pœnis plectendus; & quidem (ut Urbanus VIII. in Bulla *Apostolatus.* 79. an. 1628. 23. Martii edita extendit) sive sit laicus, sive clericus secularis aut regularis cujuscunque Ordinis, etiam exempti & immediatè Pontifici subjeçti, majorennis vel minorennis, dummodo vigesimum ætatis annum compleverit.

§. II.

*Quomodo procedendum in iudicio
contra sigillifragum Confes-
sarium?*

279. Ut Confessarius ob violationem sigilli ad pœnam ordinariam *sup. n. 276. & seq.* traditam condemnari possit, debet constare de tribus; nimirum 1. quòd peccatum quodpiam pœnitentis vel complicitis alteri manifestaverit; 2. quòd manifestaverit illud sine licentia pœnitentis; & 3. quòd illud non aliunde quàm ex confessione sciverit. Prout autem diversa ex his in quæstionem veniunt, diversis quoque incumbit probandi onus.

I. Ergo si Confessarius neget, se alicujus peccatum revelasse, debet id probare accusator, sive jam sit ipse pœnitens, sive alius tertius.

II. Si Confessarius ipse fatetur, vel aliunde constat v.g. per testes, quòd ille peccatum pœnitentis vel complicitis alteri manifestaverit; sed dicat, id sibi alio modo, quàm per confessionem fuisse notum; tenetur ipse hoc probare, & ostendere, quàm alia viâ didicerit. Quodsi in probatione deficiat, puniendus quidem erit, non tamen pœnâ ordinariâ depositionis & detractionis in Monasterium, sed extraordinariâ & mitiore. Hostiens. Panormit. Navar. Fatinac. Menoch. & alii apud Fag. *Præc. 2. lib. 6. cap. 1. n. 24.* quia non est plenè convictus de delicto, inquit Card. Lug. *n. 151.*

Quodsi denique III. constet, factam fuisse peccati, ex sola confessione cogniti, revelationem, sed Confessarius excipiendo dicat, se habuisse licentiam; tunc

in primis attendendum est, an ipse pœnitens, vel an aliquis alius tertius eum accuset. Si accusator est tertius aliquis, tunc iste probare debet, Confessarium revelasse peccatum sine licentia juxta cit. DD. quia illi incumbit onus probandi, contra quem stat præsumptio; atqui hic, & pro Confessario, & pro servata Sacramenti reverentia stat præsumptio contra tertium accusatorem; ita ut si pœnitens tunc jam sit mortuus, credatur Confessario in iudicio, nisi aliud evidentè probetur, inquit Fag. *l. c.* Ad quod tamen sufficit, si accusator juxta Barb. *in cap. Omnis utriusque. n. 24.* Reginald. *lib. 3. n. 68.* & alios, solum probet, Confessarium, cum revelavit peccatum, nihil meminisse de habitâ licentiâ, Talis enim probatio, inquit Fag. *l. c. cap. 7. n. 10.* sufficit in isto casu, licet aliàs in criminalibus non sufficiat.

280. Si in dicto casu, quo Confessarius peccatum ex sola confessione notum dicit se revelasse cum licentia, pœnitens ipse sit accusator, tunc res est magis intricata & difficilis. Multi apud Lug. *n. 149.* volunt, Confessario hinc incumbere probationem; cum licentiam esse datam sit aliquid facti, quod non præsumitur. Cogendum itaque eum, ut præstet hac super re juramentum: quo deinde vel standum sit. Reginald. *l. c. n. 68.* vel onus probandi transferendum in pœnitentem. Fag. *cit. n. 10.* hunc autem satis probaturum suam intentionem, si probet, quòd Confessarius nihil de licentia dixerit, cum peccatum revelavit. Sed rectius Dian. *p. 5. tr. 11. Res. 52.* cum aliis negat, Confessarium esse ad hujusmodi angustias redigendum, maximè cum li-

cen-

P. Sto

Tribu
Poenite
E
S

centiam in scripto, aut coram testibus exigere non conveniat. *sup. n. 198.* & confessorius, etsi seipsum ad iuramentum offerat, non semper fit ad id admittendus, ut ex dicendis mox patebit.

Itaque hîc ferè tantùm ex præsumptionibus & conjecturis procedendum est, quarum potissimùm duæ sunt. Altera desumi potest ex effectu factæ revelationis, an fuerit, vel non fuerit graviter damnosa pœniti, vel alteri. Altera petenda est fama, moribus, & vita pœnitentis & confessorii. Si enim revelatio peccati cedet in grave damnum pœnitentis, vel alterius, idque pœnitens facile prævire potuit, præsumeretur, non voluisse ipse sibi vel alteri gratis nocere, dando licentiam; & multum confirmatur hæc præsumptio, si confessorius insuper sit malæ famæ, morum corruptorum; pœnitens e contra boni nominis, probatæ vitæ. Quod si revelatio nihil damni, sed potius aliquid commodi affert pœniti, tunc stat pro confessorio præsumptio de data licentia; eaque valde roboratur, si confessorius sit integræ famæ & vitæ, pœnitens autem infectæ. Ex his omnibus verò si adhuc nihil certi erui possit, favendum est in dubio potius Reo, credendumque magis Confessorio, qui affirmat, sibi datam fuisse licentiam, quam pœniti, qui negat; maximè cum confessorius in rebus forum internum concernentibus habeat se ut Judex & Superior, de quorum Justitia semper præsumentum est. Neque tamen hinc cum *Fag. l.c.* dici debet, quòd rarissimè, vel nunquam Sacerdos ob violatum sigillum possit damnari ad pœnam ordinariam, ut

consideranti ea, quæ attulimus, facile patebit.

281. Porrò quia revelatio sigilli est delictum valde enorme, atrox, & bono publico summè noxium, ideo ob hanc ejus qualitatem sufficiunt ad illud probandum etiam testes singulares. *Tan. tom. 4. Disp. 6. q. 9. n. 122.* Et alii, ut si unus testetur, se ex confessorio peccatum audivisse hoc loco & tempore, alius alio, tertius iterum alio &c. vel unus testetur de uno peccato revelato, alius de alio, & tertius iterum de alio. Valde etiam gravaretur Confessorius, ejusque fides, si plures pœnitentes contra illum exurgerent, & quilibet eorum sigillum suæ confessionis ab eo violatum esse quereretur.

SECTIO IX.

Discutitur nova & singularis Difficultas de modo procedendi judicialiter contra sigillifragos Confessorios.

282. Gravem hîc difficultatem movere laudatissimus Theologus R.P. Georgius Gobat in suo *Quinario, tr. 5. cap. 42.* ab aliis, ut ipse ait, intactam: *Quomodo nimirum in processu judiciali se gerere possit, & debeat Judex, Testis, & ipse Confessorius, si fama publica sit, ab isto determinatum aliquod Caji peccatum v. g. homicidium fuisse ex confessione Sacramentali revelatum?*

* *
*

S. I.

Proponitur Ratio Difficultatis, & Opinio R. P. Georgii Gobat.

Ratio dubitandi est hæc. Omnes, ad quos noticia de homicidio Caji, ex confessione Sacramentali derivata, pervenit vel immediatè, vel etiam mediatè tantum, saltem per illicitam & sacrilegam sigilli revelationem, sunt obligati sigillo. *sup. à n. 199.* ita ut de peccato illo nec inter se, nec cum aliis loqui aut agere possint sine licentia pœnitentis; nec etiam quidquam dicere aut facere, nec à quocquam induci ad aliquid dicendum, aut faciendum, unde illorum aliquis, vel quivis alius in cognitionem vel rationabilem suspicionem de illo Caji peccato venire possit. *sup. n. 192.* atqui ad Confessarium notitia de homicidio Caji pervenit ex confessione Sacramentali immediatè, mediatè autem per illicitam revelationem ad omnes alios, quibuscunque publica fama de illo innotuit; ergo hi omnes sunt obligati sigillo; ergo nec Confessarius potest in Judicio fateri factam à se revelationem; nec ullus testis de ea, vel de fama ejusque veritate testificari; ne quidem si & ille, & iste loquatur tantum de revelatione alicujus peccati in genere. Nam etiam hoc modo jam dicerent, aut facerent aliquid, unde omnes audientes venirent in cognitionem vel rationabilem suspicionem commissi à Cajo homicidii, sic discurrendo; Illud peccatum Caju commisit, quod Confessarius revelavit, & fatetur se ex ejus confessione revelasse, atque testes testantur; atqui juxta fa-

mam publicam, eamque vel veram juxta testium elogia, vel saltem non improbabilem, Confessarius revelavit homicidium Caji; ergo Caju verè, vel saltem non improbabiler commisit homicidium. Confessarius itaque hinc fatendo, etiam generatim tantum & abstractè, se revelasse aliquod peccatum Caji; & testes vel de revelatione, vel de ejus fama itidem tantum generatim testando, frangunt indirectè saltem sigillum; ergo jam in Judicio nec ille fateri, nec isti testimonium dare de hac re licitè possunt. Unde jam neque Judex potest eos licitè ad aliquid tale dicendum aut faciendum inducere; quia hoc ipso induceret eos ad indirectam sigilli violationem, quod non est licitum.

283. Hoc argumento convictus memoratus Auctor, jam in cœlo, ut non minora virtutum quam litterarum decora sperare jubent, aternâ gloriâ, doctorumque laureolâ coronatus, primum docuit; & post accepta duorum Theologorum, quos consuluit, Responsa, cum ei non satisfacerent, constanter tenuit, contra sigillifragum Confessarium non posse in proposito casu judicialiter procedi, sine expressa pœnitentis licentia; qui tamen etiam illam pro suo arbitrio, & quidem etiam irrationabiliter possit, si velit, negare, negandòque processum impediri.

Quod si fama spargat, à Confessario fuisse non determinatum, sed tantum indeterminatum aliquod Caji peccatum revelatum, tunc idem Auctor censuit, Judicem posse in primis de fama, ejusque veritate generaliter inquirere; deinde speciali-

P. Sto

Tribu m.
Poenite m.
E m.
S. I. h.

cialiter de ipso Confessario: & hunc posse quoque contra seipsum fateri delictum revelationis; nec non testes contra illum de eodem testificari; quia hinc neque Confessarius fatendo, neque testes testando frangunt directè aut indirectè sigillum. Nam ex revelatione peccati in genere, de qua sola hic est fama; & tam Confessarius, quàm testes loquuntur, nemo potest venire in cognitionem aut suspicionem alicujus peccati à Cajo commissi, & sub sigillo contenti; sed prorsus adhuc occultum & ignotum manet, an id, quod revelatum fuit, sit veniale vel mortale in specie, & quodnam illud; vel an sit mortale in genere. Unde jam nihil etiam obstat, quo minùs Judex quoque contra Reum per testes in Judicio possit licitè procedere.

Et ad posteriorem hunc casum quod spectat, potest quidem in eo utcumque servari sigillum inviolatum; quia tamen hoc modo non constat in Judicio de revelatione peccati, nisi tantùm in genere, adeo Confessarius si neget, non videtur posse per tam generalem & obscuram testium asseverationem satis convinci, condemnarique ad penam ordinariam, ut colligi potest ex dictis *sup. n. 279. v. si confessarius*. Ad procellum ergo Judiciale, de quo hinc sermo est, quia parùm vel nihil facit iste posterior casus, eum consultò præterimus.

Sed loquendo tantùm de priore, ita de eo ut dixi, sensit P. Gobatin anterioribus Quinariis sui editionibus. An in postrema Monacensi, quæ ferè cum vita Autoris fuit finita, aliquid circa sententiam illam immutaverit, nescio, quia exemplum illius nondum habeo. Opti-

mus Pater; non multò antè, quàm iterata illa susciperetur impressio, voluit pro insigni sui animi demissione, quàm etiam à Discipulis Magister discere cupiebat, hac super re per litteras meum sensum exquirere; & quia scivi viro candido placere candorem, apertè respondi, prædictam opinionem mihi non probari ob rationes, quas tunc in scripto inter alias occupationes deproperato transmisi, & ille ipse non omnino nihili faciendas esse judicavit. Ex illis aliquas nunc ita hinc propono.

§. II.

Impugnatur prædicta Opinio.

284. Itaque I. si contra confessarium, de quo publica fama cum veritate spargit, revelasse ex confessione v.g. homicidium à Cajo patratum, non potest Magistratus Ecclesiasticus judicialiter procedere inquirendo, testes examinando, reum confessum vel convictum puniendo &c. sine licentia expressa Caji; tunc sequitur, quòd Jurisdictio & potestas publica Ecclesiæ ad vindicanda puniendaque delicta publica, etiam enormia, atrocissima, & bono publico summè noxia (uti est violatio sigilli) non possit exerceri, nisi tantùm dependenter à libera voluntate & consensu vel dissensu, etiam irrationabili, unius alicujus privati hominis: atqui hoc non minùs absurdum & falsum est, quàm si diceretur, quòd Jurisdictio & potestas publica Ecclesiæ quoad obligandos suis legibus fideles non possit exerceri, adeoque eos ad illas non obligare, nisi dependenter ab arbitrio etiam irrationabili populi; imò & unius tantùm sui subditi &

pri-

privati hominis, Quod est propositio 28. inter prohibitas ab Alex. VII. 1665. 24. Sept. Sequela Majoris est clara; & Minor constat ex connexionione, paritate, vel identitate inter utramque Ecclesiæ potestatem, Legislativam & Coactivam seu Vindicativam. Frustraneè scilicet profus Ecclesia posuisset, sicut de aliis rebus, ita & de sigillo servando leges, si temerarios, & præcipuè notorios illarum transgressores debitis pœnis coercere non posset absque consensu unius privati hominis, cui liberum sit, pro arbitrio eundem dare vel negare. Et quis non videt, quàm absurdè & malè dicatur, furem aut latronem non posse à Magistratu affici supplicio, nisi privatus homo, qui inde læsus est, consentiat? maximè si per idem furtum, vel lethalem vulnerationem simul etiam alicui tertio, in ejus potestate non constituto, grave damnum sit illatum; uti hîc Sacramento juxta dicenda *infra* n. 292. infertur gravissima irreverentia, & omnibus fidelibus magna injuria; quod enim in Religionem Divinam committitur, in omnium fertur injuriam juxta textum *l. Manicheos. 4. Cod. de Hæret. & Manich.*

285. II. Si Confessarius publicè coram tota communitate, aut majore ejus parte revelaret ex confessione v.g. homicidium Caji; & Caji, antequam id ei absenti innotesceret, mortem obiret; tunc sacrilegum istum Confessarium de notorio violati sigilli crimine nemo posset accusare, nemo posset contra illum testificari; & ne quidem Judex Ecclesiasticus ex officio quidquam contra illum statuere: atqui notoriam deliberatamque Sigilli Sacramentalis violationem debere in Eccle-

sia relinqui impunitam, est planè absurdissimum; & contra omnium fidelium sentum; quibus semper æquum visum est, ut immanissima ejusmodi sacrilegia par pœnæ magnitudo peccellat. *l. Quicumque. 8. §. 5. Cod. de Hæret. & Manich.* Sed & manifesta peccata cum non sint occulta correctione purganda. *cap. 1. de Pœnit. & Remiss.* multò minùs sunt impunita relinquenda. Probatur autem sequela, quia Caji, cum ante acceptam facti notitiam mortuus fuerit, nec ante dedit, nec jam dare potest licentiam; sine expressa autem licentia Caji nullus ex iis, qui sacrilegam homicidii revelationem audiverunt immediatè vel mediatè, potest quidquam dicere vel facere, unde illorum aliquis vel alius possit homicidium cognoscere; cum omnes sint sigillo obligati, quod hoc ipso saltem indirectè violarent; ut vult Autor sententiæ, contra quam argumentor.

286. III. Juxta sententiam, quam impugnamus, potest quilibet Confessarius cujusvis demortui pœnitentis quodvis peccatum; imò & integram quoque confessionem impunè revelare; modo id faciat coram duobus aut pluribus. Nam sive jam unus sciente alio, vel aliis, sive omnes simul accusent sacrilegum Confessarium, etsi de revelatione alicujus peccati tantùm in genere, tamen hoc ipso jam unus ceteris, uni vel pluribus; & omnes sibi invicem ingerunt iterum notitiam peccati revelati: atqui hoc illis, utpote sigillo obligatis non est licitum sine licentia pœnitentis, quam à mortuo jam non amplius habere possunt.

IV. Si prædicta sententia subsistit, tunc crimen violati sigilli est talis naturæ.

1. ut sine licentia pœnitentis nunquam possit probari per contestes. 2. ut si tertius aliquis accuset sigillifragum Confessarium, nunquam possit ad probandam suam intentionem adducere illum in testem, etsi innumeri interfuerint revelationi, eamque propriis auribus audiverint; imò 3. ut illud possit quidem accusari, si coram uno tantum, & in occulto; nequaquam autem si coram pluribus, & in publico sit commissum; uti ex præcedentibus duobus argumentis planum est; 4. ut illà ipsà lege, contra quam committitur, tutum sit & impune; possitque adeo 5. committens in legem legis auxilium invocare, & eodem gaudere: atqui hæc omnia sunt in Jure paradoxa, prorsus incognita.

287. V. Eadem sententia, de qua loquimur, aperit Confessariis improbis, qui tantum formidine pœnæ in officio contineri possunt, amplam viam ad revelanda peccata, & Confessiones tam vivorum, quam mortuorum; quia reddit illos ex magna parte immunes à pœna; cum, ut illa vult, non possint judicialiter accusari aut puniri sine licentia pœnitentis, quæ tamen sæpissimè ob ejus absentiam, amentiam, mortem, vel alium casum haberi non potest: atqui hoc plane est & Confessariis & omnibus fidelibus vehementer scandalosum, Mysteriis Divinis probrosum, Sacramento Pœnitentiæ odiosum, pœnitentibus injuriosum, bono publico, totique Ecclesiæ perniciosum, & Divinæ quoque Providentiæ, quæ in rebus & mediis ad bonum commune necessariis nunquam deficit, prorsus contrarium. Adde, quòd omnis dispositio, invitans aliquem ad delinquen-

R. P. Stoer Trib. Pœnit. Lib. II.

dum, sit ipso Jure nulla juxta textum. *l. Illud convenire. 5. ff. de Publ. dotal.* atqui lex de sigillo confessionis, quatenus, ut dicitur, vult & disponit, ut Confessarii sigillifragi, maximè notorii, nunquam possint sine licentia pœnitentis in Judicio accusari, convinci, puniri, invitat illos ad delinquendum; quia sicut facilitas veniæ, ita multò magis impunitas, incentivum tribuit delinquendi 23. q. 4. can. *Est injusta. 33.* ergo lex de sigillo, si talis foret, esset eatenus ipso Jure nulla. Certè sicut satis inhumanum videtur, per leges, quæ perjurium puniunt, viam perjurii aperiri *l. 2. Cod. de indicta viduit.* ita rectè rationi satis adversum est, per legem, quæ prohibet violari sigillum, viam violandi sigillum aperiri.

§. III.

Deciditur proposita Difficultas.

288. Aliter ergo sentiendum est de casu *sup. n. 287.* proposito, & omnino concedendum, quòd pœna, quæ in Confessarios sacrilegè linguatos à lege non frustra aut dicis tantum causà statuta est, possit in illos vel confessos, vel testibus plenè convictos judicialiter decerni, quòdque adeo quilibet, ad quem sacrilega peccati determinati, vel mortalis indeterminati revelatio, publicè vel occultè, coram uno vel pluribus, adhuc vivo vel jam mortuo pœnitente facta, pervenit, possit liberè & licitè eam ad Judicem deferre; Judex inquirere, testes in Judicio testificari, reus ipse fateri, sententia in eundem ferri, & executioni mandari, non tantum cum, sed etiam sine licentia pœnitentis, nihil obstante sigillo, quòd

Z

illos

illos obligat. Fundamenta hujus meæ Resolutionis sunt seqq.

289. I. Ipse P. Gobat in *Exper. Theol.* 17.7. n.852. relatus à me *sup. n. 207.* ait, se non posse negare in praxi probabilitatem illi sententiæ, quæ docet, excepto Confessario, neminem alium, adeoque nec illos, quibus sacerdos sine licentia revelavit sacrilegè alterius confessionem, obligari sub sigillo propriè dicto, sed tantùm sub *secreto* merè naturali, eoque tali, quod ad avertendum gravissimum malum in extrema necessitate, præsertim publicâ, possit licitè absque ullius alterius consensu manifestari; atqui violatio sigilli Sacramentalis est gravissimum malum, præponderans omnibus aliis, etiam ruina: integri Regni & totius Mundi *sup. n. 110.* neque potest aliter satis evitari, quàm denunciando reum, accusando, contra illum inquirendo, testificando, exequendo &c. ergo dato casu potest Accusator, Judex, & Testis secretum naturale, sub quo solo pœnitentis peccatum, ex sacrilega revelatione vel ejus famâ cognitum, servare tenentur, licet aperire sine omnia illius licentia; imò & illo invito. Solus ergo Confessarius, utpote sigillo propriè dicto obligatus, haberet juxta hoc fundamentum adhuc aliquam in fatendo suo delicto difficultatem. Sed & ista non est insuperabilis. Nam

290. II. Multi docent, quòd Confessarius, qui de publico peccatore v.g. usurario, concubinario &c. vel de occulto quidem, sed tantùm illi, cui ipsius peccata jam antè sunt aliunde nota, dicit generatim tantùm *sibi illum sua peccata bene esse confessum*, nec directè, nec indi-

rectè frangat sigillum. *sup. n. 223.* Item quòd Confessarius ex notitia confessionis licitè possit quidpiam dicere aut facere, quòd secundùm se non est revelationum ullius peccati in specie, aut alicujus mortalis in genere; etiam si alii, quibus peccatum pœnitentis jam antè & aliunde notum est, advertant id dici aut fieri ex audita confessione peccati. Ratio eorum est, quia in utroque casu ex tam generali & indifferenti dicto vel facto secundùm se spectato nemo, qui audit vel videt, potest cognoscere commissum esse ab alio ullum peccatum in specie, nec etiam aliquod mortale in genere; etsi aliqui, quia is peccatum commissum jam antè & aliunde est notum, ideo ex ejusmodi dicto vel facto colligant, id à pœnitente esse confessum; ergo ex dicto vel facto illo non cognoscunt confessionem peccati (quia ex se eam non significat) sed tantùm ex antè noto peccato, & simul ex dicto aut facto illo cognoscunt ejusdem peccati confessionem: quòd juxta istos Autores non est contra sigillum. *sup. n. 253.*

Hæc ergo doctrina si sit vera, res est hîc jam expedita, modò de Confessario, quem publica fama fert, vel notorium est, revelasse certum peccatum Caji, v.g. homicidium, Accusator, Testis, Judex, & ipse quoque Confessarius fatendo, dicat generatim tantùm (quòd, ut P. Gobat *sup. n. 283.* vult, sufficit) revelasse aliquod peccatum Caji, neque id specialius expriment. Sic enim argumentor. Ille non frangit sigillum, ne quidem indirectè, qui tantùm dicit aut facit aliquid, quòd secundùm se neminem ducit, aut ducere potest in cognitionem aut suspitionem

P. Sto.

Tribu m.

Poenite m.

E m.

S. H.

cionem de aliquo alterius peccato in specie, vel mortali in genere; etiamsi alii, quibus id jam antè & aliunde notum est, hoc quoque possint inde colligere; atqui Accusator, Testis, & Judex dicendo generatim tantum, Confessarium revelasse peccatum aliquod Caji; & ipse Confessarius hoc fatendo, dicunt tantum id, quod secundum se neminem ducit, aut ducere potest in cognitionem aut suspicionem de aliquo Caji peccato in specie, vel de aliquo ejus mortali in genere. *sup. n. 283, v. Quod si*, nisi tantum illos, qui id aliunde jam sciunt vel ex fama, vel ex ipsa notoriè facta revelatione, ergo &c. Minor est clara. Major autem est fundamentum doctrinæ hîc suppositæ.

Ego quidem *ll. cc.* negavi Majorem, & dixi, memoratam doctrinam, quia minus favet sigillo, non esse admitte-
tendam in praxi. Sed si non superesset alius modus legitimandi processum Judicialem contra sigillifragos Confessarios, posset & deberet in isto saltem casu admitti; cum, quod de Jure non est licitum, necessitas faciat licitum. *cap. 4. de R. l.*

Fortassis tamen alicui videri posset, non omnem operam perdere, qui pro fundamento ponere vellet etiam istud.

291. III. Id, quod unice tendit tanquam medium utile, & in foro externo ordinarium atque necessarium ad sigillum sanctè servandum; & si quando malè apertum fuerit, ad illud iterum claudendum atque redintegrandum, non est, nec esse potest contra sigillum: sed quòd aliquis possit sigillifragum Confessarium in foro externo accusare, contra eum testificari, inquirere, sententiam fer-

re & exequi; ipse quoque reus delictum fateri, non tantum cum, sed etiam sine licentia pœnitentis (maximè si ea, ut sapè fit, haberi non possit) tendit prædicto modo unice ad sigillum sanctè observandum, & post malam aperturam denudè arctè claudendum ac redintegrandum; ergo tale quid dicere aut facere, etiam sine licentia pœnitentis, maximè si haberi non possit, non est, nec esse potest contra sigillum. Major hujus Argumenti est clara, quia in nullo Jure reperitur ulla lex aut obligatio tam heteroclitica, quæ prohibeat aut impediât media ad sui observationem utilia, in foro externo ordinaria & necessaria; esset enim sibi ipsa contraria & repugnans. Sed neque Minor habet magnam difficultatem. Ut enim ad leges de actibus externis observandas subditi compellantur, medium utile, & in foro externo ordinarium atque necessarium sunt pœnæ statuta, & transgressoribus infligendæ judicialiter, intervenientibus accusatoribus, testibus, Judicibus &c. Frustra nimirum sunt leges, si Custos seu Judex desit, qui earum observantiam urgere possit coërcendo transgressores per pœnas legitimo seu judiciali ordine inferendas. *Nov. 133. cap. 4.*

292. Quòd autem Accusatio, Testificatio &c. in causa fracti sigilli fieri possit etiam sine licentia pœnitentis, videntur persuadere seqq. Rationes. Tum quia illa etiam sine licentia pœnitentis, maximè cum hæc haberi nequit, sunt medium utile, ordinarium atque necessarium ad sigillum servandum & reparandum. Tum quia violatio sigilli cedit non tantum in injuriam pœnitentis contra Justitiam, sed etiam in irreverentiam & profana-

fanationem Sacramenti contra Religionem *sup. n. 186.* gravissimèque ladic bonum publicum Ecclesiæ; & omnes fideles *juxta l. Manicheos. sup. n. 284. allegatam.* ergo pœnitens, etsi negando licentiam videatur condonare injuriam sibi illatam, non tamen per sublequentem hanc suam condonationem tollit delictum antea commissum; nec etiam impedire potest; quo minùs legitimus Magistratus in foro externo propterea contra reum judicialiter procedat, & puniat; sicut ille, qui furtum passus est, per suam condonationem impedire non potest, quo minùs Magistratus contra furem in Judiciò procedat, eumque suspendat. Tum quia ad hoc, ut sigillum servetur, non est opus ulla licentia pœnitentis; cum ad id Jure naturali, divino, & humano teneamur. *sup. n. 184.* ergo nec opus est licentiâ pœnitentis ad ea, per quæ velut media ordinaria & necessaria fit, ut servetur; sicut fit per Accusationem, Testificationem &c. contra sigillifragos confessarios. Si enim judicialiter constet, famam de homicidio v. g. Caji fuisse ex sacrilega Confessionis Sacramentalis revelatione ortam, tunc statim illud Caji peccatum, sicut antè, ita & deinceps debet iterum sic servari apud omnes occultum, ut de eo sine licentiâ Caji nemo cum illo, vel cum ullo alio loqui aut agere quidquam possit; nec ejusdem notitiâ unquam cum ulla molestia Caji uti; perinde ac si de illo homicidio Caji nihil unquam in toto orbe fuisset audirum. *sup. n. 157.* Unde satis patet, Judicium ejusmodi de sigillo ejusque violatione esse ordinatum ad tuendum firmandumque

sigillum adeoque in eo contra sigillum nihil agi aut peccati.

293. IV. Et præcipuum Fundamentum videtur desumi posse ex Christi institutione, & Regimine Ecclesiæ, à Christo utique perfectè ordinato. Eam ergo dedit Christus Ecclesiæ potestatem, quæ ad fideles gubernandos est in utroque foro, interno & externo necessaria, per illud *Matth. 16.* Tibi dabo claves Regni Cælorum &c. adeoque ut subditorum delicta externa, maximè publica, omnibus scandalosa, bono communi summè damnosa, Religioni venerationique Sacramentorum contraria possit etiam in foro externo judicialiter cognoscere, punire, atque ita illa impedire; & quidem absolute liberè, ac independentè à licentia seu consensu populi, & vel maximè ab arbitrio unius tantùm privati hominis, qui pro libitu, etiam irrationabilissimè, possit licentiam negare; sæpe quoque non ampliùs in eo statu sit, ut, si vellet, dare possit. Talem enim potestatem habet, & habere debet qualibet benè perfectèque ordinata, & nullum in terris superiorem recognoscens Respublica; cum alioqui non esset sufficiens ad seipsam regendam: neque DEUS sufficienter providisset Ecclesiæ, si prædictam ei potestatem non dedisset. Atqui sacrilega violatio sigilli est delictum externum, enorme, atrox, & unum ex iis, de quibus modo dixi; ergo Christus dedit Ecclesiæ potestatem de eo in foro externo judicialiter cognoscendi absque ulla licentia ejus, cujus peccatum est revelatum, maximè si iste eam irrationabiliter neget, vel in eo statu sit, ut ab eo nemo

P. Sto.

Tribu n.

Pœnitentia

Enn

S. I. d.

mo amplius petere, aut obtinere possit. Videtur ergo sigillum ejusque obligatio fuisse hoc ipso ita à Christo instituta & taxata, ut, sicut non prohibet sui observationem, ita etiam non prohibeat ea, quæ ad sigillum servandum, ejusque violationem impediendam sunt in foro externo media ordinaria & necessaria.

294. Confirmatur. Violatio sigilli non est casus Metaphysicus, & referunt DD. sæpius, prò dolor! jam contigisse. De pœna quoque sigillifragis Confessariis infligenda agunt passim: Theologi in *tr. de Pœnit.* & Canonistæ in *cap. Omnis utriusque*. neque ullus, quod sciam, unquam docuit, crimen hoc debere in Ecclesia impunitum manere, sicut sæpè fieri necesse est, si semper prius, quàm contra reum agatur in Judicio, licentia pœnitentis, cujus peccatum revelatum est, petenda sit & impetranda; ergo hoc ipsum satis indicat, DD. judicasse, quòd ea, quæ in processu de violato sigillo aguntur, non sint contra sigillum, nec ad ea opus sit licentia pœnitentis.

§. IV.

Respondetur ad Argumentum contrarium supra positum.

295. Ex allatis quatator fundamentis non est admodum difficile respondere ad Rationem dubitandi *sup. n. 282*, propositam. Nam

Juxta I. *sup. n. 289*. traditum sic distingui potest. Qui sine licentia pœnitentis dicit, vel facit aliquid, unde alii veniunt in cognitionem aut rationabilem suspicionem de peccato pœnitentis ex sola ejus confessione Sacramentali noto, fran-

git directè vel indirectè sigillum, si sit ipse Confessarius, qui dicit, transeat; si sit aliquis alius, nego.

Juxta II. *sup. n. 290*. positum distinguendum est hoc modo: Ille frangit directè vel indirectè sigillum, qui dicit, vel facit &c. quod *ex se* & *secundum se* ita revelativum est peccati, ut inde hoc cognoscere vel rationabiliter suspicari possint etiam illi, quibus peccatum illud non jam antè & aliunde est notum, transeat: qui tantum dicit, vel facit aliquid, quod *ex se* non est tale, dicendo v. g. in genere tantum: *Titius Confessarius revelavit peccatum Caji*, nego; etiam si inde quoque iis, quibus peccatum jam antè est notum, præbeat occasionem cogitandi, quòd pœnitens illud sit confessus:

296. Juxta III. *sup. n. 291*. declaratum, videtur satis aptè sic distingui posse: Ille violat sigillum directè vel indirectè, qui dicit vel facit aliquid, quod non est unicè intentum tanquam medium utile & in foro externo ordinarium atque necessarium ad ipsum sigillum servandum vel redintegrandum, concedo; qui tantum aliquid dicit, aut facit, quod est tale, uti est accusatio, inquisitio, testificatio &c. contra sigillifragum, nego.

Juxta IV. *sup. n. 293*. statutum, habere locum potest ista distinctio: Indirectè saltem frangit sigillum, qui dicit, vel facit aliquid, unde aliis peccati ex sola confessione cogniti ingeneratur notitia vel rationabilis suspicio, si id non sit necessarium ad exercendam potestatem publicam, Ecclesiæ à Christo concessam contra sigillifragos Confessarios, concedo; si id sit necessarium ad hunc finem, uti est inquirere, accusare, testificari &c. nego.

nego, quia eo ipso, quod aliquid tale sit, jam spectat ad sigillum, ejusque observantiam: ergo non est contra sigillum aut sigilli obligationem.

§. V.

Referuntur, & solvuntur adhuc alia quadam Argumenta.

297. Tria adhuc sunt, quæ videntur potuisse Patrem Gobat in sua opinione confirmare, ut ipse in suis responsoriis ad me datis an. 1677. indicavit. I. quod Mediolano intellexerit, Sacram Inquisitionem illius loci nunquam adhuc suscepisse ullam causam fracti sigilli. II. quod unanimes sententia DD. sit, sub sigillo contenta in hoc solo & unico tantum casu posse revelari, si pœnitens expressam licentiam voluntariè & liberè concedat. *sup. n. 190.* III. quod Christus, si voluit, utique potuerit obligationem sigilli facere talem & tantam, ut etiam tunc, cum est publica fama, vel notorium, vel etiam solum pluribus notum, à Confessario certum alicujus peccatum v. g. homicidium Caji fuisse sacrilegè revelatum, nemo unquam sine licentia pœnitentis contra reum possit quidquam movere accusando, inquirendo, testificando, condemnando &c. atqui Christum de facto voluisse, ut obligatio sit talis, videtur colligi ex eo, quod DD. omnes consentiant, sub sigillo contenta non posse in ullo excogitabili alio casu revelari, quam si pœnitens det facultatem.

298. Sed etiam ista non habent admodum difficilem solutionem.

Ad primum jam *sup. n. 276.* dixi, Judicem in causa fracti sigilli non esse Sa-

cram Inquisitionem, nisi sit mixta cum hæresi.

299. Ad secundum dico, per ea, quæ tendunt & ordinantur ad sigillum servandum & redintegrandum (uti sunt etiam judicialis accusatio, testificatio, punitio, &c.) non revelari, nec posse ullo modo censeari, quod per ea revelentur contenta sub sigillo, ut probatum est. *sup. n. 292.* Certè non potest ullo modo censeari infamare Cajum ille, qui de infamia ipsi illata reum inferentem accusat, contra reum de eadem testificatur &c. Itaque juxta hujus quoque sententiæ fundamenta manet si mum, quod sigillum in nullo casu sit sine licentia pœnitentis revelabile.

300. Ad tertium Resp. sicut Christus, si voluisset, potuisset obligationem sigilli à Sacramento Pœnitentiæ omnino colere, *sup. n. 184.* ita potuisset etiam velere, ut in aliquibus casibus etiam publica violatio sigilli maneret in externo Ecclesiæ foro impunita, nisi pœnitens licentiam dedisset. Christum autem non hoc sed contrarium voluisse, suadet & probatur ex eo, quod alioquin Ecclesia non haberet sufficientem potestatem regendi seipsam, puniendique externa delicta, sibi suoque bono publico perniciosissima, ut constat ex dictis. *n. 284. cum seqq. & n. 293.*

§. VI.

Examinantur ulterius Opiniones contraria fundamenta.

301. Scripserunt jam hæc omnia, cum tandem ad manus venit Quinarijus R. P. Georgii Gobat, postremâ Monacensis præli

prædicatione vulgatus. Reperi ibi *tr. 5. cap. 42. in Appendice post n. 246. postea* totum meum scriptum, quod jam *13. Julii 1677.* ad illum festinante calamo exaratum transmiseram, verbatim, quamvis non sine omnibus typi mendis, à *litt. B. ref. que ad P.* insertum. Arbitratur quidem cit. Autor, sibi nihilominus adhuc in sua persistendum esse sententia; sed ut apparet, haud parùm de firmitate adhesionis remisit, quia ibid. *litt. A.* agnoscit rationes in contrarium allatas esse nervosas, & *litt. Q.* fatetur iis nervosius impugnari suam opinionem, quam antè sit ab aliis, quos consuluit, factum; idèmq; sentire mecum duos vel tres alios publicos Theologiae & SS. Canonum Professores; ac denique *litt. ZZ.* sub finem longæ suæ dissertationis: *Fortè erit, inquit, qui his cognitis arripiat & ipse calamum, & meam Resolutionem magis aut declaret, aut corroboret, aut mitiget.*

302. Pro Clypeo, quo suam nunc tueretur assertionem, objicit P. Gobat præcipuè argumentum tertio loco *sup. n. 297.* allatum, & à voluntate Christi, qui Sacramentum Pœnitentiæ instituit, sigillòque munivit, desumptum. In formam hîc ita redigo: Christus, sicut potuit velle, ita reipsâ voluit, obligationem sigilli esse talem & tantam, ut sine licentia pœnitentis non possit judicialiter procedi contra Confessarium, qui, ut fama publica fert, de certa persona certum aliquod peccatum v. g. homicidium Caji, ex sola ejus confessione notum, revelavit; ergo nulla ratione potest evinci, ut aliud liceat. Antecedens, in quo solo consistit tota difficultas, deberet probari vel ex S. Scriptura, vel ex definitione alicujus Concilii, vel

ex singulari aliqua ratione; nihil autem horum invenio apud cit. Autorem qui illud solùm colligit ex eo, quòd traditio Ecclesiæ, & unanimis DD. quos magno numero refert, consensus sit, Christum voluisse obligationem Sigilli esse tam firmam, ut in nullo excogitabili casu & ob nullum finem violari possit, peccatum aliquod ex sola confessione notum sine licentia pœnitentis revelando, uti & ego *sup. n. 190.* pluribus ostendi, sed si contra sigillifragum Confessarium, de quo agimus, judicialiter sine licentia pœnitentis procederetur, violaretur sigillum; & quidem *directè*, si Confessarius, testes, & Judex loquerentur de revelato peccato in specie; vel saltem *indirectè*, si de eo agerent tantùm in genere, ut constat ex dictis *sup. n. 192.* ergo Christus voluit, obligationem sigilli esse tantam, ut etiam non possit contra sigillifragum Confessarium judicialiter procedi sine licentia pœnitentis.

Confirmat hæc Autor *l. c. lit. QQ.* Responso, quod Reverendissimus Archiepiscopus Curia: Mediolanensis Vicarius in Criminalibus ad propositam Quæstionem dedit his verbis: *Si Causus pœnitens non conqueritur, nec querelam porrigit, Judex Ecclesiasticus non potest, nec debet ex officio contra Confessarium procedere; quia agitur de delicto privato; & esset in præjudicium Caji pœnitentis, constituendo illum reum de tali delicto, quod posset constanter negare.* Ita ille, ait que Gobat *l. c. litt. VV.* eum hîc apertè negare esse quidquam nisi cum pœnitentis consensu faciendum.

Quid de robore hujus Clypei, totòque discursu sentiendum sit, satis quidem superque constare potest ex iis, quæ à §. 2. huc-

hucusque dicta sunt; nihilominus tamen, ut rei veritas, quam non tantum Philosophi, sed etiam Theologi sæpius experiuntur, in puteo latere, magis in lucem protrahatur, quod ipse P. Gobat exoptat, ulterius & accuratius eum considerandum duxi. Itaque

303. 32. Negando Ant. idque I. quia fundamentum negandi habemus in S. Scriptura. Nam Christus cum *Matth. 16.* dedit Ecclesiæ in persona Petri claves regni cælorum; & *Joan. 21.* potestatem pacificandi suos agnos & oves, dedit potestatem etiam errantes reducendi, & ob commissa peccata puniendi in utroque foro interno & externo, neque ullam limitationem aut exceptionem apposuit; ergo non debet, nec potest à nobis apponi; nisi aliunde aliud de voluntate Christi aperte constet. Hinc Innocentius III. *cap. Novit. 13. de Jud. jure meritoque: Nullus*; inquit, *quis sit sana mentis, ignorat, quin ad officium nostrum spectet de quocunque peccato mortali corrigere quemlibet Christianum; & si correctionem contempserit, per districtiorem Ecclesiasticam coercere.* Idque pluribus testimoniis probat *ibid. §. Quod enim.* Confirmatur. Nullum est peccatum internum, de quo Ecclesia vi potestatis sibi à Christo *ll. cc.* concessæ non possit in foro interno judicare, & quoad illud sicut volentem solvere, ita & invitum ligare, si necesse sit; ergo etiam nullum est peccatum externum & publicum, de quo Ecclesia non possit judicare in foro externo & delinquentem subditum punire, etiam invito quocunque alio fidei, maxime si peccatum ejusmodi sit etiam notorium, atrox, & hono communi Ecclesiæ summè damnosum; uti esse ab

omnibus agnoscitur violatio sigilli sacramentalis per revelationem etiam minimi peccati. Et verò quis credat, Christum, qui iisdem verbis dedit Ecclesiæ potestatem pro utroque foro, dedisse pro interno quoad interna illimitatè, & pro externo quoad externa limitatè, darique tam magnam æquivocationem in una eademque non magnâ sententiâ.

II. In V. T. nullum fuit peccatum externum & publicum, maxime bono communi valde perniciosum, de quo Synagoga non potuerit in foro externo judicare, illudque punire, si aliquis ex subditis id commisisset; & Imp. Justinianus de sua seculari potestate pro foro civili loquens *Nov. 129. in princ.* Nullum, inquit, ita magnum est subjectorum nostrorum delictum, quod non nostra Clementia medeatur; ergo credi non potest, dari aliquod tale in Ecclesiâ, quia hæc utique non minorem in suos subditos accepit à Christo potestatem, quam olim Synagoga in suos à DEO, aut Imperator.

304. III. Nemini ex priyatis neganda est sui suorumque defensio; quia omnes leges, omniâque jura, naturale & positivum, tam divinum quam humanum, civile & Ecclesiasticum eam permittunt, *l. Scientiam. 45. §. 4. ff. ad L. Aquil. cap. Olim. 12. de Restit. spoliar. & cap. Dilecto. 6. de sent. Excom. in 6.* ubi dicitur, quod etiam cuilibet liceat suo vicino vel proximo pro repellenda ipsius injuriâ suum impetiri auxilium; ergo multò minus neganda est, aut dici potest negata esse toti alicui communitati pro se & membris suis; maxime illi, quæ nullum in terris Superiorem recognoscit, ad quem confugiat, uti est Ecclesia: atqui Confessarius,

P. Sto;

Tribu in.

Poanite in.

E. M.

S. H.

qui sigillum sacramentale violat, & revelat, maximè publicè, & in cœtu plurium hominum, determinatum peccatum certæ personæ, non tantùm lædit illam personam, sed etiam summâ irreverentiâ afficit Sacramentum Pœnitentiæ; cùmque hoc sit unum inter maxima & summè necessaria Ecclesiæ bona, gravissimum infert Ecclesiæ damnum; imò & omnibus fidelibus intolerabilem injuriam. *Argum. I. Manicheos. 4. Cod. de Hæret. & Manich.* ergo Ecclesiæ non est neganda, nec dici potest, esse ei à Christo negata potestas, se & sua bona defendendi, suam suorumque injuriam repellendi; ergo nec potestas judicialiter procedendi contra ejusmodi sigillifragos, & toti Christianæ communitati perniciosissimos Confessarios; cùm Ecclesia in foro externo non habeat aliud contra eos sufficiens remedium.

IV. Christus dedit potestatem, & media sufficientia Ecclesiæ, ut alia Sacramenta, tanquam preciosissimum thesaurum suum, possit in foro etiam externo servare illæsa, & usu eorum cavere fidelibus à damnis & injuriis, maximè valde gravibus; unde & in Sacramento Matrimonii clandestinum viri & feminae consentum, qui diu erat validus & sufficiens ad contrahendum, reddidit tandem in *Trid. Sess. 24. de Reform. Matr. cap. 1.* invalidum, ut debita Sacramento reverentiâ illæsa, & fideles à gravibus damnis & injuriis immunes servarentur; ergo similem quoque potestatem & media dedit Christus Ecclesiæ in ordine ad Sacramentum Pœnitentiæ; illud ab irreverentiâ, & fideles in ejus usu à damnis & injuriis custodiendi; atqui Ecclesia non haberet media ad hoc sufficientia, nisi Christus ei dedisset pote-

statem in foro externo judicialiter procedendi contra sigillifragos Confessarios, & quidem independentè à licentiâ pœnitentis, saltem tunc quando hæc obtineri non potest, cùm alioqui sæpe deberet publicam & notoriam sigilli violationem, indéque redundantia in fideles damna & injurias tolerare, impunita relinquere, atque ipsâ impunitate Sacramentum & fideles frequentioribus & gravioribus læsionibus obnoxios habere; ergo censeretur non potest, nec dici, Christum Ecclesiæ negasse hujusmodi potestatem. Taceo alia *sup.* jam allata.

306. Neque dicas, disparitatem esse, quòd Sacramentum pœnitentiæ, non item alia, habeat annexum sigillum. Nam in primis sigillum, si obligat, utique eo modo obligat, qui magis ad ejus observationem, quàm violationem conducatur; ergo ut vi sigilli non debeant publicæ ejus violationes necessariò manere in multis casibus impunitæ; uti fieret, si Confessarius sacrilegus sine licentiâ pœnitentis nunquam posset judicialiter puniri. Deinde obligatio sigilli mensurari debet à fine, quem Christus in ea statuenda intendit; & est, ut quævis sua peccata homines cum omni integritate materiali confiterentur; & Sacramentum, quod ratione suæ necessitatis omnibus voluit esse amabile, nemini ullo modo ob periculum revelandi fieret odiosum; atqui ad hunc finem multò magis conducit obligatio sigilli, prout à nobis, quàm prout ab Adversario explicatur, ergo etiam pro tali, & non pro alia habenda est, censendumque, talem quoque esse à Christo institutam, & non aliam.

307. Quæ ad probationem Anteced-

Aa

den-

dentis, hucusque impugnati, afferuntur *sup. n. 302.* facile quoque dilui possunt ex quatuor Responsionibus §. 4. datis. Hic ramen ulterius *z.* nego min. quia processus judicialis contra Confessarium sigillifragum, ex se & ex dispositione SS. Canonum, præcipue tendit ad sigillum melius servandum, cohibendo malitiam hominum etiam incusâ formidine pœnæ; uti & ad ipsum sigillum, si quando malè fractum sit, redintegrandum, ergo non est contra sigillum, nec per eum violatur sigillum, sicut id, quod juxta leges tendit ad Justitiam servandam, aut lætam redintegrandam, non est contra Justitiam, nec violat Justitiam. Quod autem sigillum, si violatum sit, iterum per processum plenè redintegretur, sic demonstro: Quamprimum authenticè constat, Caji delictum v.g. homicidium fuisse ex sola ejus confessione sacramentali à Confessario revelatâ cognitum; aut famam de eo delicto fuisse solùm ex illa revelatione ortam, debet id ita apud omnes manere occultum, ut sicut antè, ita & deinceps nemo amplius vel cum Cajo, vel cum aliis quidquam de eo dicere, aut quidquam propterea in aliquod Caji incommodum agere possit; atqui per processum authenticè constat, Caji homicidium v.g. esse ex sola confessione sacramentali revelata cognitum, aut famam de eo esse solùm inde exortam, ergo per processum plenè perfectèque redintegratur, & denuo occluditur sigillum, antea malè apertum, ut *sup. quoque n. 292.* indicavi.

308. Deinde quamvis omnes doceamus, sigillum confessionis in nullo casu, nec ob ullum finem esse violandum, nihilominus tamen I, Suar, & alii ipsum se-

cuti *sup. n. 194 V.* Aliqui, censent, Confessarium posse etiam invito pœnitente agere cum illo extra confessionem, etiam post aliquod temporis intervallum, de peccatis confessis, si putet esse necessarium ad aliquem errorem suum corrigendum, & pœnitens licentiam petitam neger. II. Multi *sup. n. 253.* relati docent, si quis se apud me in confessione de infidiis, ab ipso vel sociis ejus mihi paratis, accuset, me posse illas per externum aliquod medium v.g. fugam, associationem aliorum, observationem ædium &c. vitare, etiamsi inde pœnitenti, vel ejus sociis ingeratur cognitio peccati confessi; modo aliam causam prætexam. III. Aliqui, ut Conine, Palao & Tamb. ajunt, superiorem posse obstruere fores, visitare sapius locum &c. ad impediendum peccatum, etiamsi pœnitens inde rationabiliter suspicari possit, id fieri tantùm ob suam confessionem, in qua se antea apud ipsum de tali peccato reum fecit &c. Volunt autem nihilominus isti DD. omnes, hoc modo nullatenus violari sigillum, sed posse talia agi eo per omnia salvo; cur ergo non etiam Confessarius, qui publicè & coram magna hominum turbâ revelavit v.g. confessionem Caji de homicidio, possit salvo in violatòque sigillo fateri in Judicio, se fregisse sigillum? cur non & testes testari, & alii possint de eodem illum accusare, & Judex punire? Hæc enim omnia directè tendunt ad sigillum antea malè fractum redintegrandum; illa autem priora tendunt ad id potius aperiendum; ergo omnes qui priora Confessario permittunt, & quidem tantùm vel ob reverentiam Sacramenti debite perficiendi, ut in primo casu; vel etiam tantùm ob privatam ipsius Confessarii bonum

P. Sto

Tribu n.

Pœnitentia

EPI

S. L. A.

num, ut in duobus aliis; debent sanè etiam hæc posteriora eidem, uti & Judici ac testi permittere; quia par urget Sacramenti reverentia, & non privati tantum, sed publici boni necessitas. Certè Doctor ille Theologus, quem P. Gobat *cit. tr. 5. cap. 42. n. 236.* longo usu perquam peritum nominat, & jam antè consuluerat, expressè scripsit, Confessarium judicialiter de fracto sigillo accusatum, posse fateri, *se illud fregisse*; neque tamen tunc P. Gobat illum propterea impugnavit.

309. Unde mirum est, eundem P. Gobat *l. c. in Append. ad n. 246. lit. LL.* putasse, quod nemo suorum DD. permitteret, ut Confessarius adigatur ad fatendum, se omnino fregisse sigillum; & *ibid.* opinatum esse, hanc doctrinam adversari *communi omnium eruditorum sensui*, adeoque se non posse nostræ sententiæ acquiescere. Æquè miror, eundem Autorem docuisse, quòd Confessarius, qui dixit, se scire ex sacramentali Confessione Cajii, illum fecisse hoc & hoc v. g. homicidium; teneatur in Judicio rotundè inficiari, *se quidquam cuiquam unquam usquam de illo homicidio locutum fuisse, utendo equivocationibus &c.* Nam si Confessarius id dixit publicè in magno hominum cœtu, tenebitur negare id, quod notorium est, & totam audientium multitudinem, id testificantem, arguere surditatis vel falsitatis; quod hominis esset non tam impudentis, quam amentis. Potest ergo & debet ita dicere: *Ego fateor, me nuper dixisse, quòd Cajus mihi sacramentaliter confessus sit homicidium; sed malè locutus sum; ex Confessione ipsius de homicidio nihil scio, nihil audivi.* Et in his verbis, nihil est, quod,

sectando etiam Adversarii opinionem, pro piaculo haberi possit.

310. Sed juxta meam sententiam nondum satisfacit Confessarius, si ex primo illius dicto fama publica de illo Cajii delicto exorta est; & multò minùs, si ex eo solo capite inquisitio facta, reperta apud Cajum cædis indicia, & ipse reus esse deprehensus est. Nam tunc si aliter fama extingui, aut Cajus adhuc vivus à supplicio, vel jam defunctus ab infamia, vel innocentes ejus hæredes à compensatione gravis damni liberari non possint, debet Confessarius in Judicio accusatus, idoneis testibus dictum illius plenè probantibus, non tantum fateri, se id dixisse; sed insuper fateri, se id ex sola sacramentali confessione scivisse; sicut etiam ex ea sola scivisse præsumitur, si Autorem, à quo habeat, nullum possit nominare. Ratio hujus meæ sententiæ est, quia Confessarium ad hoc obligat non tantum Justitia, vi cuius tenetur eo modo, quo potest, à Cajo vel ejus hæredibus avertere damnum, cum ipse suâ culpâ fuerit ejus causa; sed etiam eum obligat ipsum sigillum, quod, sicut exigit, ut semper integrum servetur, ita quoque exigit, ut cum malè fractum est, eo modo redintegretur, quo potest; atqui fatendo vel in genere, se fregisse sigillum; vel in specie, se homicidium Cajii novisse ex sola ejus confessione sacramentali, potest damnum à Cajo ejusve hæredibus avertere, & sigillum malè fractum redintegrare, ut *sup. n. 307.* probatum est; & in dato calu aliter non potest; quia aliter nec fama sopietur, nec Judex processum abrumperet, nisi constet & illam, & istum à confessione sacramentali suam habuisse

buisse initium; ergo in dato casu Confessarius non satisfacit, si solum dicat, *se male fuisse locutum, se nihil ex confessione Caji fecisse*; sed debet fateri, *se ex illa sola suam habuisse de Caji delicto notitiam.*

311. Confirmatur. Obligatio sigilli non est tantum Justitiæ, sed & Religionis, *suprà n. 186.* Religio autem sicut obligat, ut Sacramentis nulla inferatur irreverentia, ita etiam obligat, ut quæ iis illata est, non maneat, sed tollatur, si potest; ut patet in exemplo SS. Eucharistiæ, quæ vi Religionis non est in loco indecenti ponenda; & sibi posita sit, inde amovenda est. Unde talis irreverentia Sacramenti passim à DD. vocatur *Injuria Sacramenti*; quia in hoc est valde similis injuriæ, quæ nemini inferenda, & si cui illata sit, iterum abroganda est: ergo sigillum sicut vi *Justitiæ* obligat, ut per revelationem nemini damnum inferatur, & ut illatum auferatur; ita etiam *vi Religionis* obligat non tantum, ut Sacramento Pœnitentiæ nulla irreverentia per revelationem alicujus peccati inferatur, sed etiam ut nulla per eam illata maneat, sed auferatur, & peccatum revelatum rursus sigillo claudatur; quod solum fieri potest, & non aliter, quàm, si Confessarius fateatur, se id, quod dixit, ex sola confessione habere.

312. Ex quibus omnibus patet I. sigillum Confessionis ad eò à nobis non laxari, ut multò arctius, quàm Adversarii, constringamus, tam quoad obligationem *Religionis*, quàm quoad obligationem *Justitiæ*. Illi enim tantum volunt, sigillum obligare, ne in ullo casu frangatur; si quando autem fractum sit, non obligare, ut redintegretur, aut ut inde conjectus in periculum vitæ, vel aliud quodcunque gra-

ve damnum juvetur, sed utrumque potius impedire. Nos verò asserimus, sigillum non tantum obligare, ut non violetur; sed insuper *vi Religionis* ita stringere, ut si fractum fuerit, redintegretur, modo *suprà* dicto; & *vi Justitiæ*, ut periculum aut damnum aliis illatum, quantum fieri potest, auferatur.

Patet II. quòd sicut ex DD. *num. 308.* relatis quisque juxta diversam suam opinionem, ejusque materiam diversimode distinguit hanc propositionem: *Ille frangit sigillum, qui sine licentia pœnitentis aliquid dicit, vel facit, unde ipsi vel aliis vitia peccati ex sola confessione cogniti ingeritur*; ita & mihi & aliis liceat eandem distinguere. At tali autem *sup. §. 4. à n. 295.* distinctionem quadruplicem, suis rationibus & momentis bene fundatam.

313. Quæ Mediolanensis Reverendissimus D. Vicarius in Criminalibus ad propositam Quæstionem respondit, non convenit opinioni P. Gobat. In primis enim requirit quidem ille, ut pœnitens querelam & accusationem instituat contra Confessarium reum; sed ideo tantum, quia fractionem sigilli censet esse *delictum privatam*, contra quod Judex non *ex officio*, sed tantum *ad instantiam* alicujus procedere potest. Sed hinc manifestum est, quòd ipsius etiam judicio posset Judex contra Confessarium sacrilegum procedere *ex suo officio*, & absque omni pœnitentis querela & licentia, si fractio sigilli esset *delictum publicum*, atqui P. Gobat *l. 6. §. 205.* fateatur, revelationem sigilli esse crimen publicum; idque *Argum. l. 1. ff. de publ. Jud. §. 17. q. 4. Can. Si quis. 29. §. Qui autem.* probat. Clarius autem sic ostenditur. Tunc crimen aliquod, & Judicium

P. Sto

Tribu

Pœnitentiæ

E

S. I.

dicium de eo est publicum, quando certa aliqua lex vult & decernit esse publicum, ut optimè docet Wesenb. in ff. eod. n. 1. atqui l. 4. 6. & 9. ff. ad L. Juliam Peculatus. expressè sacrilegium inter publica crimina numeratur; & l. si quis. 10. Cod. de Epif. & Cler. postquam dictum est, atroces injurias, Sacerdotibus, Ministris, & Ecclesiæ, cultuique divino illatas, esse capitali supplicio vindicandas, decernitur, *cunctis esse laudabile, easdem veluti crimen publicum persequi, ac de talibus reï ultionem mereri*; ergo cum debita Sacramentorum tractatio pertineat etiam ad cultum divinum & Religionem, violatio sigilli, utpote atrox Sacramenti Pœnitentiæ irreverentia & injuria, erit omninò crimen publicum. Confirmatur ex l. 1. ad L. Juliam Majest. ubi dicitur, crimen læsæ Majestatis esse Sacrilegio proximum, hoc est, ut *ibid.* Zæsius exponit, proximè accedere ad gravitatem Sacrilegii; si autem ullum Sacrilegium, tunc certè etiam violatio sigilli Sacramentalis est crimen publicum, quia est unum ex gravissimis Sacrilegiis. Item bona temporalia v. g. pecuniam Ecclesiæ violare est crimen publicum juxta *citt. ll.* ergo multò magis violare bona spiritualia, ex quibus inter præcipua censentur etiam Sacramenta.

314. Deinde idem Mediolanensis D. Vicarius etsi in suo Responso dicat, pœnitentem debere, si velit, querelam porrigere, & Confessarium sacrilegum accusare apud Judicem Ecclesiasticum, ut iste contra illum possit procedere; nullatenus tamen negat, eum etiam accusari posse ab alio, saltem eo, cui licitum est, suam, suorumque injuriam persequi, vel

cujus aliàs interest; maxime si pœnitens defunctus sit, vel ob distantiam majorem adiri non possit. Notandum quoque singulariter, quòd sæpius nominatur Reverendissimus Dominus Vicarius ne minimam quidem fecerit mentionem de aliquo periculo frangendi sigilli, ergo signum est, quòd in toto proposito casu nullum agnoverit. Sicut nullum quoque agnovit Speculator loco, quem in meo scripto ad P. Gobat transmissio designavi, hoc est *lib. 1. part. 2. Rubr. de Probation. §. 1. n. 34.* non autem, ut apud P. Gobat, *litt. N.* ex errore vel amanuensis, vel typographi refertur *part. 1. n. 24.* Uti sum autem exemplari Basileæ *ann. 1574.* impresso, quale se quoque habuisse ait Gobat *litt. II.* & tamen *ibid.* dicit, se sub Titulo de Probation. nihil ejusmodi reperire. Visum proinde est hîc iterum formalia Speculatoris verba adscribere, & sunt ista: *Cum presbyter revelans peccatum, sibi in confessione dictum, puniendus sit graviter; ut extra de Pœnit. & Remiss. Omnis. Queritur, qualiter hoc probetur contra Sacerdotem? Resp. probabitur, quòd ipse hoc coram pluribus dixit, quamvis extra Judicium.* Et ecce! ut nullatenus hîc faciat mentionem de periculo frangendi sigilli, nullam de licentia pœnitentis.

315. Dices hinc non rectè inferri, quòd Speculator censuerit illud in proposito casu non subesse, & istam non requiri; sicut ex eo, quòd non meminerit hîc de duobus testibus, malè inferetur, eum totidem non requirere. Sed *contra.* De requisita testium pluralitate meminit Speculator non tantum alibi passim in antecedentibus & consequentibus, sed etiam

hic expressè, dum: *probabitur*, inquit, revelatio scilicet peccati, quod ipse hoc coram pluribus dixit, qui nimirum testes esse possint; nusquam autem meminit de periculo sigilli, nusquam de licentia pœnitentis, ergo adhuc rectè infertur Speculatorem plurium testium numerum, sed nullum sigilli periculum, nullam licentiæ necessitatem agnovisse; quia alioqui etiam de alterutro hîc vel alibi meminisset. Sed neque Gregorius in *can. Sacerdos*, 2. de Pœnit. Dist. 6. neque Innocentius III. in *cap. Omnis utriusque*, 12. de Pœnit. & Remiss. ubi statuerunt pœnam sacrilegis Confessariis in Ecclesiastico foro externo infligendam, ullo apice indicârunt, ad licentiam pœnitentis esse necessariam, aut saluum sine ea non fore sigillum. Utique autem hoc fecissent, & facere debuissent, si ita se rem habere iudicassent.

316. Cæterum cum Speculator vixerit & floruerit jam sub Nicolao III. 1280. infero hîc ego, non *Questionem* à P. Gobat motam, sed tantum *rationem dubitandi* ab illo excogitatam esse novam. Displicere proinde ipsi *litt. KK*, non debuit, quod nostra novæ rationis distinctio *sup. n. 296*. data esset nova; neque Jure potuit *litt. P*. objicere, quod nostra sententia nullum expressè sibi suffragantem scriptorem habeat, cum nec ipse ullum talem pro nova sua conclusione ostendat. Quod enim *litt. GG. doctrina*, quam *defendo*; inquit, *notissima & fuit & est omnibus Confessariis, etiam improbis*; facile concedo, si loquatur de doctrina, quæ est de omnimoda inviolabilitate sigilli adhuc integri; neque nos in hac ab eo discrepamus. Sin autem intelligat de do-

ctrina, quam tradidit de impunitate Confessarii sigillum frangentis, maxime etiam per publicam & notoriam peccati, ex sola confessione ipsi noti, de certa persona revelationem, tunc planè non potuit fuisse notissima; quia ipse pro nova, & ab aliis prætermittenda habet; neque modò est omnibus ita nota, ut non potius nostra contraria sit omnium mentibus insita. Certè nec illi duo Theologi, quos primò consuluit Gobat, eorumque litteras exhibet, à n. 236. subscribunt ex toto ipsius opinioni; nec eidem quatuor alii, in *Append. post n. 246*. positâ relati, consenserunt. Si quis ergo ita vel diceret, vel scriberet: *Confessarius potest cujusvis defuncti quavis peccata, ex sola ejus confessione ipsi nota, palam coram omnibus in publico foro impunè proclamare; & à nemine propterea accusari, à nemine judicari, puniri &c.* nescio sanè, an ille meritò de offensa conqueri posset contra eum, qui ipsi *ex l. Legem. 7. Cod. de natural. liber.* hunc textum legeret: *Nimis est indignum, nimis item impium, flagitiosè præsidia querere.*

217. *Sex* superaddamus unum vel alterum Exemplum I. Ammon Parochus, graviter offensus ab Annone, dixit ex deliberata vindicta coram magno hominum numero, eum esse similem defunctæ Matri suæ Titæ; eam autem fuisse triveneticam, idque sibi in articulo mortis confessam esse. Unde enata est publica Titæ infamia. II. Cum ex Caja in puerperio defuncta natus esset posthumus, Basilius Pœnitentiarius, ut gratiam apud Bertulphum etique tutores iniret, coram numeroso populo firmiter asseveravit, posthumum illum fuisse ex adulterio conceptum,

ceptum, idque sibi Cajam ante finem vitæ in confessione aperuisse. Unde Berthulphus, ejusque tutores nolunt eum, ex fama jam publica spurium, ad hæreditatem paternam admittere; sed repugnant consanguinei defunctæ Cajæ. III. Cosmas & lucrum faceret, deliberatè asseruit, quam plurimis audientibus, Cletum fuisse socium & adiutorem Clementis in expilanda Alphonfi mercatoris Hispani tabernâ, idque sibi à Clemente, antequam in Indiam discederet, in confessione fuisse detectum. Unde ædes Cleri excussæ, pars mercium inventa, & ipse in periculum suspendii conjectus est &c. Quid in ejusmodi facti contingentia agendum? Nemo illorum licentiam, quæ necessaria ad processum dicitur, potest à defuncto vel longiùs absente habere; & quia nemo etiam illorum est ipse pœnitens, qui confessus sit, nullus quoque eorum potest testibus aut Judici licentiam dare; ergo soli isti coguntur vi sigilli suam suorumque injuriam taciti perferre? Executio Judicii publici, hoc est, ut Zæsius in ff. de jud. publ. n. 1. exponit, persecutio, seu accusatio de publico delicto (quale etiam est violatio sigilli, ut sup. ostendi) plerumque (seu ferè) cuivis de populo permittitur, §. 2. In ff. eod. nisi scil. quis lege quadam Judicio publico agere prohibeatur. Quænam autem lex istos prohibet? si lex sigilli prohiberet, ea magis Confessariis sacrilegè & enormiter delinquentibus faveret, quàm fidelibus sanctè pœnitentibus; quibus proin etiam Sacramentum Pœnitentiæ, quod ob suam necessitatem omnibus deberet facere amabile, redderet contra primarium & unicum suum finem summè odiosum.

318. Ponamus autem itaq; & filius ad abrogandam defunctæ matris infamiam; posthumus ad participandam hæreditatem paternam, & Mævius ad tuendam suam vitam porrigat Judici Ecclesiastico querelam contra sacrilegum Confessarium, eumque accuset; Judex eundem citet & examinet de prolato dicto; negantem convincat, & obruat integra testium nubes; fatentem verò, sed cum addito (ut in primis duobus casibus sufficere potest) se quidem id dixisse, sed malè locutum esse, & ex confessione nihil scire, nihil audivisse, Judex condemnet mendacii perniciosi, & obliget ad compensanda damna; fatentem autem simpliciter (ut i facere debet in tertio casu, saltem si ipsi non majus aut æquè magnum malum inde timendum sit) condemnet de sacrilega revelatione sigilli, & puniat, publicandòque sententiam moneat, vi sigilli teneri secularem Judicem; ut à processu contra Mævium desistat; Berthulphum ut posthumum ad hæreditatis partem admittat, & ut omnes de veneficio Titicæ perpetuum silentium observent. Atque jam judicet Lector, an & quid in hujusmodi processu Accusator, Testes, Reus, aut Judex agat, quod argui jure possit peccati.

§. VII.

Eventilantur Responiones Adversarii ad nostra Argumenta.

Argumenta, quæ scripto ad P. Gobat transmissi, & partim sup. §. 2. & 3. propositi, sunt duplicis generis. Priora illius opinionem impugnant, posteriora nostram defendunt. Utraque exhibet ille in sæpiùs

pius *cit. Append. à litt. D.* Respondet quidem ad illa *litt. BB. & seqq.* sed non enervat, quem in iis *suprà* agnovit, nexum.

319. Ad primum primi generis *sup. n. 284.* propositum, respondet *cit. litt. BB.* etsi Jurisdictio, seu potestas legislativa Ecclesiæ sit independens à voluntate subditorum, potestatem tamen vindicativam, quatenus exercenda est contra delictum publicum fracti sigilli, dependere unicè à voluntate pœnitentis, atque Christum, prout potuit, ita & re ipsa statuisse. Sed *contra* est, quòd gratis asseratur, Christum ita re ipsa statuisse; & *suprà n. 303. & seqq.* est contrarium ostensum. Autores allegati ajunt quidem sigillum ex voluntate & lege Christi esse prorsus inviolabile; sed nullus illorum dicit, Confessarium notoriè reum de revelato peccato, ex sola confessione noto, debere in Ecclesia manere impunitum, nisi pœnitens consentiat; nullus dicit per processum contra Confessarium sigillifragum institutum frangi sigillum &c. Vide plura *sup. n. 284. & 291.*

320. Ad secundum, & tertium, quorum illud *sup. n. 285.* & istud *n. 286.* habes, & utrumq; ductum est ex hoc, quòd inde sequatur, notoriam revelationem peccati de aliquo v.g. defuncto debere necessariò manere impunitam; item malis Confessariis hoc modo per ipsam sigilli obligationem aperiri viam frangendi sigilli. Respondet Adversarius *litt. DD.* eodem ferè modo. Concedit enim istas sequelas; sed negat eas pro absurdis habendas; quia Christus ita voluit, & statuit. Sed *contra est*, in primis, quia neque hîc ad probandam istam assertionem quid-

quam asseratur, & *sup.* jam refutata est. Deinde Christus voluit sigillum Sacramento Pœnitentiæ annexere, ut homines tantò securius tantò que libentiùs confiterentur sua peccata cum omni integritate materiali, ad quam eos obligavit; hunc autem finem Christus non satis allequeretur, si Confessarii peccata defunctorum revelantes non possent ab Ecclesia pœnis coerceri, ut consideranti facile patet. Nam & Justinianus Imp. *Nov. 133. cap. 4.* nihil, inquit, quod sancitur, nisi custodiam habeat competentem. (in foro etiam externo, de quo solo illi est sermo) poterit servari decenter. Præterea Sacramentum Pœnitentiæ, uti & alia, sunt præstantissima bona Ecclesiæ, ergo Christus Ecclesiæ dedit potestatem persequendi omnes, qui eam in hujusmodi bonis, & fideles in eorum usu fuerint ausilidere. vide *sup. n. 293.*

321. Rei quidem suæ quilibet moderator est & arbiter. *l. In re mandata. 12. Cod. Mandati.* & voluntas primum locum obtinet, eaque regit condiciones. *l. In conditionibus. 19. princ. ff. de condit. & demonstr.* Sed hæc de privatis personis circa res suas privatas disponentibus intelligantur. Illi autem, qui communitati præsunt, debent respectum habere ad bonum publicum communitatis; & Christus pro infinita sua bonitate, ut Jugum suum in Lege Gratiæ suave redderet, voluit in ordinanda Ecclesia respicere ad bonum commune Ecclesiæ, adeoque prout ad hoc conducit, obligationem sigilli statuere.

322. Nunc de Argumentis posterioris generis loquendo. I. refert Gobat *litt. H. & I.* Ego autem *sup.* prætermi-

si, non quia pro inefficaci, sed quia pro non necessario habui; ex parte tamen indicavi *sup. n. 292.* Desumpsi illud ex eo, quod de licentia pœnitentis, siquidem necessaria esset, *moraliter loquendo* satis expressè constet, quando fama publica est, grave illius peccatum fuisse à Confessario revelatum; & ipse pœnitens adhuc in vivis est; saltem si non positivè repugnet, & expressè nolit. Quòd autem *moraliter loquendo* satis expressè in his circumstantiis constet de licentia pœnitentis, dixi esse triplicem causam. 1. quia eam dare potest sine ullo suo incommodo; 2. quia eam magno suo bono dare potest propter securam inde omnimodam famæ extinctionem, & assecurationem ab omni incommodo, ratione revelati peccati alioquitimendo. 3. quia *per se loquendo* est graviter obligatus eam dare; cù n̄ quilibet obligatus sit, si potest, præstare id, sine quo scandalum publicum, & gravissimum totius Ecclesiæ in bonis communibus damnus, ex publico delicto ortus, tolli non potest; uti hęc juxta adversarios non potest sine licentia pœnitentis. In illis enim circumstantiis, in quibus aliquis sine suo incommodo, & cum magno suo bono potest quidpiam velle, & insuper tenetur id velle, *moraliter loquendo* satis expressè constat, quòd re ipsa velit, nisi positivè aliud dicat. Et licentiam taliter à pœnitente datam sufficere ad agendum de peccatis ejus ex sola confessione notis docet Dicastillo *Disput. 12. de Pœnit. n. 76.* & consentit Gobat *cit. cap. 42. n. 193.*

323. Displicet adversario hoc argumentum, & quæ in eo dicta sunt, ille *lit. CC. nolim*, inquit, *ego.* Sed audia-
R. P. Stoz *Trib. Pœnit. Lib. II.*

mus, quare? Potest enim fieri, ut peccatum sit revelatum in una domo parvi pagi coram paucis; vel ut non cedat pœnitenti in ullum probrum; supplicium autem Confessarii in grave odium apud ejus amicos; vel ut Confessarius ipse sit pœnitenti proxima cognitione junctus; atque adeo ut pœnitens propterea mavelit ferre suum peccatum innotuisse paucis, quàm in Judicio tractari à multis, vel odium grave subire apud Confessarii amicos; vel sustinere potiùs proprii peccati infamiam, quàm aliam ex supplicio proximi consanguinei in totam familiam redundantem; ergo non rectè dicitur, quòd quilibet consentiat, multò minùs quòd quilibet teneatur consentire in processum contra Confessarium sigillifragum. Sed hæc Responso planè non satisfacit argumento, quod procedit tantùm in casu, in quo de pœnitentibus non constat, quòd positivè aliud velint. Ista autem de quibus Adversarius loquitur, quia vel processum, aut ipsùm Rei supplicium putant sibi fore valde damnosum, hoc ipso positivè nolunt illum aut istud fieri. Pro quo casu, uti & si pœnitens nesciat, alicubi esse famam publicam de revelatione sui peccati, vel si jam sit mortuus, expressè in meo manuscripto apud Gobat *cit. litt. I. dixi* suppetere alia argumenta.

324. Taceo, quòd nec exempla ab adversario adducta sint satis idonea. Nam si fama etiam in parvo pago, ut sit publica, debet emanasse ad plures personas, quàm ordinariè in Tribunali Ecclesiastico conveniant; saltem si testes excipias, qui de fama vel ipsa revelatione sibi jam antè notà testantur; ergo non est, cur
Bb aliquis

aliquis magis infamiam in pago ferre, quam ad eam tollendam tribunal subire velit. 2. crimina gravia, quæ hic ponuntur esse revelata, non possunt alicui non esse probrosa. Odium apud amicos sacrilegi Confessarii timendum non est, quia pœnitens non positivè & physicè, sed tantùm negativè & moraliter loquendo exprimit in ejusmodi circumstantiis se dare licentiam; dum nimirum in *its* omittit positivè dicere, se nolle eam dare; habet quoque se hîc prorsus per accidens. 3. Et si pœnitens proximum consanguineum, qui ejus peccatum sacrilegè revelavit, non teneatur deferre ad Judicem, aut consensum præbere ad procedendum contra eum; adhuc tamen hæc Regula generalis, sicut aliæ, à quibus unum aut plura excipiuntur, est vera: nempe *quilibet debet, si potest, præstare id, sine quo publicum scandalum tolli, aut bonum publicum communitatis servari non potest.* Nullus sanè Theologus hoc neget. Et quid si Confessarius revelet, quod ex complicis tantùm confessione intellexit, grave v.g. furtum vel homicidium à suo consanguineo patratum, & propterea inventis à magistratu indicis delicti iste rapiendus sit ad furcam vel rotam; an potius volet tam infame supplicium subire, quam Confessarium ad Monasterium vel carcerem detrudi? an & ad id tenebitur? Quis Theologus hoc dicet? Adde, quòd etsi damnum, ex fractione sigilli ortum, non sit respectu unius vel alterius adeo magnum, ipsa tamen tam ampla impunitas sacrilegorum Confessariorum est toti communitati quàm maximè damnosa, quam ut omnes studeant avertere, ratio

boni publici exigat, cui privatam postponi debet.

325. II. Quod proposui, *sup. n. 291.* & refert Gobat *litt. K.* petitum est ex natura legis naturalis, divinæ, & humanæ obligantis ad sigillum. Nulla enim lex est in ullo jure, quæ cum actionem aliquam externam, bono communi summè damnosam, strictissimè pro omni casu, etiam cujusvis extremæ necessitatis, prohibeat; prohibeat tamen simul etiam eos, qui temerariè præsumpserint contra legem agere, puniri, vel non nisi dependenter à consensu privatarum personarum, quæ illum post mortem & in plurimis aliis casibus dare non possunt; ergo nec lex Sigilli est talis; vel certè si talis esset, foret hoc ipso illa sibi contraria. Repugnaret enim suæ obligationi, neque jam strictissimè obligaret; quia simul vellet, ut in foro externo impunè posset violari.

Fatetur adversarius, *litt. KK.* obligationem sigilli ex hac parte non nihil debilitari, sed id compensari omnimoda inviolabilitate, & esse per accidens; sicut igni, quod consumptione materia; & alio, quòd reactione alimenti debilitetur & pereat. At ecce! ipso Adversario teste, nostra sententia obligationem sigilli non relaxat, sed magis, quàm contraria, adstringit; quia præter omnimodam inviolabilitatem, quam admittit, non concedit violentibus impunitatem. Deinde impunitas hæc juxta Adversarium oritur ex ipsa natura & obligatione legis, de sigillo præcipientis, ut in omnibus casibus, etiam notoriis, si pœnitentis licentia haberi non possit, relinquuntur violatores impu-

impuniti; ergo se non habet tantum per accidens. Exempla Physica sunt extra genus scientiæ moralis contra commune axioma, secundum quod scientiæ genus non est mutandum. Præterquam quod defectus materiæ non ab igne sed ab alio agente quod eam subministrare deberet, proveniat; nec reactio procedat ab homine in seipsum, sed ab alimento, quod sumit; impunitas autem atque adeo etiam violandi sigillum pronitas proveniat ab ipsa lege sigilli, quæ prohibet ejus violationem. Ex moralibus nullum adfert Gobat exemplum; quia non vult, ut ait, *actum agere*; quod meo iudicio planè aliquis faceret, si exemplum similis legis quæreret. Ego enim existimo, nullum posse inveniri. Datur quidem lex civilis, quæ prohibeat puniri patrem aut maritum, si ille adulterum cum sua filia *l. 20. § seqq. ff. Ad L. Juliam de adult.* & iste adulterum suæ occidat uxoris. *l. 24. ff. eod. § l. 4. Cod. eod. § Nov. 117. cap. 15.* sed nulla harum legum homicidium ejusmodi, quod impunè permittit, simul etiam prohibet, & si hoc faceret, haberetur sanè non immeritò ab omnibus pro heteroclitica, & sibi contraria.

326. III. Et fundamentale, quod *sup. n. 293.* descripsi, & apud Gobat *lit. L.* habetur, est desumptum à Regimine Ecclesiæ, quod, quia Christus instituit, pro infinita sua sapientia plenè & perfectè ordinavit, ergo & potestatem Ecclesiæ concessit, quæ se, sua bona, & fideles tueri, publicæque delicta subditorum, maximè si sint notoria & toti communitati gravissimè damnosa (uti etiam est violatio sigilli per revelationem certi peccati de certa persona) possit liberè, &

independentè à consensu unius tantum alicujus privati hominis, in foro externo per publicum Judicium pœnamque condignam coercere. Præbuit fortassis hoc argumentum Adversario occasionem, ut pro sua sententia stabilienda tandem confugerit ad institutionem Christi, quasi ille voluerit sigilli obligationem esse talem, ut vi illius non possint sacrilegi Confessarii puniri sine consensu pœnitentis. In prioribus enim editionibus nullam unquam fecit de hoc effugio mentionem, quo tamen jam velut unico principio utitur, ex eoque iterum.

Respondet, Christum non dedisse Ecclesiæ potestatem, ut sine consensu pœnitentis possit contra Confessarium, sacrilegè ejus peccata revelantem, judicialiter procedere. Addit pro confirmatione. Ecclesia non potest punire summum Pontificem summè scandalosum, imò & hæreticum teste Bellarm. *l. 2. de Concil. cap. 18.* Nec potest facere, ut cum invita puella matrimonium validè contrahatur, etsi ab isto totius alicujus Regni salus pendeat; ergo nihil inconveniens est, si dicatur, quòd Christus etiam non dederit potestatem sine consensu pœnitentis contra Sacrilègum Confessarium procedendi.

327. Sed in primis constat ex *suprà* dictis, datam esse Ecclesiæ à Christo universalem potestatem in foro etiam externo publica suorum subditorum delicta liberè puniendi; ergo qui delictum violati sigilli putat esse excipiendum, debet id non simpliciter asserere, sed solido aliquo fundamento probare. Deinde rationes hucusque allatæ satis demonstrant, Christum non voluisse obligationem sigilli esse talem, ut vi illius debeant Confessarii

confessarii, qui id violant, relinqui ut plurimum impuniti.

328. Quod in confirmationem adducitur, nihil urget. Nam imprimis quanta est inter summum Pontificem, & alios Ecclesiæ subiectos fideles disparitas: quanta item inter Sacramenta & delinquentium punitionem in foro externo? ergo quod Ecclesia non habeat potestatem puniendi delicta summi Pontificis, nec potestatem mutandi essentielles partes Sacramentorum, nemo inde rectè inferet, etiam non habere potestatem in foro externo liberè puniendi sigillifragos Confessarios sibi subiectos?

329. Deinde Argumentum nostrum fundatur in hoc, quod Christus dederit Ecclesiæ illam potestatem, quæ ipsi est necessaria, ut, more aliarum communitarum possit se, sua, & suos sufficienter tueri & regere; atqui ad hoc est necessaria potestas liberè puniendi in foro etiam externo delicta subditorum, maxime si sint publica, notoria, toti communitati summè noxia, inter quæ etiam præcipuè numeranda est sacrilega certi peccati de certa persona revelatio. Contra potestas materiam aut formam Sacramentorum, quo modo Christus eas determinavit, mutandi; aut puniendi delicta summi Pontificis, non est Ecclesiæ ad sui gubernationem necessaria. Non prior, quia ipse Christus pro infinita sua sapientia & bonitate Sacramentalem materiam & formam ita determinavit, ut nulla substantiali mutatione indigeant. Non posterior, quia ipse quoque Christus speciali sua providentia & Spiritus Sancti assistentiâ regit suum Vicarium, summum Pontificem. *Matth. 16. Luc. 22.*

ut iste, licet possit vitii esse obnoxius, sicut quivis alius privatus homo, nunquam tamen possit publico decreto statuere, quod bonis moribus aut sanctæ fidei esset contrarium, de quo fuse Barb. *in can. si Papa 6. Dist. 40.* ergo necesse non est, ut etiam Ecclesia in illum habeat aliquam potestatem Jurisdictionalem. Ad hæc, nulla est necessitas, nec convenit, ut Regnum, maxime cum nihil habeat potestatis in Regem, habeat aliquam Jurisdictionem in supremum Regis Vicarium, qui omnem suam potestatem ab ipso Rege; eoque solo accepit; ergo multò minus necesse est, aut convenit, ut Ecclesia, quæ est Regnum Christi æterni Regis habeat aliquid Juris & Jurisdictionis in summum Pontificem supremum Christi Vicarium, cui omnis potestas & autoritas, quam in Ecclesiam habet, immediatè ab ipso Christo attributa est. Dicere autem, quod DEUS etiam specialiter provisurus sit, ne ex impunitate Sacrilegorum Confessoriorum orientur gravia mala in Ecclesia, nihil est aliud, quàm contra illud *Rom. 13.* ordinem divinæ sapientiæ invertere, quæ non solet omnia æquè ac immediatè per se præstare, sed infima per media in summa ducere. *Extrav. Unam. 1. de Major. & Obed.*

330. Denique quid multis? quod suprema potestas Ecclesiastica à solo DEO & non ab homine possit judicari, habet clausus textus *cit. Extrav.* nisi deprehendatur à fide devius. *can. si Papa.* plurimique alii, quorum aliquos etiam refert Bellarm. *l. 2. de Concil. cap. 17.* Item unanims est consensus Theologorum, quod Ecclesia, sicut non potest Sacramenta infi-

instituire; ita nec possit substantialiter aliam Sacramentorum materiam aut formam, quam Christus assignavit, substituire; nullum autem simile fundamentum habemus, propter quod dicamus, Sacrilegos & Ecclesie subditos Confessarios nunquam posse ab ea judicari & puniti, nisi pœnitens velit & contentiatur.

331. Quamvis autem summus Pontifex non sublit Ecclesie, nihilominus tamen Bellarm. l. c. cap. 19. v. *At inquit*, ita scribit, & : *si Pontifex*, inquit, *Ecclesiam destruere velit*, (quod etiam fieret, si Sacramenta, fidelibus summè necessaria, redderet odiosa, eosdem ab iis eorumque usu absterret, &c.) licet (Ecclesie) eum servatà debità reverentiâ admonere, & modestè corripere; repugnare etiam vi & armis. *Ad resistendum enim, & vim vi repellendam, non requiritur ulla* (Jurisdictionalis) *autoritas*; hoc autem quod licet Ecclesie contra summum Pontificem, non liceret ei juxta Adversarios contra subjectum Confessarium sacrilegâ sigilli violatione atrox & enorme damnum inferentem Ecclesie. Quæ æquitati planè non satis consonant.

Ad alia Argumenta sup. §. 2. & 3. pro-

posita nihil respondit Gobat, quia ad eum ante obitum non pervenerunt.

Ea porò, quæ in isto & præcedentibus §§. habentur, nullatenus scripsi, ut de celebri nomine, in his partibus nominatissimi Autoris, viri optimi, quique de re morali præclarissimè meritis, mihiq; singulariter fuit semper maximè observandus, vel in minimo quidquam decerperem; sed unice tantùm, ut ejus voluntati non minùs post mortem, quam dum viveret, studiosè obsecundarem, & quod desiderabat, in Quæstione tanti momenti aliquid ad elucidandam veritatem conferrem; simulque redderem tam Pœnitentes in integritate confessionis securos, quam Confessarios in sigilli custodia sollicitos.

Atque ita finio cum ardentissimo voto, ut in sancto TRIBUNALI PœNITENTIÆ nihil unquam à Judice, nihil unquam à Reo committatur, cujus alterutrum meritò pœnitere debeat; sed omnia semper ritè sanctèque peragantur, sicut & scripta sunt, ad æternam animarum salutem & majorem DEI Deiparæque, piissimæ nostrorum omnium coram Tribunali Divino Advocatæ honorem & gloriam.

A P P E N D I X.

QUÆSTIO TRIPARTITA,

De danda vel neganda facultate absolventi à casu aliquo reservato.

Paucis Difficultatem istam attingi in posteriore hoc Libro q. 2. art. 3. n. 74. v. *Tenetur*. Videtur autem omninò declarationem exigere ma-

rem. Unde placuit, hîc per modum Appendicis tripartitam de ea Quæ-
stionem pluribus discutiendam proponere.

Quæritur enim. 1. An & quando 2. Quomodo teneatur superior dare facultatem absolvendi à reservatis, cum aliquis eam vel per se vel per Confessarium petit? 3. Quid Juris sit, si superior injustè neget? Videntur quidem hîc ex DD. aliqui magis stare & pugnare pro Jure Superioris; alii magis pro bono subditorum; sed inter se ferè tantum in modo loquendi dissentiunt, ut bene observat Card. Lug. de Pœnit. Diss. 20. n. 233. Quia tamen hæc ipsa eorum dissensio & quorundam intricata obscuritas potest Superioribus, Confessariis, & Subditis esse causa erroris atque damni, ideo dicam clarè & distinctè, quod res est. Sed ante omnia

§. Unicus.

De Fine Reservationis Casuum.

332. Finis Reservationum, qui semper in oculis debet haberi, est. 1. ut de gravioribus peccatis, sicut de majoribus causis, in altiore Tribunali meliùs judicetur; 2. ut graviores subditorum morbi à Superioribus, tanquam peritioribus Medicis, meliùs curentur; 3. ut subditi magis absterreantur à peccatis, in suum, vel aliorum gravius damnum cedentibus; & 4. ut subditi ad satisfaciendum suis obligationibus meliùs dirigi possint & adjuvari. Graffis de Casib. reserv. lib. 1. cap. 2. n. 2. Fagund. Præc. 2. l. 8. cap. 1. n. 6. Palao de pœnit. Diss. un. p. 19. §. 3. n. 21. Coninch. de sac. Diss. 8. n. 77. Lug. Diss. 5. de pœnit. n. 116. & alii communiter.

Unde etiam passim DD. dicunt, quòd Reservatio inducta sit in bonum subditorum. Palao de pœnit. Diss. un. p. 15. §. 5. n. 4. in eorum medicinam Lug. cit. Diss. 20. n. 9. in utilitatem pœnitentium Bonac. Diss. 5. q. 7. p. 5. §. 2. n. 19. quæ præcipuè hac in parte spectatur. Palao l. c. n. 8. cum præcipuè instituta sit pro salute pœnitentium, eique deservire debeat. Coninch. l. c. n. 110. & introducta propter charitatem ac bonum conscientia, non debeat contra militare; ne inventa ob bonum animarum vertantur in earum perniciem. Pag. Præc. 3. lib. 3. cap. 9. n. 17. v. secunda.

Alii, ut idem adhuc clariùs expriment, finem Reservationis, æquiparant cum fine Sacramenti Pœnitentia. In pœnitentis bonum, inquit Reginald. lib. 8. n. 46. institutum est Pœnitentia Sacramentum, atque data superiori potestas reservandi peccata. In pœnitentis remedium, ait Palao l. c. n. 4. & Sacramentum institutum est & peccata reservata. & cit. p. 19. §. 3. n. 21. Reservatio, inquit, non est introducta ad exteriorem gubernationem, quæ à Sacramento Pœnitentia nullatenus pendere debet. Sicut Confessio (scribit Coninch. l. c. n. 9.) ita reservatio Casuum maximè inducta est in utilitatem Pœnitentium, ut possint ita meliùs in via spirituali dirigi: quare non debet ita observari, ut cedat in eorum detrimentum & destructionem; sed, ut Dicastillo de pœnit. Diss. 11. n. 325. loquitur, cedere debet in bonum & ædificationem pœnitentium. Quæ omnia rectè dicuntur &

con-

conformiter Trid. *sess. 14. cap. 7.* statuen-
ti, ut reservatio fiat in ædificationem, non
in destructionem; & ne occasione refer-
vationis aliquis pereat.

333. Cùm ergo aliqui ex DD. subin-
de asserunt, Reservationem fieri ad bo-
num commune, & rectam Ecclesiæ guber-
nationem. Palao *tr. 2. Diss. 1. p. 17. n. 8.* ad
majus bonum commune. Tan. *tom. 4.*
Diss. 6. q. 9. n. 79. ad religiosæ disciplinæ
conservationem. Lug. *cit. Diss. 15. n. 116.*
vel ut Trid. *l. c.* ait, magnopere ad populi
Christiani disciplinam pertinere &c. in-
telligi non potest, nec debet aliter, quàm
quatenus bonum commune & disciplina
consistit tantùm in bono & honestate sin-
gularum, indeque resultat: vel certè non
positive, sed tantùm *negative*, hoc est, eate-
nus, ut reservatio impediatur subditos à
peccatis, per quæ bonum commune, vel
disciplina, vel alii graviter læderentur.
Ratio est manifesta; quia Christus Sa-
cramentum Pœnitentiæ, & Sacramenta-
lem Jurisdictionem unicè tantùm instituit
in bonum pœnitentis; ergo cùm Ecclesia
hunc finem Sacramenti imutare non pos-
sit, ideo sicut nemini Jurisdictionem Sa-
cramentalem potest concedere, ita quo-
que nemini potest eandem restringere,
seu propriè reservare, nisi in bonum pœ-
nitentis. Et verò licèt subditi confitean-
tur reservata peccata superiori, iste tamen
non potest ullo modo hæc Sacramentali
notitiâ uti ad publicam gubernationem,
ob prohibitionem Clem. VIII. in decreto
de Cal. Reservat. de quo *suprà n. 245.*

Et seq. His suppositis, est

QUÆSTIO I.

An & quando teneatur
superior dare petenti facultatem
absolvendi à reservatis.

Tria sunt, quæ ad plenam hujus Quæ-
stionis Resolutionem videntur neces-
sariò esse afferenda; nimirum 1. Quan-
do debeat negari? 2. Quando possit nega-
ri vel dari? & 3. Quando debeat dari?

§. I.

Quando debeat negari facultas ab-
solvendi à reservatis?

334. Dico itaque I. Aliquando super-
rior ita simpliciter & absolute tenetur pe-
titam facultatem absolvendi à reservatis
negare, ut non possit ullo modo conce-
dere. Nempe in casu, quo subditus est
aliquo jure, per superiorem indispensa-
bili, graviter obligatus, ut, cùm per se
& alio modo non possit, per sui mani-
festationem superiori factam, per quam
solam potest, caveat communitati, ordi-
ni, monasterio, aut alicui tertio à gravi
damno aut scandalo; vel sibi ipsi, aut com-
plicità relapsu. Ratio, quia cùm subditus,
ut ponitur, sit graviter & indispensabili-
ter obligatus ad cavendum suum vel alio-
rum damnum, idque non possit nisi per
solam manifestationem sui apud superio-
rem, non potest ei dari facultas, se apud
eundem non manifestandi. Imò, quia
hoc ipso, quòd possit & indispensabiliter
debeat, sed tamen nolit se manifestare,
graviter contra suam obligationem pec-
cat; ideo in hoc statu est incapax abso-
lutio-

lutionis, ergo superior frustra daret facultatem absolvendi illum, faceretque se participem alieni peccati. Et hunc casum nemo potest negare; hic tamen ab aliis non repetio expressum; obscure tantum insinuare videtur Gobat *tr. 7. n. 702.* cum ait, Reum non teneri sub mortali manifestare se superiori, nisi quando lex naturalis illum ad id obligat, nimirum indispensabiliter, adeoque etiam seclusa omni reservatione.

335. Ad prædictam porrò obligationem contrahendam requiritur. I. ut subditus Jure aliquo, per superiorem indispensabili obligetur &c. Nam si superior possit subditi obligationem relaxare, hoc ipso jam non simpliciter & absolute tenetur negare ei facultatem alteri confitendi absque sui manifestatione apud superiorem. II. ut subditus per se vel alio modo, non possit cavere damnum &c. quia si subditus per se vel alio modo, quam sui manifestatione apud superiorem, possit & velit cavere damnum suum & aliorum, tunc superior adeo non tenetur negare petitam facultatem, ut potius debeat eam sine difficultate dare; ut dicitur *infra*. III. ut superiori moraliter certò constet de tanta subditi obligatione; quia onus certum, idque tam grave non est superiori aut subdito imponendum absque ulla firma ratione (sicut fieret in dubio negativo) multò minùs, si superior vel etiam subditus habet pro sua libertate probabilem rationem, sicut fieret in dubio positivo. Atque ita in aliis minùs urgentibus casibus moralem certitudinem hinc requirit expressè Tamb. *de casib. reserv. cap. 8. §. 2. n. 2.* Palao *l.*

c. n. 5. Coninch *l. c. n. 109.* & Card. Lug. *cit. Diss. 20. n. 236.* qui duo requirunt, *ut constet*; quod autem quocunque jam modo dubium est, non constat; ergo & hic. Quia verò prædictus casus cum omnibus suis requisitis est planè rarissimus, rectè quoque dicitur rarissimum esse, ut superior (absolute & simpliciter) teneatur, negare petenti facultatem absolvendi à reservatis. Nullo modo autem, quod à multis non satis observatur, confundi ille debet cum aliis sequentibus, de quibus

§. II.

Quando facultas absolvendi à reservatis possit negari, vel dari?

336. Dico II. Aliquando superior potest & tenetur petitam facultatem absolvendi à reservatis negare; sed ita, ut non obstante hac obligatione possit, & quandoque superveniente rationabili causa etiam debeat concedere; adeoque non simpliciter & absolute teneatur negare (sicut in casu conclusionis præcedentis) sed secundum quid, & ad melius esse, vel juxta legem tantum aliquam humanam. Hoc autem modo tenetur superior negare facultatem, quando probabiliter timeri potest ex ejus concessione vel ex reservato peccato subditi oriturum grave damnum vel scandalum communitatis, Ordinis, vel tertii, vel ipsius pœnitentis alioqui relapsuri; item quando pœnitens est recidivus, peccavit cum complice, vel ex occasione extrinseca. Ratio, quia superior ex officio suo tenetur eo modo, quo ipsi præscriptum est, & commode potest.

potest, impedire, ne subditi sibi ipsis vel aliis graviter noceant; sed aliquando non potest alio modo impedire, quàm negando petitam facultatem, ergo, &c. Bonus quoque Pastor, Medicus, & Pater tenetur, si potest, impedire non tantùm, quæ certò, sed etiam quæ saltem probabiliter sunt suis, vel per suos aliis futura gravi damno. Et hujus generis sunt casus illi, de quibus DD. in materia Reservationis communiter loquuntur.

337. Ut autem in iis aliquando superior teneatur negare facultatem, requiruntur sequentia. I. Ut recidivus non censeatur, qui peccatum reservatum sæpiùs commisit ante illam confessionem, in qua primò se de eo accusat; sed tantùm, qui post eam iterum in una vel pluribus aliis ejusdem criminis de novo perpetrati reum se facere, & fateri debuit, ut bene docet Gobat *tr. 7. n. 696. cum seq.* quamvis *ibid.* non audeat determinare, an post binas diversas absolutiones bis relapsus, adeoque tertiã vice ob idem Peccatum rursus commissum absolutione indigens sit, vel non sit habendus pro recidivo. Sed Dicast. *cit. Diss. II. n. 329.* si pœnitens, inquit, non admodum frequenter sit recidivus (hoc est relapsus) non video, quare superior velit esse difficilis in concedenda facultate; ergo multò minùs, quare teneatur negare. Attendendum hîc meo judicio etiam est ad tempus, quod inter aliam, & alium relapsum intercedit. Si quis enim sæpiùs, sed post longiora intervalla reincidat in idem peccatum reservatum, videri potest tunc non ex voluntate in malo obfirmata, sed ex fragilitate potiùs naturæ, ve-

R. P. Stoz Trib. Pœnit. Lib. II.

hementiã tentationum &c. relabi; adeoque etiam dignus, ut potiùs commiseratione adjuvetur, quàm ut jam antè afflictus per rigorem negatæ facultatis amplius affligatur.

338. Requiritur ad prædictam obligationem contrahendam II. ut superior ipse post auditam pœnitentis confessionem, vel ejus manifestationem possit malo, quod timetur, sufficiens remedium afferre, salvo confessionis sigillo. III. ut ad occurrendum tali malo nullum aliud suppetat remedium, quàm ut pœnitens confiteatur, aut manifestetur superiori, adeoque etiam IV. ut superior non possit habere alium, quem suo loco substituatur, ut pœnitentis confessionem excipiat, & malis, quæ timentur, sufficiens provideat; atque ita superior meritò & prudenter Confessarium vel Sacerdotem, qui pro alio petit facultatem, judicet esse insufficientem, neque alium idoneum possit commodè assignare. Et hæc tria capita expressè requirunt DD. loquentes de tali periculo & damno pœnitentis, vel aliorum, cui superior, inquit Reginald, *l. 8. n. 44.* auditã confessione, non autem aliter, possit remedium afferre, salvo sigillo; cui superior, & non alius, ait Palao *l. c. n. 5.* remedium adhibere possit; quòd non ipse Subditus & Confessarius præcavere possint, ut loquitur Dicast. *l. c. n. 326.* quod non posset aliter impediri, nisi superior illud sibi reservaret (peccatum, negando facultatem) & hoc modo speraret omnino se posse illud (periculum) impedire sine ulla sigilli violatione, scribit Coninch *l. c. n. 109.* V. ut negatio petitæ facultatis non videatur cessura

Cc

fura

sura pœnitenti in aliquod aliud grave damnum à relapsu distinctum, de quo *Concl. seq.*

339. Requiritur denique VI, ut superior sit de his omnibus moraliter certus, ut in terminis loquuntur Tamb. & Palao *in fine preced. concl.* relati; imò Coninch, & Card. Lugo etiam volunt superiorem non teneri negare facultatem, sed debere concedere, nisi *constet* peccatum reservatum, vel concessionem facultatis esse pœnitenti quoad relapsum, vel aliis quoad alia graviter damnosam; adeoque id moraliter certum sit, & non tantum *probabiliter* timeatur, probabilitate quacunq; sed probabilitate certitudini morali æquivalente: quarum illa prior sufficit quidem, ut peccatum fiat reservatum, & fortè aliquando possit negari facultas absolvendi; sed posterior necessaria est, ut superior teneatur negare facultatem, positus simul etiam aliis omnibus comemoratis requisitis. Ratio est clara, quia superior non tenetur negare aliis facultatem absolvendi à reservatis, nisi quando id est necessarium medium ad vitanda damna, quæ timeantur, ut indicatur etiam in nostris *Ord. Gen. cap. 6. n. 2.* atqui negatio facultatis nunquam est necessarium medium ad vitanda damna, nisi positus omnibus prædictis requisitis, & circumstantiis: ergo &c.

340. Verùm hæc ipsa necessitas, si quando existit, non est ex parte superioris tam absoluta, & præcisa sicut *in preced. concl.* cum tantum fundetur in probabilitate, vel ad summum in morali certitudine; ideo potest non rarè alia tam rationabilis & gravis causa intervenire, quæ illum ab ea necessitate & obligatio-

ne excuset, vel etiam ad contrarium, hoc est ad concedendam facultatem obliget. Item quia prædicta necessitas, cum tantum ex parte superioris se teneat, *sup. n. 336.* non afficit, vel certè nondum sufficienter stringit subditum; neque ille aliquo alio Jure satis firmiter obligatur ad damna aut pericula quædam vitanda cum tam gravi aut difficili medio confessionis, aut sui manifestationis apud superiorem faciendæ; ideo ad hanc obligationem in subdito constituendam opus est lege & præcepto aliquo superioris. Ut proinde subditus in casibus reservatis hujus *Concl.* non alio jure teneatur se sistere superiori, quàm ex obedientia. Quod si ergo hic aliquando subditus nolit se sistere, cum deberet, peccat quidem in re gravi & graviter contra obedientiam; propter illud tamen peccatum non est incapax absolutionis; sed deinde, quando tandem superior descendit, atque facultatem alteri confitendi concedit, debet se uti de aliis, ita etiam de hoc Inobedientiæ peccato accusare. Sicut etiam debitor, qui quidem peccat contra Justitiam, si, quod debet, & creditor serio exigit, firmiter nolit solvere, cum possit; postquam tamen creditor debitum tandem remittit, potest & ab illo peccato Injustitiæ, & ab aliis legitimè absolvi. *Reginald. l. 3. n. 49.* Imò si subditus nunquam hic firmam concipiat voluntatem non obediendi, sed tantum petendo facultatem instet, ut superior, sicut potest, tandem remittat obligationem, se sistendi; fieri etiam potest, ut subditus hac in re vel omninò nihil, vel certè non graviter peccet. *Lug. l. 2. n. 240.*

341. In dubio porrò de superioris vel subditi obligatione ob defectum unius vel alterius requisiti, ait expressè & universaliter Lug. l. c. n. 236. semper esse in benigniore partem inclinandum, & petitam facultatem concedendam. Neque rectè excipit Gobat tr. 7. n. 732. dubium de gravi damno publico seu communitatis; quia etsi superior teneatur prospicere potiùs bono communitatis, quàm bono personæ particularis. Dicast. l. c. n. 326. & major ratio illius haberi debeat quàm hujus. Laym. l. 5. tr. 6. cap. 12. n. 7. hæc tamen illi //, cc. loquuntur non de casu dubio. Et si loquerentur etiam de casu dubio, verum id esset tantùm in foro fori & externo, non item in foro poli & Sacramentali. Istud enim est à Christo unte in bonum & commodum pœnitentis institutum, ergo debet in eo, cùm dubium occurrit, in pœnitentis potiùs, quàm in ullius alterius, etiam communitatis, favorem pronuntiari; uti constat fieri in materia Restitutionis, in contractibus, & aliis similibus causis, etiamsi bonum communitatis attingant.

§. III.

Quando debeat dari facultas absolvendi à reservatis.

342. Omnibus denique consideratis, quia ea omnia, quæ ad obligationem superioris de negatione facultatis requisita esse dixi, rarò præsumenda sunt, ut ait Palao l. c. n. 5. Coninch n. 109. & rarissimè constare superiori possit, an & quando omnia adsint, cùm casus reservatus non possit ei in specie cum omnibus cir-

cumstantiis proponi ob periculum frangendi sigilli; idèd rarissimè & quasi tantùm per accidens, etiam in casibus secundæ Concl. fiet, ut superior prædicto modo teneatur negare facultatem. Quamobrem DD. formant Regulam in contrarium, & concludunt, Regulariter superiorem obligatum esse, petenti per se vel per Confessarium facultatem concedere. Palao cit. n. 5. moraliter & per se loquendo debere esse facilem in concedendo. Reginald. l. c. n. 49. Bonac. l. c. n. 19. communiter concedendam esse facultatem. Lug. l. c. n. 236. De quo unum cum illis

343. Dico III. Regulariter, communiter & per se loquendo tenetur superior semper facultatem absolvendi à reservatis concedere, quando subditus eam per se, vel, ut rectè Coninch cit. Disp. 8. n. 111. & Dicast. cit. Disp. 11. n. 331. ordinariè fit, per Confessarium petit. In specie autem

I. Quoties nullam habet justam causam negandi. Reginald. l. c. n. 49. Coninch l. c. n. 111. & alii cum Suarez tom. 4. Disp. 30. sect. 4. n. 9. ubi: ad concedendum, inquit, sufficit, quòd nulla specialis ratio negandi occurrit: ad negandam autem oportet adesse specialem rationem negandi. Hoc ipso enim, quòd subditus petit facultatem, ostendit, sibi valdè grave esse, superiori confiteri, eique manifestari; ergo superior tenetur eum gravi hoc onere liberare, si commodè potest: sicuti potest, cùm nullam habet rationem in contrarium. Sic etiam in nostris Ord. Gen. cap. 6. n. 1. dicitur, posse superiorem graviter offendere, si impruden-

ter, & sine justa graviq[ue] causa facultatem petitam neget. Addo, quòd plus periculi soleat esse in negatione, quàm in concessione facultatis. Dicast. *l. c. n. 328.* & communiter gravius malum oritur ex negatione, quàm ex concessione. Coninch *l. c. n. III.* ergo superior tenetur, si potest, periculum ejusmodi & malum præcavere.

Justa autem causa negandi non est, si tantùm speretur ex negatione facultatis aliorum utilitas, sed cum detrimento & gravi incommodo pœnitentis; quia Sacramentum pœnitentiæ, & Reservatio in futura sunt in bonum pœnitentis, ergo non licet uti tali negatione (facultatis) tanquam medio ad procurandam aliorum utilitatem interveniente detrimento subditi, inquit Reginald. *n. 46.* & optimè advertit *n. 47.* aliud esse, aliorum utilitatem procurare, & aliud, vitare aliorum nocumentum; atque ob istud, nonitem ob illud posse negari facultatem.

344. Quod si ergo superior probabiliter timeret, ex sua facilitate concedendi facultatem alios sumptuos scandalum, & faciliùs, graviùsque peccaturos, simulque alia omnia requisita, de quibus supra, concurrerent; tunc non tantùm posset, sed etiam teneretur negare facultatem. Dicast. *l. c. n. 326.* Palao *n. 5.* Sed talia, inquit Coninch *cit. n. 109.* non sunt facilè præsumenda; cum concessiones fiant omninò secretæ, & rarò soleant ex iis talia contingere. Putat quidem Coninch *l. c. n. III.* hoc posse tunc præsumi, cum valdè frequenter ejusmodi licentia exigitur, & interim religiosa disciplina laxatur, eiq[ue] consentit Laym. *l. 5.*

tr. 6. cap. 12. n. 7. & Dicast. *l. c. n. 333.* At verò rectiùs Palao *cit. n. 5.* fateretur, præsumptionem hanc esse levem, cum aliunde quàm ex concessione licentiæ possit disciplina relaxari, & ad eam adstringendam habeantur alia media, quæ priùs sunt tentanda. Ex quibus patet, justam & gravem causam negandi facultatem non esse, nisi quando superior tenetur negare juxta dicta primæ & secundæ Conclusionis, adeoque etiam non facilè dari posse casum medium, in quo, ut vult Lugo *l. c. n. 241.* possit superior pro suo arbitrio negare & concedere facultatem, atque adeo ad neutrum teneatur.

345. II. Quoties pœnitens rationabiliter timeret, si superiori confiteatur, aut manifestetur, inde sibi grave damnum oriturum, confessioni ipsi extrinsecum, v. g. grave odium, fractionem sigilli, abusum notitiæ Sacramentalis ad publicam gubernationem, vel ad alia in sum aliud quod incommodum &c. vel sibi alium, à superiore designatum speciatim Confessarium non futurum auxilio ob inimicitiam, aversionem, improbitatem, imperitiam &c. Reginald. *l. c. n. 43.* Coninch. *l. c. n. 108.* Lug. *l. c. n. 235.* qui duo ajunt, in hoc convenire omnes, quia superior nullum habet jus in tali casu obligandi subditum ad se sistendum, aut manifestandum.

346. III. Quoties ex negatione petitiæ facultatis prudenter timeri potest aliud grave aliquod damnum spirituale subditi, quod quidem non aliunde, sed tantùm ex aliqua ejus passione vel alia fragilitate oritur. Dicast. *l. c. n. 325.* Reginald. *l. c. n. 45.* vel ex inordinata verecundia, vel alia

P. Stoz

Tribuna

Poenite

E III
S I I

alia apprehensione. Coninch. *l. c. n. 109.* & alii communiter cum S. Thoma apud ipsos; ut: si possit prudenter timeri, subditum non integrè confessurum superiori; vel absque confessione communicaturum aut celebraturum; vel confessionem, communionem, aut celebrationem diu omitturum: imò etsi vel solum timeri possit, subditum cum multo minore fructu confessurum superiori, quam alteri. Dicast. *l. c. Coninch l. c. n. 110.* quibus consentit. Reginald. *l. c. n. 45.* cum hac tamen limitatione: nisi ad aliorum exemplum & bonum commune sit necessarium negare. Quæ tamen limitatio est illi ipsi, & ejus doctrinæ *n. 46.* tradita ac *sup. n. 312.* relata contraria. Ratio horum patet ex ipsa natura & sine Reservationis. *sup. n. 301.* explicatis. Sicut enim confessio, ita & reservatio inducta est in utilitatem pœnitentis; ergo non debet ita observari, ut cedat in ejus detrimentum & destructionem. Coninch. *cit. n. 110.* & cum concessa sit in bonum subditorum, non debet in eorum dispendium detorqueri. Palao *l. c. n. 4.* Neque refert, ut Reginald. *cit. n. 45.* loquitur, quòd subditus ipse sit sibi causa alicujus talis mali ex iis, quæ hic enumeravimus; quia etiam hoc spiritualis Pastor impedire tenetur, si commode potest.

Rectè tamen limitat hæc Coninch *l. c. n. 109.* nisi constet (seu moraliter certum sit,) peccatum reservatum subditi vergere in scandalum aut detrimentum aliorum, quod superior speret se posse acceptâ confessione vel manifestatione subditi impedire, & nullo alio modo. Quod ipsum videtur voluisse Dicast. *l. c. n. 326.*

cum eadem limitando, non dixit: nisi superior probabiliter timeat, sed nisi prudenter timeat, &c. Certè si superior probabiliter tantum timeat damnum aliorum; sed ad id vitandum non sit necessaria negatio petite facultatis, non potest superior licitè eam negare, sed tenetur dare, ut *sup. n. 335. 339. & 341.* probatum est, & confirmatur *ex seq.*

347. IV. Si subditus nihil aliud habeat, quod timeat, sed præcisè tantum horreat, subire ruborem & confusionem apud superiorem, ipsi confessioni intrinsicam; valdè magnam tamen habeat difficultatem in hoc errore superando, ac propterea per confessarium petat facultatem, tenetur superior eam dare; nisi constet de alio pœnitentis vel aliorum graviore damno, & ad id vitandum sit necessarium negare facultatem. Lug. *cit. n. 236.* quia subire confusionem, à qua quis magnopere abhorret; item eadem peccata bis confiteri, vel duobus manifestare, sunt gravia onera; ergo superior, si commodè potest, tenetur ab iis subditum, ita rogantem, liberare.

348. V. Si superior ex facta sibi relatione de casu reservato ejusque circumstantiis, quantum salvo sigilli fieri potest, judicet, se habere sufficientem causam, negandi facultatem; sed tamen simul ex Confessario, vel aliunde cognoscat, reum obfirmato animo nolle ipsi confiteri aut manifestari, nec posse ad id ulla ratione adduci; tunc etiam huic negare non potest, sed tenetur concedere petitam facultatem. Reginald. *l. c. n. 49.* quia Reservatio habet rationem medicinæ, ut *sup. n. 103.* dictum; atqui absurdum est, inquit

quit Reginald. Medicinam, ad sanationem institutam, tunc alicui applicare, cum non prodesse, sed obesse cognoscitur.

349. In nostris *Ord. Gen. cap. 6. n. 4.* statuitur, quod prius tendenda sint aliqua media, de quibus superior & confessorius inter se conferant; ac tandem, si nullum aliud reperiatur, superior facultatem negare non debeat. Quæ tamen intelligenda sunt tantum de casibus *Concl. secunda*; quia in his, cum subditus teneatur tantum ex præcepto Superioris & vi obedientiæ illi confiteri, aut manifestari, potest tandem superior hanc obligationem remittere, faceréque, ut subditus, si unacum aliis peccatis etiam de hac contumacia se apud alium accuset, capax sit absolutionis, ab eoque valide & licite absolvatur, vide *supra n. 340.* In casibus autem *Concl. prima* hæc locum habere non possunt, quia superior obligationem subditi, utpote à se indispensablem non potest remittere; & quamdiu subditus potest, sed contumaciter non vult satisfacere, tamdiu est in statu peccati mortalis, & incapax absolutionis, ut *ibidem* dixi.

350. VI. Si superior audito casu reservato judicet, ad vitandum poenitentis vel aliorum damnum esse necessarium, ut negetur petita facultas, seque teneri negare; econtra autem Confessorius judicet, id non esse necessarium, nec superiorem teneri negare, sed posse & debere concedere; tunc omnino expedit, ut superior hac in re stet *Judicio Confessorii*, inquit *Coninch l. c. n. III.* ubi etiam dat optimam hanc rationem, quia

cum Confessorius semper personam, titi & casum ipsum cum omnibus suis circumstantiis perspectum particulatim habeat, facilius & melius scire potest, quid expediat, quam ipse superior, qui hæc ignorat; cum ei propter periculum frangendi sigilli casus vel omnino, vel ex maxima parte, non possit indicari. Idem sentit *Laym. Dicast. & alii communiter.* Si autem expedit, ut superior stet hinc *Judicio Confessorii*, tunc ille isto ita judicante jam potest dare facultatem; ergo etiam tenetur; cum hoc ipso non habeat justam eamque gravem causam negandi: nisi constet, Confessorium ex errore vel pravitate aliqua male judicare. Confirmatur ex *Fagund. pauld post citan. & Pellizar. rom. 8. cap. 2. n. 59.* ubi *negare injuste, & negare pio a docto Confessorio licentiam,* habent pro eodem.

351. Atque hoc ipsum quoad Regulares statuit *Clemens VIII.* in suo de Reservatione Casuum Decreto *sup. n. 74.* præcipiens, *ut in quavis domo Regulari Superiores deputent duos vel plures Confessarios, qui à non reservatis absolvant; & quibus etiam reservatorum absolutio committatur, quando casus occurrerit, in quo eam debere committi ipse inprimis Confessorius judicaverit.* Putat quidem *Palao l. c. n. 7.* vi hujus Decreti Superiores non teneri, duos constituere Confessarios, nisi in domo, in qua unus non sufficit omnibus; nec teneri stare *Judicio solius Confessorii*, sed tantum debere ad illud præcipue attendere. Sed non bene; quia in utroque hoc puncto *Clemens VIII.* postea dispensavit (quamvis tantum vivæ vocis oraculo) cum Socie-

tate

P. Sto

Tribuna
Poenite tue
E
S

rate JESU: quod utique fuisset frustra-
neum, si Pontifex nihil aliud in suo De-
creto, quam quod Palao vult, statuisset.
Addo, quod ipsa quoque Pontificis Di-
spensatio, ut habetur in nostris *Ord. Gen.
cap. 5. n. 3.* plus non concesserit, quam ut
Judicium à reservatis absolvendi Confes-
sariis non absolutè relinquatur; sed liceat
superiori facultatem denegare in iis casu-
bus, in quibus constat juxta ea, quæ Do-
ctores dicunt, esse denegandam; ergo in
omnibus aliis, in quibus juxta DD. non est
deneganda facultas, debet adhuc super-
ior stare Judicio Confessarii deputati, seu
ordinarii.

352. Quoad seculares autem debet su-
perior stare judicio Confessarii, si iste sit
vir pius & doctus, *Fagund. Prac. 3. lib. 3.
cap. 9. n. 17. v. secunda.* ubi ex *Sylv. v. Con-
fessor. 1. n. 13.* ait, pro pio & docto Confes-
sario habendum esse omnem illum, qui
approbatus & expositus est ad audiendas
confessiones; intellige tamen, quoad locum,
& personas, pro quo, & quibus est
approbatus & expositus.

VII. Quando unum aut plura defunt
ex requisitis *suprà positis à n. 337.*

VIII. Quando est dubium, an omnia
ad sint requisita *n. 341.* Atque hæc de
prima parte Quæstionis. Nunc ad alteram.

QUÆSTIO II

*Quomodo superior obligatus
sit concedere facultatem, quando
eam dare tenetur.*

353. **D**UO hinc dicenda sunt. I. itaq; supe-
rior ita obligatus est ad concedē-

dani petitam facultatem absolvendi à re-
servatis, ut, si neget, quando dare tenetur,
peccet mortaliter. *Tamb cit. cap. 8. §. 2.
n. 2. & Fag. Præcept. 3. lib. 3. cap. 9. n. 17. v.
similiter.* ait, superiorem peccare morta-
liter, si se non præbeat facilem in conce-
denda petita licentia, idque expressè
docere Henriquez, Sylvestrum, Panor-
mit. & Rodriq. juxta communem alio-
rum, qui passim dicunt, superiorem hæc
in re posse graviter offendere, graviter
peccare.

Peccat autem graviter & mortaliter 1.
contra Charitatem. *Suar. Reginald. Co-
ninch, Lugo alii.* quia proximum gravi
onere & incommodo afficit sine suffi-
cienti causa. 2. contra Justitiam, quia
subdito auxilium, quod potest, & ratio-
ne sui officii debet præstare, non præstat,
ut probat *Lugo l. c. n. 237.* cum aliis con-
tra *Suarez.* 3. contra Religionem, quia
facit Sacramentum Pœnitentiæ difficile,
& odiosum, exponitque periculo tractan-
di illud irreverenter & sacrilegè. *Regi-
nald. l. c. n. 46. §. 51.* Unde *S. Thom. in
4. Dist. 17. q. 3. art. 3. Quæstiunc. 4. ad 6.* ta-
les superiores multis, inquit, laqueum
damnationis injiciunt, & per consequens
sibi ipsis; & *Suar.* apud *Fagund. l. c.* dicit,
id esse crudele, tyrannicum & periculo-
sum; testaturque *Fagund. ibid. v. secunda.*
tales superiores ab aliis vocari crudeles &
tyrannos.

354. II. Et si superior regulariter te-
neatur petitam facultatem concedere, &
quidem sub peccato mortali, ut dictum;
tamen non semper tenetur concedere illi
Confessario aut Sacerdoti, per quem ea
pro alio petitur. *Reginald. n. 50. Co-
ninch*

ninch n. 112. Palao l.c. n. 6. Lugo n. 236. Dicast. n. 330. multò minus tenetur superior permittere pœnitenti, ut ipse sibi pro suo arbitrio possit eligere confessarium pro absolutione à reservatis; sed potest alium Sacerdotem certum, unum vel plures ad hoc deputare; idque subinde expedire, ut fiat, habetur in nostris *Ord. Gen. cap. 6. n. 3.* & quandoque debere fieri docet Dicast. cit. n. 330.

355. Omnes tamen alii ex citt. monent, ratò hanc mutationem expedire, si ille, qui petit, sit Confessarius ordinarius, vel alius idoneus Sacerdos. Ratio Palai est: Tum quia pœnitens à designato fortè non minùs, quàm ab ipso superiore abhorrebit. Tum quia communiter ex tali mutatione oriuntur graves querelæ; cum petens credat, & agrè ferat, se haberi à superiore pro suspecto, vel pro minùs idoneo. Imò Lugo rectè ait, si Confessarius, per quem facultas petitur, sit idoneus, non debere alium deputari; ne cogatur pœnitens idem peccatum bis confiteri, aut duobus manifestare. Accedit, quod Clemens VIII. pro Regularibus statuit, ut Confessariis ordinariis, qui à non reservatis absolvere solent, committatur potestas absolvendi à reservatis, quando casus occurrerit.

Superest ultima pars propositæ Contrroversiæ, videlicet

QUÆSTIO III

Quid Furis sit, si superior pœnitentiam facultatem injustè neget?

356. **E**X dictis sup. n. 72. constat, quòd pœnitens possit hinc per Confel-

farium ordinarium absolvi directè à non reservatis, & indirectè à reservatis, sive jam illa sola, ut potest; sive unacum illis etiam ista confiteatur; vel quòd possit omisà penitus confessione communicare aut celebrare, si necessitas aliqua urgeat, elicità tamen priùs perfectà contritione; donec tandem superior ab injusta desistat negatione, vel alius major defectum minoris suppleat, facultatè que concedat. Insuper autem

357. Affirmant multi, tam quoad Seculares, quàm quoad Regulares indiscriminatim, quòd si Superior, quando tenetur concedere, neget facultatem pœnitenti pio & docto Confessario, & necessitas instet communicandi, vitandi infamiam &c. possit iste nihilominus pœnitentem absolvere à reservatis, & quidem directè, ac absque omni onere se illi vel alteri superiori sistendi. Hos inter est Henriq. l. 3. de pœnit. cap. 13. n. 6. & cap. 15. n. 6. Rodriq. tom. 1. sum. cap. 55. n. 10. Sylv. Tollet. & plures alii relati à Laym. l. 5. tr. 6. cap. 13. n. 3. qui censet hoc esse probabile, & à Dian. p. 3. tr. 4. Res. 29. qui & ipse ait, id esse probabile & bene notandum. Fateatur quoque Dicast. l. c. n. 338. non esse improbabile, & n. 335. dissolvit Lugonis argumenta contraria. vide eundem *Disp. 10. n. 181.* Fusè autem & multis argumentis probat Fagund. cit. n. 17. v. *secunda.* Potissimum est, quòd pro tunc major Superior, vel saltem ipse Pontifex suppleat defectum minorum superiorum; & facultatem ab iis injustè negatam ipse concedat. Hanc autem esse mentem Ecclesiæ atque Pontificis colligi potest etiam ex eo, quòd à Trid.

à Trid. *sess. 14. cap. 7.* omnibus superiori-
bus, & à Clemente VIII. speciàtim supe-
rioribus Regularibus fuerit potestas quo-
ad reservationes valde restricta, ne fiant
ad destructionem, sed ad aedificationem,
& bonum subditorum &c. ut *sup. visum*
est; atqui reservatio jam tenderet ad de-
structionem, si, superiore minore injustè
negante facultatem petitam, non provi-
deret, nec providisset superior major, &
ipsum Jus.

358. Sed alii distinguunt, & quoad se-
culares admittunt prædictam sententiam
esse quidem omninò probabilem; contra-
riam tamen & negativam quoad illos esse
communem, probabiliorem, & tenen-
dam, ut ait Fagund. *cit. v. secunda. in fine.*
Lugo *de pœnit. Diss. 20. n. 40.* Suar. & alii
apud Laym. *l. c.* Neque enim satis certa
est illa majoris superioris voluntas, aut
Juris communis dispositio; cum nulla
sit ejus necessitas, quia pœnitens potest
tunc vel sine absolutione communicare,
celebrare &c. vel per ordinarium Con-
fessarium absolvi indirectè à reservatis, ut
dixi.

359. Nihilominus tamen si quis in pra-
xi sequi priorem sententiam velit, est tu-
rus, & extra periculum invalidæ absolu-
tionis, quia quodcumque probabile est,
Confessarium in peccata & pœnitentem
habere Jurisdictionem, tunc Ecclesia eam
illi confert, & certò illam habet. Tamb.
de confess. l. 3. cap. 7. §. 1. n. 1. ex com. sup.
n. 53. in fine. atqui juxta omnes proba-
bile est, Confessarium in proposita Quæ-
stione & casu habere Jurisdictionem in
reservata; ergo certò illam habet, tu-
tòque & ille ab iis absolvit, & pœnitens

R. P. Stoer. Trib. Pœnit. Lib. II.

absolvitur non tantum indirectè, sed direc-
tè, & sine onere ulterius coram superio-
re aliquo comparendi. Miror proinde,
quòd Dicastillo immemor hujus princi-
pii, ab ipso etiam *Diss. 10. n. 193.* traditi,
& fusè propugnati, communitèrque
recepti, putet minus tutum id esse, di-
câtque hîc *Diss. 11. n. 339.* non esse ne-
cesse, ad hæc *minus tuta* confugere. Ad-
huc ergo rectè monebat Diana, senten-
tiam affirmativam esse bene notandam.
Quidquid autem de hoc sit quoad secu-
lares.

360. Ad Regulares quod spectat,
dixi jam *sup. n. 47. in fine*, & res est ex-
tra omnem controversiam, quia Clemens
VIII. suum Decretum de casibus reser-
vatis, *An. 1593. 26. Maji* editum ita decla-
ravit, & Paulus V. apud Naldum (ut
Dicastillo *cit. Diss. 10. n. 184.* refert) de-
cidit; denique Urbanus VIII. 1624. 26.
Octob. iterum innovavit, declaravit, &
publicavit, Confessarios pro Regulari-
bus deputatos posse eosdem à reservatis
absolvere, si superior petitam facultatem
neget. Decreta ista cum declarationibus
habentur *tom. 4. Bullarii novi* inter Bul-
las Urbani VIII. *n. 28.* ab aliis, fortè jux-
ta aliam antiquiorem editionem, dicitur
esse *n. 26.* Verba decisionis & declara-
tionis, Decreto Clementino de casibus
reservatis adjunctæ, sunt hæc: *Sanctitas*
sua deinceps declaravit, & declarat, ut si
hujusmodi Regularium Confessariis, casus
alicujus reservati facultatem petentibus, su-
perior dare no'uerit, possint nihilominus
Confessariis illà vice pœnitentes Regulares,
etiam non obtenta à superiore facultate ab-
solvere. In ipso autem Decreto habe-

Dd

III

tur inserta clausula derogatoria amplissima: *Non obstantibus* Constitutionibus Apostolicis, cujusvis etiam generalis Concilii Decretis, Consuetudinibus inmemorabilis temporis, generalium aut provincialium Capitulorum statutis, à Pontifice etiam confirmatis, privilegiis, indultis &c. quorumcunque, quorum tenores hic pro expressis haberi voluit, ceterisque in contrarium facientibus quibuscunque.

361. Et quòd vi hujus Declarationis Confessarius Regularium, à superiore ad eos à non reservatis absolvendos deputatus, adeoque ordinarius (de his enim tantum loquitur Decretum, & intelligitur Declaratio, non item de aliis, etsi etiam idoneis) possit absolvere Regularem penitentem à casibus reservatis, directè, & sine onere illi vel alteri superiori se sistendi, illà vice, quâ Confessarius iste petat facultatem sibi pro aliquo concedi, & superior neget, docet expressè relatis verbis formalibus Pontificiæ Declarationis atque Decisionis Tambur. *de casib. reserv. cap. 8. §. 2. n. 9. 40. §. 43.* Dicast. *de penit. Disp. 10. n. 184. & Disp. 11. n. 339.* Pellizarius *tom. 2. tr. 8. cap. 2. n. 60.* Dian. *p. 3. tr. 2. Resol. 126.* Gobat *tr. 7. n. 205.* Busenbaum *l. 6. tr. 6. cap. 2. dub. 4. n. 4.* & Quintanaduennas, qui apud Busenb. *l. c.* ait, non esse dubium ea dè re; Bordonus, Alphonsus à Leone, cum aliis apud ipsos. Sic & Lugo *cit. Disp. 20. n. 40.* etsi cum Suar. & aliis generatim neget, aliquem posse petita & non obtenta facultate validè ab eo, qui ceteroqui Jurisdictionem non habet, absolvi; expressè ta-

men ob allatam Declarationem addit, se id non velle intelligi de casu illo particulari & particularibus personis, in Declaratione contentis; quam etiam verbatim refert.

362. Observandum autem est circa eandem Declarationem cum cit. DD. I. Etsi in Declaratione dicatur simpliciter, *si petenti hujusmodi Confessario dare noverit &c.* debet id tamen intelligi juxta id, quod jam antè in ipso Decreto Clementino expressum fuerat, nimirum quando casus occurrerit, in quo ipse inprimis Confessarius judicaverit facultatem debere concedi. Cùmque Confessarii ordinarii Regularium juxta idem Decretum debeant esse viri docti, prudentes, & charitate præditi, credendum est, eos non facilè judicatuos, esse concedendam facultatem, nisi quando juxta DD. placita, & dicta *suprà*, possunt prudenter ita judicare. Unde clarum est, quòd hinc nullum oriatur periculum enervandi vim Reservationis. Quando autem Confessarius potest prudenter judicare, facultatem esse concedendam (sicuti semper potest, cùm rationabiliter nullum timet penitentis aut aliorum damnum, vel non adsunt cetera omnia requisita, vel universim, cùm adest casus ex illis, in quibus superior tenetur concedere facultatem) tunc etiam tenetur ita judicare. Tamb. *l. c. n. 37.* vide *suprà* *n. 74. cit.*

363. II. Dicitur, quòd Confessarius à reservatis possit absolvere *illa vice*, quâ scilicet ille judicavit facultatem esse concedendam, & petiit, sed superior negavit. Unde si sapiùs pro diversis temporibus

poribus & casibus id eveniat, tunc sæpius potest petiri & non obtentâ facultate absolvi penitentes Regulares à reservatis; & toties quoties. Tamb. Dicast. Dian. Pellizarius *ll. cc.* & alii. Acquirat ergo per hoc Confessarius potestatem absolventi à reservatis, non stabilem & habitualem, sed tantùm actua-lem pro qualibet vice, & cum qualibet transeuntem.

364. III. Confessarius potest dicto modo absolvi à reservatis penitentem regularem, etiamsi non urgeat ulla necessitas communicandi, celebrandi, vel periculum infamiae. Pellizar. *l. c.* quia verba Declarationis loquuntur generaliter, & independentè à tali necessitate & periculo. Quoad Seculares autem habet affirmativa sententia, pro illis *sup. n. 357.*

relata, tantùm locum, si necessitas vel periculum instet. Unde etiam quoad hoc est inter illos & Regulares magna differentia.

365. Atque ita hæc Propositio; *Confessarius ordinarius petita, sed non obtentâ facultate, merito tamen dandâ, non potest absolvi à reservatis;* est quoad Seculares loquendo communior quidem & probabilior; sed ita, ut contraria quoque affirmativa omnium Judicio sit probabilis, & propterea etiam æquetuta; quoad Regulares autem est aperte contra authenticam Declarationem & Decisionem Pontificum, unanímè-que DD. Societatis de eadem Decisione scribentium consensum.

**

*

Omnia ad majorem DEI Gloriam.



Dd z

AMI-

A M I C E L E C T O R .

Non ingratis tuis facturum me confido, si pro coronide hujus Operis apponam Decreta S. D. N. Alexandri VII. & aliud novissimè editum à S. D. N. Innocentio XI. de prohibitis quibusdam Sententiis. Duplex inde percipies commodum. Alterum est, ut videas, quàm tutò possis datas híc de innumeris Quæstionibus Resolutiones sequi. Alterum, ut & in aliis Auctoribus noveris pretiosum discernere à vili.

D E C R E T A

S. D. N.

A L E X A N D R I P A P Æ V I I .

In Congregationibus generalibus Sanctæ Romanæ & Universalis Inquisitionis habitis.

Feria V. Die 24. Septemb. 1665.

In Congregatione generali Sanctæ Romanæ & Universalis Inquisitionis habitâ in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram Sanctiss. D. N. Alexandro Divina Providentia Papa VII. ac Eminentissimis, & Reverendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana adversus hereticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus à Sanctâ Sede Apostolica specialiter Deputatis.

SANCTISSIMUS D. N. audivit non sine magno animi sui mœrore, complures opiniones Christianæ Disciplinæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes, partim antiquatas iterum suscitari, partim noviter prodire: & summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excrecere, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepit alienus omnino ab Evangelica

fin.

simplicitate, sanctorumque Patrum doctrinâ; & quem si pro recta regula fideles in praxi sequerentur, ingens eruptura esset Christianæ vitæ corruptela. Quare, ne ullo unquam tempore viam salutis, quam suprema veritas DEUS, cujus verba in æternum permanent, arctam esse definiuit, in animarum perniciem dilatari, seu verius perverti contingeret, idem Sanctissimus D. N. ut oves sibi creditas ab ejusmodi spatiofa, latâque, per quam itur ad perditionem, viâ, pro Pastoralis sollicitudinæ in rectam semitam evocaret, earundem opinionum examen pluribus in sacra Theologia Magistris, & deinde Eminentissimis, & Reverendissimis DD. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus seriò commisit: qui tantum negotium strenuè aggressi, eique sedulò incumbentes, & maturè discussis, usque ad hanc diem infra scriptis propositionibus, super unaquaque ipsarum sua suffragia Sanctitati suæ singillatim exposuerunt.

1. Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei, & charitatis ex vi præceptorum Divinorum ad eas virtutes pertinentium.

2. Vir equestris ad duellum provocatus, potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

3. Sententia asserens, Bullam Cœnæ solùm prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis sermo est, Anno 1629. 18. Julii in Consistorio Sacræ Congregationis Emin. Card. visa & tolerata est.

4. Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscunque sæculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione propter eam incursâ.

5. Quamvis evidenter tibi constet Petrum esse hæreticum, non teneris denunciare, si probare non possis.

6. Confessarius, qui in Sacramentali Confessione tribuit pœnitenti chartam postea legendam, in qua ad Venerem incitat, non censetur sollicitasse in confessione; ac proinde non est denunciandus.

7. Modus evitandi obligationem denunciandæ sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitatione, hic potest ipsum absolvere absque onere denunciandi.

8. Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licitè accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet Celebranti correspondentem, idque post Decretum Urbani VIII.

9. Post Decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, aliâ parte stipendii sibi retentâ.

10. Non est contra Justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, & sacrificium unum offerre; neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promissam promissione etiam Juramento firmatâ, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.

11. Peccata in confessione omiſſa, ſeu oblita ob inſtans periculum vitæ, aut ob aliam cauſam, non tenemur in ſequenti confessione exprimere.
12. Mendicantes poſſunt abſolvere à caſibus Episcopis reſervatis, non obtentâ ad id Episcoporum facultate.
13. Satisfacit præcepto annuæ confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo præſentato, ſed ab eo injuſtè reprobaro.
14. Qui facit confessionem voluntariè nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ.
15. Pœnitens propriâ auctoritate ſubſtituere ſibi alium poteſt, qui loco ipſius pœnitentiam adimpleat.
16. Qui Beneficium curatum habent, poſſunt ſibi eligere in Confessarium ſimplicem ſacerdotem non approbatum ab Ordinario.
17. Eſt licitum Religioſo, vel Clerico calumniatorem gravia crimina de ſe, vel de ſua Religione ſpargere minantem, occidere, quando alius modus defendendi non ſuppetit; uti ſuppetere non videtur, ſi calumniator ſic paratus vel ipſi Religioſo, vel ejus Religioni publicè, & coram graviffimis Viris prædicta impingere, niſi occidatur.
18. Licet interficere falſum Accuſatorem, falſos Teſtes, ac etiam Judicem, à quo iniqua certò imminet ſententia, ſi aliâ viâ non poteſt innocens damnum evitare.
19. Non peccat Maritus, occidens propriâ auctoritate uxorem in adulterio deprehenſam.
20. Reſtitutio à Pio V. impoſita Beneficiatis non recitantibus, non debetur in conſcientia ante ſententiam declaratoriam Judicis, eò quòd ſit pœna.
21. Habens Capellaniam collativam, aut quodvis aliud Beneficium Eccleſiaſticum, ſi ſtudio litterarum vacet, ſatisfacit ſuæ obligationi, ſi Officium per alium recitet.
22. Non eſt contra Juſtitiam, Beneficia non conferre gratis; quia collator, conferens illa Beneficia Eccleſiaſtica pecuniâ interveniente, non exigit illam pro collatione Beneficii, ſed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre nontenebatur.
23. Frangens Jejunium Eccleſiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, niſi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat; puta, quia non vult ſe ſubjicere præcepto.
24. Mollities, ſodomia, & beſtialitas ſunt peccata ejusdem ſpeciei infimæ, ideoque ſufficit dicere in Confessione, ſe procurâſſe pollutionem.
25. Qui habuit copulam cum ſoluta, ſatisfacit confessionis præcepto, dicens; commiſi cum ſoluta grave peccatum contra caſtitem, non explicando copulam.
26. Quando litigantes habent pro ſe opiniones æquè probabiles, poteſt Jdex pecuniam accipere pro ferenda ſententia in favorem unius præ alio,

P. Stoz

Tribuna

Poenitentia

E. H. H.

27. Si liber sit alicujus junioris & moderni, debet opinio censerī probabilis, dum non constet, rejectam esse à Sede Apostolica tanquam improbabilem.

28. Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem à Principe promulgatam.

Quibus peractis, dum similium Propositionum examini cura & studium impenderetur, interea idem Sanctissimus re maturè consideratà statuit, & decrevit, prædictas propositiones & unamquamque ipsarum, ut minimùm tanquam scandalosas, esse damnandas, & prohibendas; sicut eas damnat, ac prohibet: ita ut quicumque illas, aut conjunctim, aut divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputativè, publicè, aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, à qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio, quacunquē etiam dignitate fulgente, nisi à pro tempore existente Romano Pontifice absolvi.

Insuper districtè in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione Divini Judicii prohibet omnibus Christi fidelibus cujuscunque conditionis, dignitatis ac status, etiam specialis, & specialissimà notà dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

Joannes Lupus, Sanctæ Romanæ, & Universalis
Inquisitionis Not. &c.

Loco (†) Sigilli.

Anno à Nativitate D. N. JESU CHRISTI millesimo sexcentesimo sexagesimo quinto, indictione tertiâ, die verò 2. mensis Octobris, Pontificatus autem Sanctiss. in Christo Patris D. N. D. Alexandri, Divina Providentia Papæ VII. anno undecimo, supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellaria Apostolica, ac in acie Campi Flora, ac in aliis locis solitis & consuetis Urbis per me Carolum Melanum, ejusdem Sanctiss. D. N. Papæ. & Sanctissimæ Inquisitionis Cursorem.

Aliud

Aliud

Ejusdem S. D. N.

ALEXANDRI PAPÆ VII.

Feria V. Die 18. Martii 1666.

